№ 1.
8
11-d
23
NATIONALE EMANUELE
7
E
42
8 11 d 23
8. 11. d. 26.

Digitized by Google

# JOSEPHI

# MARIANI PARTHENII

S. J.

# *ORATIONES.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

V.L

ROMAE

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI

AN. CIↃ. IↃ. CC. LXXIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

# MARIÆ
## VIRGINI BEATISSIMÆ

SINE LABE PECCATI ORIGINALIS CONCEPTÆ

INCARNATI VERBI GENITRICI

NECNON

SS. GREGORIO MAGNO AMBROSIO HIERONYMO

AUGUSTINO CYPRIANO AC PAULINO NOLANO

RELIQUISQUE ECCLESIÆ CATHOLICÆ DOCTORIBUS

ET CHRISTIANÆ ELOQUENTIÆ PRINCIPIBUS

ORATORIAS HAS LUCUBRATIONES SUAS

JOSEPHUS MARIANUS PARTHENIUS

S. J.

OMNIUM INFANTISSIMUS

DAT DICAT DEDICAT.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

*Mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris.*

Cic. Tuſc. Diſp. lib. I. c. III. n. VI.

Digitized by Google

# PAULUS ANTONIUS RAFFAGNI

## SOCIETATIS JESU

*In Provincia Romana Præpoſitus Provincialis.*

CUM Opus, cui titulus: *Joſephi Mariani Parthenii S. J. Orationes*, quibus adnexa ſunt *Commentaria*, ab uno ex noſtræ Societatis Sacerdotibus conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverit, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis a R. P. Laurentio Ricci Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 24. Aprilis 1772.

*Paulus Antonius Raffagni.*

BIBLIOTECA

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*D. Jordani Patr. Antioch. Viceſgerens.*

QUÆ dixi generatim de prima hujus Operis parte jam typis vulgata, quæ Actiones continet, eadem videntur tribuenda huic etiam alteri, quam juſſu Reverendiſſimi P. S. P. A. Magiſtri ſumma cum diligentia ac voluptate perlegi, nimirum, *Joſephi Mariani Parthenii S. J. Orationes, & Commentaria*. In hanc autem partem ſolertiſſimus, & a facultate Oratoria inſtructiſſimus Auctor, qui nihil habuit potius, quam ſuorum auditorum progreſſum, multa erudite, copioſe multa, ſcienterque congeſſit, eaque præſertim, quæ ituris ad eloquentiam adoleſcentibus viam facere poterat planiorem & expeditiorem, quod egregie præſtitit tribus præſertim orationibus Paræneticis, totidemque aliis, quas inſcripſit de contrahenda Encyclopædia. Accedit nihil occurriſſe mihi in ejuſdem Operis lectione, quod a Fide Orthodoxa, boniſque moribus ſit alienum. Quare arbitror Reipublicæ litterariæ, bonarumque Artium incremento publica luce donari poſſe, ſi videbitur &c. Datum Romæ III. nonas Septem. A. MDCCLXXII.

*Jo. Baptiſta Gautier Linguæ, & Humanitatis Græcæ in Archigymnaſio Romano Profeſſor Emeritus.*

ORationes, & Commentaria ab erudito Viro Joſepho Mariano Parthenio S. J. latinè conſcripta tanta nitent puritate ſermonis, tantamque eloquentiæ Majeſtatem præſeferunt, ut plurimum ad Litterariæ Reipublicæ commodum, & ad vindicandam Italiæ gloriam conferre poſſint. Cumque nihil a Catholica Religione, & a recta inſtitutione morum alienum contineant; dummodo Reverendiſſimo Sacri Palatii Magiſtro, cujus juſſu mandatove ea diligenter attenteque perlegi, viſum fuerit, publicæ expectationi in vulgus edenda cenſeo. Datum Romæ in Abatia S. Praxedis die 30. Julii An. MDCCLXXII.

*D. Rodeſindus Androſilla Ab. & in Romano Archigymnaſio Eloq. & Hiſtor. Profeſſor.*

IMPRIMATUR.

F. Thomas Auguſtinus Richinius Ord. Præd. S. P. A. Mag.

EDI-

# LECTORI BENEVOLO.

*Rogatus a me Parthenius, ut quandoquidem in publicam emitti lucem Actiones ſuas paſſus eſſet, Orationes quoque publica luce donari pateretur, illud Ciceronis jocoſe reſpondens attulit;* Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene & naviter impudentem eſſe oportere; *Quo dicto ſatis indicavit, ſe nequaquam obſtiturum, quominus ejus* Orationes *publici juris fierent, quas bene multas & ſcripſit, & habuit. Has igitur, quod jam ante ſuis in Actionibus præſtitit, animo quieto ac pacato, atque ab ærumnoſis Scholæ curis ſoluto recognovit & perpolivit ſic, ut Actionibus quidem nitore linguæ & elegantia reſponderent, ſed diverſo eloquentiæ ac dictionis genere commendarentur. In his quoque ſcribendis, ut in omnibus, quæ proſa oratione exaravit, unum ſibi Ciceronem imitandum propoſuit, ad cujus exemplar, quantum aſſequi enitendo potuit, ſe prorſus effingere conatus eſt. Maluit enim ſe ad* Optimi *formam exercere, etiam ſi eam imitando aſſequi ſe poſſe diffideret, quam ea neglecta, uſu & mala conſuetudine ad deteriorem quandam minus recte cogitandi, nec magis emendate ſcribendi rationem pravitatemque deduci. Verum cum harum* Orationum *nonnullas ea ætate conſcripſerit, quæ*

 *laſci-*

*laſcivientior ; atque in eloquendo exuberantior eſſe ſolet ; eaſdem ita formare aggreſſus eſt , ut redundantiam quidem depaſceret , ſed quandam etiam dictionis copiam ubertatemque relinqueret . Ego enim hujus ipſius rei Parthenio auctor fui , contra atque alii , ejus fortaſſe copia nimis delectati , ſentire videbantur . Itaque in dando conſilio moderationem illam ſecutus , de qua tum multa in Actionibus ſuis verba fecit , illi ſuaſi , atque adeo perſuaſi , ut falcem utique , ubi opus eſſe cognoſceret , adhiberet , & fluentem ramorum luxuriem circumcidendo amputandoque compeſceret , ſed arbori ipſi parceret ; ſi ſecus ſe geſſiſſet , periculum eſſe , ne exſuccæ , ſtrigoſæ , ſine vi , ſine nervis , inopes verborum , & vero etiam ſententiarum ejus Orationes evaderent . Id enim omnibus fere commune Oratoribus eſt , ut aliquid a natura ingenitum habeant , quod omnino emendari arte non poſſit ; hic lenis , ille vehemens , hic numeris adſtrictior , ille ſolutior , hic jejunior , ille copioſior . Neminem , uno excepto Cicerone , invenies , cui nihil addere poſſis , nihil demere . Parthenius autem noſter quam in partem inclinet , facile Lector agnoſcet ; quæ quidem non deterior meo judicio exiſtimanda eſt , ſed Oratori fortaſſe accomodatior . In neutram certe partem cum in omnibus , tum etiam in eloquentia peccandum eſt ; ſed ſi in alterutram peccare neceſſe ſit , in eam malim Orator inclinet , quæ Oratori ipſi magis conveniens videtur eſſe , in*

*quo*

*quo fere copia præ inopia laudatur. Præclarè Quintilianus Inſtitutionum Oratoriarum lib. V. Cap. XIV.* Nobis ad aliorum judicia componenda eſt Oratio, quos niſi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus, ipſa, quæ juſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia; quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris, & in unam prope formam cadentibus conciſa & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam ſervitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis; non uti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed ut latiſſimi amnes totis vallibus fluat, ac ſibi viam, ſi quando non acceperit, faciat. Nam quid lege miſerius illa velut præformatas infantibus litteras perſequentium, &, ut Græci dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſolicite cuſtodientium? *Hactenus Quintilianus; cujus præceptis ſic adhæſit Parthenius, eamque temperationem adhibuit, ut nec nimia copia ſatietatem afferret, neque exaggerata quædam amplitudo faſtidium gigneret. Speramus igitur fore, ut, ſicuti idoneis latinæ eloquentiæ æſtimatoribus probatæ fuerunt ejus Actiones, ſic Orationes etiam ſimiliter probentur. Jam in argumentorum delectu, quæ tractanda ſuſcepit, illud quoque per ſe Lector facile agnoſcet, eam nunquam non præcipuam fuiſſe Parthenii curam, ut illa potiſ-*

*potiſſimum e multis eligeret , quorum tractatio utilis ſive audientibus ſive legentibus eſſet ; nec ſibi minus ad dicendum ampla forent & copioſa , quam aliis ad audiendum fructuoſa ac ſalutaria . Illud vero in primis curavit , quæ prima lex Oratorum eſſe debet , ut quæ agenda ſive ſcribenda ſuſciperet , non ſolum cognita probe atque perſpecta , ſed etiam penitus multo ante perſuaſa haberet ; tum vero erga ea ita afficeretur animo , ut non ad pompam, quod bene multi non ſatis cavent, atque oſtentationem exprompta, ſed ex intimo ſenſu prolata & eſſent, & exiſtimarentur. Hac ratione, ſi quid in eloquentia aſſecutus eſt , quod ipſe ſentit , & ſincere de ſe profitetur , quam ſit exiguum , hac inquam ſibi ratione , nec alia ſane via comparavit . Neque enim quiſquam in eo , quo non afficitur , quod lente fert , quod diſſolute tolerandum putat , eloquens eſſe poteſt . Langueſcente animo , langueſcat etiam oportet oratio . Quapropter ſi quid fortaſſe vehementius in Parthenii Actionibus dictum videri potuit , ſi quid in his quoque Orationibus dictum acrius videbitur , ei unicæ cauſæ , quam attulimus, adſcribendum, & vero etiam Auctori ignoſcendum eſt . Habet enim neceſſitatis cujuſdam excuſationem . Ut enim ſine nervis conſiſtere, & ſine calore vivere corpus non poteſt ; ita ſine quodam efferveſcentis animi impetu , vi ac ſpiritu deſtituta exanimetur oportet oratio . Quanquam harum Orationum alia prorſus atque Actionum natura eſt atque indoles ; quod boni Ora-*

*Oratoris eſt videre, ac probe multo ante, quam aliquid ſcripto mundet, cognoſcere. Nihil tam flexibile ac tenerum, nihil tam prope ſponte fluens, quam oratio; ſequitur quocumque velis, & quomodocumque velis, ſive rivis deducta, ſive latiore alveo derivata. Nihil præterea eſt, quod tam diſſimiles induat formas, ſplendida, ſublimis, magnifica; humilis interdum atque depreſſa; omnes etiam humani animi induit affectus, acris, vehemens, intenta, contorta, irata; eadem vero placida, lenis, ſubmiſſa, tardior atque remiſſior. Verum, cum tam varia & multiplex oratio ſit, illamque ſemper habeas in promptu atque ad nutum, ea acri quodam dirigenda judicio eſt ac moderanda; de quibus acturi ſumus attemperanda rebus eſt, & pro ipſa varietate rerum ac modo diſtinguenda. Qui ſecus ſe gerunt non ipſis paret ac ſervit oratio, ſed potius ipſi parent ac ſerviunt orationi, quæ vaga ac fluens, & nulla lege coercita illos, non quo velint, ſed quo ipſa malit, deducat; ut non, quæ in animo habent, dicant, ſed quod ipſa ſuggerit, cogantur dicere. Sed non eſt cur plura addam, ne aliquam in Lectoribus ſuſpicionem commovere videar, me nimis harum Orationum Auctori favere, & tacite ac diſſimulanter aliquam ei in arte oratoria velle præſtantiam tribuere. Auctor enim nulla ſibi de oratoria virtute blanditur, nec ullam hoc in genere arrogat laudem, niſi forte cujuſdam ſibi a natura ingenitæ, non ſtudio comparatæ perſpicuitatis, qua fit, ut clare &*

*re & dilucide ſenſa animi enunciet ſui. Atque hanc quidem ob cauſam adnotationes averſatur, & ita ſæculo huic ſuo hac in re ſerviendum putat, ut futuris, ſiquidem ejus Opera ætatem & tempus tulerint, non diſpliceat. Quare ego in adſcribendis adnotationibus multo ſane, quam in priori Actionum volumine, me parcius in hoc ac moderatius geram. Æquum enim exiſtimavi, ut, qui Parthenium in caſtigando atque edendo Opere; quod jam ab ipſo oblivioni ac tenebris deſtinatum exiſtimaram, obſequentem habuerim, me quoque ea in re facilem ei morigerumque præberem.*

DE

Digitized by Google

# DE CONTRAHENDA ENCYCLOPÆDIA AD QUIRITES

## *ORATIO I.*

QUam Orationem de Encyclopædia, hoc eſt de multiplici doctrinarum ſtudio contrahendo, centum ante & ſexaginta fere annos, Tarquinius Gallutius diſertus Orator, & meus in tradenda hoc in Romano Collegio Arte Rhetorica deceſſor, ex hoc ipſo loco, atque hac eadem inſtaurandorum ſtudiorum occaſione habuit, ac publici juris fecit; eandem longo intervallo quodammodo revocare, Quirites, ac repetere, ſi unquam alias, hoc maxime tempore non opportunum modo, ſed etiam neceſſarium exiſtimavi. Ea, ut opinor, virum æque doctum ac gravem ratio movit, ut hujuſmodi ar-

gumen-

Digitized by Google

gumentum, utile illud quidem in primis ac verum, ſed nonnullorum auribus, qui multo aliter ſentiunt, minime accommodatum, tractandum de ſuperiore loco, & ea, quam dixi, occaſione ſuſciperet, quod, cum illa ætate bonæ artes ac diſciplinæ, exacta jam barbarie, quæ omnem prope ſenſum humanitatis exſtinxerat, vehementius colerentur, & ingeniorum acrior quædam conſecuta eſſet æmulatio, qua hominum animi mirum in modum ad omne litterarum genus & excitabantur & incitabantur, illud tantis tamque incenſis ac vehementibus ſtudiis acceſſiſſet incommodi, ut in ſtudiis ipſis nulla definita præſcriptio & certa moderatio adhiberetur, atque indiſcriminatim omnia omnibus vulgo ediſcenda proponeretur. Ita enim fere humana mens comparata eſt, ut modum in rebus tenere neſciat, & facile extra præſtitutos æquitati fines, ſive vitio depravatæ voluntatis abducta, ſive alieno ſuaſu perducta, ſive etiam alio quopiam acriore extrinſecus ſuperveniente ſtimulo atque impulſu concitata abripiatur. Non enim dubito, quin multi ea tempeſtate non tam ſuaſores inconſulti, quam impulſores vehementes exſtiterint, qui magnifica quadam objecta ſpecie omnigenæ cujuſdam ſapientiæ, quæ nullam rerum maximarum cognitionem reſpueret, omnes facultates & artes ſibi adſciſceret, nihil, quod ſciri poteſt, a ſe alienum putaret, multorum animos non corripuerint modo, ſed etiam corruperint, atque adeo

adeo ſtudia ipſa maximo cum litterarum, ac Reipublicæ ipſius detrimento perverterint. Fieri enim omnino debuit, ut non pauci magnifica illa ſpecie illecti, ſive potius decepti, cum omnia ſibi ediſcenda arbitrarentur, nihil ſapere diſcerent, ac demum prorſus deſipere condiſcerent. Atque hinc etiam factum arbitror, ut cum bonæ artes conjunctim omnes ullo ſine delectu, & nulla ingeniorum ducta ratione a pleriſque inconſultius excolerentur, non modo quotidie felicius ſuccreſcentes majora ſemper ac majora incrementa non habuerint, ſed ferri ſenſim in deterius cœperint, donec ad extremum a priſtina illa, ad quam eas ſapientiſſimi illi viri, qui ea ætate tanta copia floruerunt, provexerant, dignitate conciderent. Atque hanc ego veram arbitror eſſe cauſam, cur tanta rerum in litteris converſio facta fuerit; cujus quidem rei vetuſtiora ſi exempla quæramus, ea nobis aurea Auguſti ætas paullatim in argenteam, mox in æneam, deinde in ferream converſa, ac demum in luteam deſinens, non minus luctuoſa, quam luculenta ſuppeditat. Jam vero quod olim in optimorum ſtudiorum ratione accidit, & ob eam ipſam, quam enunciavi, cauſam accidit, id ipſum uſu nunc venire ſi dicam, & eundem exitum habiturum affirmem, non equidem me aberrare a vero arbitrabor. Nunc quoque ab intercapedine quadam, quæ interc eſſit, & hanc noſtram ætatem præceſſit, & multos annos certe tenuit, quorum numerum non deſi-

definio, bonarum artium ſtudia & impenſius tanquam poſtliminio revocata ſunt, & avidius arrepta, & expolita diligentius, & felicius amplificata. Reſtitutus aureæ latinitati honos, eliminata incondita quædam tum loquendi tum cogitandi invecta barbaries, graviores diſciplinæ a tricis ſubtiliſſimarum, quibus implicabantur, commentationum evolutæ, exculta Matheſis, provecta Aſtronomia, illuſtrata Hiſtoria, perluſtrata omnis Antiquitas, non neglecta linguarum cognitio, nihil denique omiſſum, quo rectiſſima ſtudia in priſtino dignitatis gradu, unde ſublapſa conciderant, collocarentur. Verum his ipſis ſtudiis tam bene conſtitutis illa ipſa, de qua dixi, perverſa ſane ac perniciosa irrepſit opinio, qua perverterentur, atque iterum, ad deterrimam conditionem, unde emerſerant, detruderentur. Uſque adeo in rebus humanis nihil eſt conſtans ac ſtabile; ſed omnia fluxa, caduca, atque innumerabilibus viciſſitudinibus obnoxia. Jactatur nunc quoque, ac vulgo ſuadetur; Nihil a quoquam, qui liberalibus diſciplinis operam navare velit, ignorari eorum oportere, quæ in omni facultatum genere ſapientiſſimi viri tradiderunt; omnia, quæ ſingulis artibus continentur, digna eſſe, quæ a viro docto cognoſcantur; nihil in omni doctrinæ genere negligendum; omnia ſibi omnium facultatum & artium adjungenda eſſe ſubſidia atque præſidia; eam denique appellandam jure ſapientiam, quæ ex plurimarum, atque adeo

adeo ex rerum prope omnium comprehenſione ac perceptione coaleſcat. Quæ quidem opinio, ſi quantum prima ſpecie, quam præſefert, quæque minus intelligentibus, nec in ipſam rem altius intimiuſque pervadentibus obtenditur, & vehementer probatur, ſplendida eſt atque magnifica, tantum re ipſa vera eſſet ac fructuoſa, illam non modo non rejiciendam, verum etiam ultro amplectendam exiſtimarem. Verum in eam mentis aciem acrius intendenti cum multa ſint, quæ aut omnino falſa occurrant, aut fuci plena, aut bonis artibus valde incommoda, aut etiam noxia maxime ac perniciosa, & ad illum longe funeſtiſſimum, quem dixi, exitum perducentia, non poſſum quin ab illis, qui eam tanquam veram atque utilem magnificentius jactant ac prædicant, prorſus diſſentiam, aliudque conſilium, multo, ut ego arbitror, verius ac longe ſalutarius ſive in addiſcendis, ſive in tradendis facultatibus omnino eſſe ineundum putem. Itaque date mihi hanc veniam, Quirites, ut quid hac de re, hoc eſt de Encyclopædia ipſa, ut ab iſtis vulgo jactatur ac ſuadetur, ſentiam, paullo fuſius atque enucleatius vobis explicem atque exponam. Confido enim fore, ſi & ego, quæ jamdudum hoc de argumento clauſa in animo habeo, paullo liberius expromam, & vos rationum momenta, quæ allaturus ſum, penſitare pro veſtra ſapientia atque æquitate volueritis; confido, inquam, fore, ut mecum ſentiatis, & Ency-

Encyclopædiam iſtam ipſam, tanquam bonis artibus maxime infeſtam atque inimicam, ab omni recta ſtudiorum ratione repellendam atque omnino repudiandam judicetis. Attendite igitur diligenter ad ea, quæ dicam, & me, cui liberos veſtros bonis artibus inſtituendos tradidiſtis, qui ſim, qualiſque in muneris mihi injuncti functione futurus ſim, ex oratione mea, quæ expreſſus animi ſermo eſt, cognoſcite. Audietis enim Orationem non diſertam illam quidem atque elegantem, ſed utilem, ut arbitror, &, niſi nimis mihi fortaſſe blandior, claram atque perſpicuam, neque ulla in re a communi ſenſu abhorrentem; Oratorem vero non vana quædam atque magnifica oſtentantem ac venditantem, ſed æquitatis in primis ſtudioſum omnia, ut par eſt, ad certam quandam moderationem exigentem, præſcriptionemque revocantem.

II. Stomachari vehementer ſoleo, Quirites, cum nonnullorum hominum interſum ſermonibus, qui nihil niſi præſtans, ſingulare, eximium, atque adeo exaggeratum in liberalium artium aut tradendarum, aut diſcendarum ratione ſpectantes, negant quemquam in doctorum hominum numero haberi debere, qui non omnia, quæ in omni doctrinarum genere ſapientiſſimi viri litteris prodiderunt, ſcientia ac cognitione comprehenderit. Siquos autem hujuſmodi viros, ſive potius Deos quoſdam ex cæleſtibus illis ac ſupernis orbibus in terreſtrem hunc noſtrum & inferiorem dela-

delapſos, & ſuo ipſorum judicio ſententiaque probatos invenerint, hos ſuſpiciunt, hos venerantur, hos miris laudibus in aſtra tollunt; & ſplendido illo ac glorioſo vocabulo, quod ipſi ſcilicet commenti ſunt, *Encyclopædicos*, ſive *Omniſcios* appellant; cæteros vero, qui tantam doctrinæ vim afferre, tantas ſapientiæ opes jactare non poſſunt, ſuperbius contemnunt atque deſpiciunt. Quo perverſo præpoſteroque judicio, eo rem adducere mihi videntur, ut plerique, cum tam multa vulgo requiri videant, quæ ſe præſtare non poſſe intelligunt, aut ſuis diffiſi viribus animum deſpondeant, & una cum animo omnem omnino acquirendæ doctrinæ curam abjiciant; aut, ſiquod ejuſdem ſtudium retinent, & paullo audaciores ſunt, non de doctrina ſibi comparanda, ſed de aucupanda potius vana quadam atque inani doctrinæ opinione laborent.

III. Optandum quidem eſſet, non diſſimulabo, Quirites, ut nobis tantæ ingenii a natura vires ſuppeterent, quantæ ad hoc onus, quod vulgo omnibus, qui bonis artibus dant operam, ab iſtis imponitur, ſuſtinendum pares eſſent. Utinam omnes omnia, quæ ſapientiſſimi viri excogitarunt, ac litterarum monumentis tradiderunt, audire, legere, intelligere, meminiſſe poſſemus. Quid enim præſtantius? quid excellentius aut eſſe, aut fingi poteſt? quam unum aliquem, non dicam plurimarum ac maximarum, ſed

rerum omnium copia plenum oneratumque pectus habere; nihil non ſcire, nihil non tenere; omnem omnium artium magnitudinem mente animoque eſſe complexum; eundem vero quacumque de re, quæ ei propoſita ſit, erudite, copioſe, eleganter loqui poſſe; & modo Theologi, modo Philoſophi, modo Mathematici, modo Aſtronomi, modo Politici, modo Juriſconſulti, modo Rhetoris, Poetæ, Philologi, Hiſtorici, Grammatici perſonam ſuſcipere, illamque ea, quæ par eſt, & gravitate, & dignitate ſuſtinere. Magnum hoc certe quiddam foret, ſingulare, præſtans, eximium, ac plane admirandum. Nam ſi aliquem aliqua tantum in arte excellentem jure ſuſpicimus, quanto magis ille nobis ſuſpiciendus eſſet, qui omnium optimarum artium cognitionem ſcientiæ excellentia præſtantiaque unus fuiſſet aſſecutus. Verum, quemadmodum dixi, optandum hoc quidem eſſet, ſed non continuo poſtulandum. Aliqua enim ſine ſtultitia optari fortaſſe poſſunt; poſtulari vero ſapienter omnino non poſſunt.

IV. Scio equidem nonnullos e Græcis, ut illa fuit natio in primis glorioſa, & nullius non eruditionis amans ac mirifice appetens, non defuiſſe, qui nihil ex omni omnium artium ac doctrinarum varietate & copia non aſſumendum ſibi, nihil non diſcendum cognoſcendumque arbitrarentur. Neque vero non ex eadem natione quoſdam extitiſſe accepimus, qui, ut litte-

litterarum monumentis proditum eſt, acrioribus quibuſdam immoderatioris incitati ſtimulis ambitionis eo progredi non dubitarunt, ut ſe de rebus omnibus, quas percunctari ab iis quiſque vellet, nullo ſumpto ad meditandum ſpatio, luce, palam, nec non confertiſſimis ſapientiſſimiſque in conventibus reſponſuros profiterentur. Inter hos facile eminent Gorgias Leontinus, & Hippias Eleus; quorum primus cum in magna doctiſſimorum hominum frequentia aſſediſſet, facta interrogandi poteſtate, de quo cuique libitum eſſet audire, poni jubebat, ſeque ad omnia, de quibus aut ſubtiliter diſceptari, aut copioſe dici, aut erudite ſermonem haberi poſſet, quam promptiſſimum paratiſſimumque denunciabat. Alter vero, nequid Leontino illi æmulo ſuo hac de laude concederet, cum ad quinquennalem ludorum Olympicorum celebritatem veniſſet, non liberalium modo atque ingenuarum, ſed illeberalium etiam ac ſordidarum artium ſcientiam in ore atque oculis totius Græciæ præſeferre non erubuit; ſeque tunicam, qua indutus erat, annulum, quem in digito habebat, ſoccos & calceos, quibus utebatur, manu ſua confeciſſe gloriatus eſt.

V. Verum his hominibus, aliiſque horum ſimilibus, quos conſtat non paucos e Græcis exſtitiſſe, qui ſe veterum Romanorum auribus immoderatius & vero odioſius ſolebant inculcare, ac Græculi vocabantur, fortaſſe eruditi, ſed certe importuni & loquaces, quis eſt, qui, ut eorum nonnullis multum



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſapientiæ concedat, non plus etiam, aut ſaltem tantundem impudentiæ ac levitatis tribuendum non putet? Certe illi duo a me nominatim appellati, quamvis aliqua doctorum hominum exiſtimatione dignati ſint, eorundem tamen effugere reprehenſionem non potuerunt. De primo eloquentiſſimus ille ac ſapientiſſimus ab eloquentiſſimo ac ſapientiſſimo Oratore inductus ad diſputandum Orator de omni ratione, copia ac varietate dicendi, ſic exiſtimavit, ut ei ſe nequaquam velle eſſe ſimilem affirmaret; ob eamque cauſam eam diſputationem refugeret, ad quam duo adoleſcentes nobiliſſimi, ejuſque audiendi cupidiſſimi illum allicere conabantur. Qua re ſatis oſtendit quantum a vera ſapientia glorioſus ille omnigenæ ſapientiæ oſtentator diſtaret, qui eo inſolentia ſua proceſſerit, ut omnem ſibi doctrinam novo quodam atque ad eam diem inaudito jactationis genere vindicarit. Alter vero, præterquamquod ſatis ipſe declaravit, quo in numero habendus eſſet, qui ſe ad ſordidiſſimarum artium non cognitionem modo, ſed etiam exercitationem abjeciſſet, non ſolum irridetur a Socrate, ut eſt apud Platonem, (a) qui ejus nomine Dialogos inſcripſit duos, verum etiam acerrime vehementiſſimeque exagitatur.

VI. Ita-

(a) Exſcribenda omnino hoc loco ſunt duo initia Præfationum, quas Dialogis a Parthenio noſtro indicatis præmittit Marſilius Ficinus Platonis Interpres longe clariſſimus & doctiſſimus. In prima hæc habentur „ De „ Pulchro, in Phædro, Sympoſio, „ & Hippia diſputatur. In Hippia, „ quia

VI. Itaque, his de medio remotis, quorum ineptam loquacitatem atque impudentiam doctiſſimi viri graviſſimis verbis caſtigandam cenſuerunt, venio ad eos, qui omnium mortalium conſenſu atque opinione ſapientiſſimi habiti ſunt. Jam vero hos ipſos quantum ab hac tanta tam multarum rerum ſcientia, quam iſti a nobis requirunt, abfuiſſe arbitrabimur? Eosne omnem doctrinæ vim animo ac cognitione comprehendiſſe cenſebimus? omniane didiciſſe? omnia noſſe credemus? nihil eorum ſcientiam fugiſſe, nihil ignoraſſe exiſtimabimus? Dicam equidem, quod ſen-



„ quia Socrates agit adverſus Hippiam Sophiſtam, qui cum ignoraret, ſe ſcire putabat; quæ ignorantia animum reddit indocilem; quid pulchrum ſit non ſatis docet, ſed quid non ſit oſtendit, & opiniones falſas redarguit. Sophiſtam vocat eum, qui ſe ſapientem videri magis, quam eſſe ſtudet, pecuniarum honoriſque gratia. Talem vero Hippiam eſſe in procemio declaratur, & in fine procemii „. In altera hæc leguntur „ Mirifica Socratis Platoniſque noſtris bonitas cum diligentiſſime multis ubique modis provideat ne juventus credula ſubdolis Sophiſtarum aucupiis capiatur, captaque perdatur, non injuria Hippiam Elienſem Sophiſtarum inſolentiſſimum atque fallaciſſimum duobus dialogis agitat, Majore videlicet atque Minore. In Majore quidem demonſtrat Hippiam rerum profeſſorem pulcherrimarum, omnino quid ipſa pulchritudo ſit, ignorare. In Minore vero eundem ſe jactantem, quod ante alios mendacem a verace diſcernat, oſtendit in utriuſque definitione prorſus errare; ut pateat Hippiam, ut omnium arrogantiſſimus eſt, ita & ignorantiſſimum eſſe, atque ineptiſſimum apparere. Mitto nunc quod eum, ut mos eſt Sophiſtarum, jactabundum & temerarium avarumque depingit, & cum promittat omnia, in omnibus dantem verba, nihil vero præſtantem; cumque maximis glorietur, vel in minimis claudicantem.

ſentio, Quirites, & ita dicam, ut illis, neque veram laudem a me detractam, neque falſam affictam eſſe criminari quiſquam poſſit. Ita enim de tantis viris loqui par eſt, ut quorum ſapientiam admiramur, eorum laudes nequaquam dicendo amplificandoque nobis eſſe exaggerandas putemus. Etenim ii ipſi, ſi viverent, exaggeratas hujuſmodi laudes repudiarent, non tam modeſtia quadam, qua eorum plerique ornati erant, quam amore veritatis, cui uni in omni vita ſibi præcipue ſerviendum cenſuerunt.

VII. Dico igitur, & vere dico, illos ſummos extitiſſe viros, admirabili quadam ac prope divina mente præditos, ad maxima quæque ſtudia atque egregia a natura ipſa comparatos, quorum nomina non tam hominum, qua prope Sapientiæ ipſius fuiſſe videantur. Dico eoſdem incenſiſſima diſcendi cupiditate flagraſſe, vitam omnem in liberaliſſimis ſtudiis acerrimaque contentione conſumpſiſſe, multa legendo quærendoque cognoſſe, multa meditando commentandoque inveſtigaſſe, multa feliciter inveniſſe; itaque non ſolum, quæ a majoribus accepiſſent, alium alio in genere didiciſſe; ſed multa quoque, quæ ſubinde poſteri ab ſe diſcerent, reliquiſſe. Dico præterea eorum nonnullos acrioribus ingenii ſtimulis concitatos, non in una ſolum alterave facultate conſtitiſſe, ſed plures, cognoſcendi ſtudio, mente animoque peragraſſe; eo demum evaſiſſe, quo multi quidem poſt ipſos aſpi-

aſpirarint, ſed re ipſa pauci admodum omnium conceſſu ſententiaque pervenerint. Hoc ego dico, & ſatis hoc ipſum opinor eſſe laudis, quod ego illis ſapientiæ principibus, citra omnem aſſentationis notam, tribuo, atque ab unoquoque, qui averſus a vero non ſit, tribuendum cenſeo.

VIII. Sed, qui tantum laudis illis impertitus ſum, quid tandem de eorum ſapientia pronuntiabo? Eamne adeo fuiſſe perfectam, & rebus omnibus cumulatam, nulla ut ei fieri potuerit acceſſio? Tantoſne viros ad illa ſumma in omni doctrinarum genere, atque adeo ſupra modum ab iſtis exaggerata perveniſſe putandum erit? Nihil minus. Multa Platonem, multa Ariſtotelem, multa Homerum, quid dico multa? immo vero plurima cognoſſe ex eorum, quæ adhuc exſtant, voluminibus compertum eſt; ſed multa quoque, atque adeo plurima ignoraſſe, is tantum inficiari poterit, qui aut eorum ſcripta non legerit, aut, quæ de his ipſis ſcriptis doctiſſimorum hominum ſententia ſit, non cognorit. Nam Platoni quidem divinarum rerum ſcientia tribuitur, ſed non æque naturalis Philoſophiæ intelligentia conceditur. Contra vero Ariſtoteli, qui naturalis Philoſophiæ ſcientiam tribuunt, iidem non æque rerum divinarum intelligentiam concedunt. Quapropter tantorum virorum ſcientia valde imperfecta deprehenditur; propterea quia duarum maximarum facultatum cognitio diviſa in utroque ac dimi-

dimidiata invenitur, quam ad plenam abſolutamque ſapientiam in ambobus conjunctam eſſe oportebat. Quod autem ad Homeri opera attinet, etſi aſſentior Quintiliano affirmanti, nullius non artis extare in illis veſtigia, ex eo tamen, quod ſolum veſtigia ſunt, hoc eſt, non expreſſa ſigna, ſed leviter adumbrata rerum indicia plurimarum, intelligere poſſumus, quantum ab Homero ipſo perfectæ hujus, qua de nunc loquimur, omnium artium cognitionis requirendum ſit. Porro ex his, quos nominavi, certe principibus, & artium ipſarum magiſtris longe doctiſſimis, de reliquis, quibus Græcia maxime abundavit, ſapientiſſimis viris conjecturam capiamus licet, illudque conſtituamus; Multum generatim omnes atque univerſe a perfecta hac, quam iſti a nobis flagitant, doctrinarum omnium comprehenſione atque excellentia abfuiſſe.

IX. Jam, ut a Græcis ad Latinos gradum faciamus; quot viri, Deus immortalis! hac ipſa in Urbe floruerunt! quanto ſtudio! quanta contentione! quanta doctrina! quanta copia ac varietate litterarum! Devictis enim Athenis, & in Romanorum poteſtatem redactis, huc liberales artes commigraſſe vere dici poteſt. Itaque Romæ non ſolum totius terrarum orbis imperii ſedes conſtituta tunc fuit; ſed omnium etiam optimarum artium ac ſapientiæ ipſius domicilium collocatum. Ingenia porro fuerunt hujuſ-

modi

modi, quæ hoc ſalubri ac temperato cælo alta atque enutrita ad omnem omnino ſapientiam prope eſſe ficta atque elaborata viderentur; ut mirandum non ſit, ſi accedente ſtudio, & illa quaſi cote ingeniorum æmulatione, tot egregii in omni litterarum genere viri emerſerint, quot ex veterum annalium monumentis exſtitiſſe colligimus. Non illos ego omnes hoc loco recenſebo, quod nimis longum eſſet, atque adeo ſupervacaneum, ſed tribus ſolummodo contentus ero, omnium, ſine controverſia & doctiſſimis, & eruditiſſimis, M. Tullio Cicerone, M. Terentio Varrone, & M. Catone illo Cenſorio.

X. Atque ut primum de poſtremis his duobus loquar, quo in genere laudis, M. Varro excellens non fuit? Quid enim ad hoc viro politioris reconditiorisque litteraturæ abfuit, aut abeſſe potuit, aut omnino debuit? qui diſcendi incredibili cupiditate flagravit, qui penitus ſe litteris dedidit, qui totam vitam in liberaliſſimis ſtudiis exegit, quem otioſum nemo unquam vidit, qui a Quintiliano Romanorum eruditiſſimus appellatur, qui abdita quæque ac recondita, quæ quidem memoria digna eſſent, inveſtigavit, qui denique tam multa ſcripſit, ut tot ac tanta, tam varia, atque inter ſe maxime disjuncta ab uno homine ſcribi potuiſſe vix quiſquam credat. Ille ætatem patriæ, ille deſcriptionem temporum, ille Sacrorum, ille Sacerdotom jura, ille domeſticam, ille publicam diſcipli-

plinam, ille ſedem regionum & locorum, ille agrorum culturam, ille demum omnium divinarum atque humanarum rerum nomina, genera, officia, cauſas, ſcriptis perſecutus eſt ſuis. Ne quid autem ejus eruditioni ac multiplici ſapientiæ deeſſet, Poeſi etiam ſtuduit, ac plurimum Latinis Poetis lumen attulit & litteris & verbis; nec vero non ipſe varium atque omnibus fere numeris abſolutum Poema confecit. Huic tamen tam erudito atque eximio viro, in tanta ornamentorum copia, ſi Auguſtino credimus, eloquentia defuit, qua omnis doctrina maxime enitet atque illuſtratur. Philoſophiam ille quidem aggreſſus eſt, ſed non admodum in ea profecit, & illud tantum conſequi potuit, ut eandem, quod memoriæ prodidit Cicero, (Quæſt. Acc. lib. I.) unde, quæ de eo dicimus, a nobis deprompta ſunt, multis quidem locis inchoarit, non autem abſolverit. Itaque ea ſane, eodem, quem citavimus, teſte certiſſimo atque incorrupto, ad commovendum ſatis, & ad impellendum idonea habita fuit, ſed parum ad docendum cognoſcendumque accommodata.

XI. M. vero Cato qualis quantuſque vir extitit? quanto ingenio! quanta in ſtudiis ſuis contentione! quanta aſſiduitate! qui incredibilem collegit animo varietatem litterarum & artium, qui tot perſonas, tam diſſimiles inter ſe, ac prope repugnantes ſuſcepit unus, & magna cum laude ſuſtinuit. Idem enim fuit Imperator,

rator, idem Quæſtor, idem Cenſor, idem Senator, idem Conſul, idem Orator, idem Hiſtoricus, idem Juriſconſultus, idem Rhetor, idem rerum ruſticarum experientiſſimus, idem denique in hac civitate temporibus illis eruditione & ſapientia facile princeps, qui quidquid tunc ſciri diſcique potuit, inveſtigarit, cognorit, conſcripſerit; idem tamen, in tam lautis ac multiplicibus ingenii ac doctrinæ opibus, Græcarum litterarum, ſi non ignarus omnino, quippe qui eas extrema tantum attigit ſenectute, at certe non admodum gnarus atque peritus. Græcas autem litteras, quibus ea præſertim ætate, omnis fere doctrina libero digna continebatur, aut ignorare omnino, aut leviter tantum noſſe, perinde prope erat, atque omnis eſſe politioris electiorisque eruditionis expertem. *Quid M. Catoni*, inquit Cicero ( de Orat. lib.II. n. XXXIII. ) *præter hanc politiſſimam doctrinam tranſmarinam atque adventitiam defuit?* Quæ quidem, ſi tanto ac tam idoneo teſte, & cujuſcumque meritorum æſtimatore veridico, non invido detractore, nec exaggeratore magnifico, in Catone requiſita fuit; quantum nos a cæteris, qui nullo modo, nec ingenio, nec ſtudio, nec contentione, nec aſſiduitate, nec reliquis partibus cum Catone conferendi ſunt, ad perfectionem abſolutionemque illam, ad quam nunc ſcientiam non ſponte quidem noſtra, ſed iſtorum coactu exigimus, requirendum præterea exiſtimabimus?

XII. De Cicerone autem quid dicam, aut quid ſentiam, Quirites? aut quid a me dicendum potius, aut ſentiendum arbitramini? De Cicerone inquam illo, qui conſtanti tot ſæculorum judicio, & graviſſima tot ſapientiſſimorum virorum auctoritate, certe doctiſſimus atque eruditiſſimus fuit, cuique præſertim a me, qui eum ab adoleſcentia adamavi, qui eum quotidie manibus tero, quem unum maxime ſuſpicio, cujus ad ſimilitudinem quantum enitendo poſſum, etſi quantum vellem, non poſſim, ſed tamen formare me conor atque effingere, primas in omnibus tribui neceſſe eſt. Mallem, hoc quidquid id eſt, quantulum etiam cumque eſt, quod certe, ſi cum reliquis tanti viri ornamentis conferatur, minimum eſt, mallem inquam hoc, quod dicturus ſum, a quovis alio, quam a me dici; dicam tamen, & plus apud me, quam ulla aut ſtudii, aut exiſtimationis, aut amoris, unius valebit ratio veritatis. Ille, ille, inquam, Cicero, Philoſophorum princeps, Juriſconſultorum antiſtes, Romanæ Curiæ lumen atque ornamentum, Latinæ eloqueniæ parens, Oratorum omnium longe diſertiſſimus, in quo eloquentia ipſa, quid efficere, & quoad uſque conniti poſſet, experiri viſa eſt; quo Athenis verba faciente Athenæ ipſæ non obſtupuiſſe ſolum, ſed ingemuiſſe dicuntur, quod Atticam ſapientiam una cum eloquentia commigraſſe Romam iniquo animo ferrent; illud ingenium prope divinum, quod ſolum amplitu-

dini

dini ſuæ Romanum par habuit imperium, & quo uno perfectum eſt, ne quorum arma viceramus, eorum ingeniis vinceremur; & ſi quid eſt aliud, quod ad immortalis viri laudem commendationemque addi poſſit; ille denique Cicero, quem cum nomino univerſas ejus laudes vel ſola nominis appellatione mihi videor comprehendiſſe, cum ſe ab arte oratoria, in qua principatum tenebat, ad poeticam, ad quam natura comparatus non erat, conferre voluit, mirum quantum ipſe ſui diſſimilis fuerit. Si in ejus carminibus unam excipias latinitatem, & rerum notitiam, & hanc quidem non poetico lepore conditam, ( Arati enim fere verſus Græcos in Latinos tranſtulit ) non eſt quamobrem illa legantur. Qui numerum oratorium tenebat ſic, nihil ut ſuavius effici potuerit atque jucundius, idem poeticos translatus ad numeros, ſi non abſonus atque inconditus, minime certe ſuavis eſt ac numeroſus; quod ille verſiculus ſuo ipſius ore jactatus ſatis ſuperque declarat;

*O fortunatam, natam me Conſule Romam.*

XIII. Atque hoc quidem loco illa ipſa numerorum præcepta ab eodem requiro, de quibus ipſe tam ſcienter atque elaborate conſcripſit, ſubtiliterque diſſeruit. Ubi in ejus verſibus illa tantopere commendata diſtinctio æqualium, & ſæpe variorum intervallorum percuſſio? ubi ea non tam ſyllabarum numero, quam aurium modo quæſita menſura, quarum acerrimum

his

his in rebus maxime eſt certiſſimumque judicium ? ubi dactyli illi ac ſpondei pedes ſubtiliſſimo artificio variati, ut verſus numeroſe diſtincteque conſidant ? Scite admodum ac venuſte proſam orationem vermiculato operi aſſimilavit Lucilius, hoc autem ipſum opus apte ac ſollerter coagmentatum, neque omnino in verſu negligendum, in quo, ut Cicero ipſe animadvertit, *æque prima, & media, & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacumque parte ſit titubatum*; ( de orat. lib. III. num. L.) quod multo ſecus accidit in oratione, quæ liberior eſt, ac plane, uti dicitur, ſoluta; hoc inquam opus ſummo ſtudio diligentiaque elaboratum in ejus carminibus requiro, nec plane invenio. Non me latet Quintilianum ( lib. II. cap. I. ) Poeticam laudem vindicare Ciceroni, cujus verſus *optimos* appellat & *ornatiſſimos*, unique invidiæ tribuere, quod ii ab ejus obtrectatoribus carperentur. Vellem utique ſubſcribere Quintiliano, ſi poſſem, ſi ejus vulgo recepta fuiſſet ſententia. Certe Poetarum amicus Cicero fuit & fautor, quorum lectione plurimum delectatus eſt, & forenſes abſtergere moleſtias conſuevit. Archiam præ cæteris adamavit & defendit, eique controverſam civitatem aſſeruit ; ſed aliud eſt amare Poetas, eos legere, illorumque ſuavitate ac venuſtate delectari; aliud aliquid ad eorum leges ac jura numeroſe eleganterque conſcribere. Illud ego puto verius & Ciceroni ipſi honorificentius; Eum conſulto a Poe-
ſi

ſi diligentius excolenda abſtinuiſſe, atque hac in re naturæ, qua ad eloquentiam ferebatur, obſecutum eſſe; ut hoc ipſum ſummæ ejus laudi vertendum ſit, quod in vituperationem detorquere invidia conata eſt. Nihilo tamen minus illud maneat; Aliquid tanto viro defuiſſe, quominus perfecta ejus ſapientia atque abſoluta exiſtimetur.

XIV. Hic autem nolite exſpectare, Quirites, dum a primis illis temporibus digreſſus ad conſequentes veniam, ac ſingulas obeam ætates, & ſapientiſſimos quoſque conſecter, quorum ſapientiam valde imperfectam fuiſſe, nullius prope laboris eſſet oſtendere. Tria me hujuſce rei exempla allaturum dixi; vos tribus contenti eſſe debetis, præſertim cum ex his clariſſimis viris, facilis ſit conjectura de reliquis, qui quidem magna, non tamen tanta, quantam in iis, quos recenſui, ſuſpicimus, doctrinæ fama atque ingenii opinione floruerunt. Jam vero, quemadmodum ab initio affirmavi, cum optandum quidem ſit, nihil non ſcire, ſed non illico poſtulandum; cum hanc laudem aliqui appetierint, nemo hactenus fuerit aſſecutus, quid eſt, quamobrem iſti nobis moleſti ſint, a quibus, niſi tantis doctrinæ opibus, quantas ipſi a nobis requirunt, cenſeri poſſimus, ſuperbe arroganterque deſpiciamur?

XV. Sed fuerint ſane, videte, quæſo; quid iſtis largiar, Quirites, fuerint inquam, contra, atque ha-

ctenus demonſtravi, præſtantiſſimi illi viri, quorum exempla attuli, aliique etiam, ſi qui horum ſimiles exſtiterunt, omnia ſumma, atque in omni genere abſoluta conſecuti. Quid? continuone quod ii re ipſa olim effecerint, id erit a nobis nunc exigendum? Statimne arduum nos iter perque difficile ingrediemur, ut eos aſſequamur, aut etiam ſuperemus; quibus ſi ab illis vel longo intervallo diſtare ſumma adhibita contentione laboribuſque contigerit, magnum quiddam præſtitiſſe jure videbimur? Exhorreſcunt profecto non ſtulti rerum æſtimatores, ſed veri ſapientes, cum animum cogitationemque intendunt in veteres illos omnium bonarum artium artifices ac doctores, & tantum abeſt ut illos unquam ſe conſecuturos ſperent, ut potius de iis aſſequendis omnino deſperent. Confirmant ſe illi quidem, &, quantum valent, animos erigunt illa cogitatione; *Prima ſequentem honeſtum eſſe in ſecundis tertiiſque conſiſtere*. (Cic. in Oratore n.1.) Sed tamen non poſſunt, quin vehementer interdum conturbentur, & animum ſæpe deſpondeant. Iſti vero contra tanta tamque inſigni confidentia ſunt, ut omnia illa ſumma, & in omni genere excellentia, perinde quaſi ea ipſi primum eſſent adepti, vulgo omnibus proponere non dubitent; nec vero animadvertant, ſe cum omnium fovere ſtudia iſto modo arbitrantur, multorum vires infringere animoſque debilitare, qui experiri nolent, quod aſſequi ſe poſſe diffidant.

XVI. Sed

XVI. Sed progrediar etiam ulterius, & concedam, nos eodem, atque illos, acerrimo ingenio præditos eſſe, eadem diſcendi cupiditate flagrantes, eodem otio abundantes, iiſdem denique a natura præſidiis ad maxima quæque comparatos. Quid? Nullumne inter temporum illorum rationem, quibus ii floruerunt, quibuſque nos vivimus, diſcrimen intererit? nullane tot ſæculorum diuturnitate diſciplinis acceſſio facta? nullus, agitatione ipſa rerum & aſſidua pertractatione, cumulus artibus fuit additus, quibus de cauſis fiat, ut, quod a veteribus perfici potuerit, id effici a nobis nunc ſimiliter nequaquam poſſit?

XVII. Et ſane, non ea ſolum litterarum ſtudioſis ediſcenda nunc proponuntur, in quibus veteres illi, mortalium ſapientiſſimi, operam poſuerunt ſuam; ſed illa etiam, quæ conſequentibus temporibus, diuturna ac nunquam intermiſſa tot ætatum inveſtigatione, reperta ſunt. Nam ſi ſingulæ percurrantur ætates, nulla ferme occurret, quæ doctiſſimos homines, & eximio ingenio præſtantes, & ſummo diſcendi ſtudio inflammatos, & labore induſtriaque commendatiſſimos non extulerit, qui opulentiſſimum illud ſibi a majoribus relictum doctrinæ tanquam patrimonium non retinuerint ſolum, ſed incredibiliter etiam amplificarint. Ægyptii, quæ ab Hebræis, Græci, quæ ab Ægyptiis, Latini, quæ a Græcis, recentiores, quæ conjunctim ab omnibus acceperunt, non conſervarunt modo, quantum quidem per con-

confectricem illam rerum vetuſtatem licuit, ſed etiam, quantum effici ſtudio induſtriaque potuit, novo incremento nunquam non cumulare ſtuduerunt. Hinc novæ ſemper ac variæ, pro temporum atque ingeniorum varietate, philoſophandi rationes inventæ, novi novarum opinionum auctores exorti, novi artibus conſtituti fines, iique prope in immenſum propagati. Ita jugis ac perpetua rebus jam inventis acceſſio facta, cumulus cumulo additus, & ſumma illa addiſcendarum artium difficultas incredibilem in modum exaggerata.

XVIII. Omnem priſcis illis temporibus memoria tenere Hiſtoriam, ac prope decurſam habere ac decantatam, ſummæ quidem contentionis erat; ſed non ejuſmodi, quæ hominem laborioſum & memorem deterreret; nunc autem totam cognoſcere, & memoria ſepire, tanto laborioſius judicandum eſt, quanto illa jugi rerum acceſſione inſtructior in dies evaſit ac locupletior. Jus civile duodecim quondam prope tabulis concluſum ac deſcriptum continebatur; ut qui jura, pacta, conventa, nexa, mancipia, tutelas, gentilitates, agnationes, patrium morem & diſciplinam, aliaque hujuſmodi didiciſſet; neque vero aut communis ſenſus expers, aut in ſua civitate hoſpes eſſet ac peregrinus, is omnem prope Juris civilis ſcientiam aſſecutus putaretur. Nunc vero multo aliter ſe res habet, & adjunctis, proceſſu temporis, tot ſenatus con-

conſultis, edictis, decretis, reſponſis, exceptionibus, abrogationibus, animadverſionibus; ennarrationibus effectum eſt, ut immenſum quiddam atque infinitum exſiſtat, quo & mentis acies hebetetur, & memoriæ vis obruatur. Flumen, quod prope fontem ſaltu trajici facile poteſt, ubi a ſcaturigine diſceſſit, amplius tranari non poteſt. Fit enim, ut tot rivis eodem confluentibus tanta aquarum collectio ſit, quanta quemvis audacem quantumvis ac ſtrenuum a tranſmittendo deterreat. Simile quiddam in omnibus artibus accidiſſe compertum eſt, quæ tenues in exordiis atque exiguæ, poſtea ad eam, quam nunc miramur, immenſam prope atque incredibilem amplitudinem pervenerunt. Liquet igitur noſtrorum temporum longe aliam, atque illorum, unde ab iſtis petuntur exempla, quibus ad artium omnium complexionem nos incitare conantur, eſſe rationem. Multo durior, quam illa veterum fuit, noſtra conditio eſt; ut propterea, quanto majoris ſapientiæ commendatione doctiſſimi illi viri nobis præſtiterunt, tanto probabiliorem afferre nos excuſationem poſſimus, ſi non eam, quam ipſos, indulgentiæ videlicet cauſa, aſſecutos conceſſimus, rerum omnium cognitionem aſſequamur.

XIX. Neque vero hanc conditionem emollit, quod nova ſubſidia nunc atque adiumenta a gnavis atque induſtriis hominibus ad omne litterarum genus comparata ſint, quibus & rerum notitia plurimarum di-

ſcendi ſtudioſis ſuppeditatur, & earundem uſus facilis ac propemodum expeditus oſtenditur. Nihilo enim ſecius tanta materies omnibus artibus ac diſciplinis ſubjecta eſt, tanta nobis rerum percipiendarum objicitur copia, varietas tanta, ut ſubſidia levare quidem aliqua ex parte difficultatem poſſint, eandem vero tollere omnino non poſſint. Eſt ſane, hoc præſertim tempore, cur iſti Encyclopædiæ fautores ſibi plaudant; habent etiam, quod mihi hoc in adjumentorum gegere opponant; Opus nimirum illud immenſum immenſis coagmentatum voluminibus, & ab ipſa Encyclopædia inſcriptum. Sed quid tandem immenſo hoc opere, ac tot voluminibus, quæ robuſtum laſſare bajulum poſſent, efficietur? Certe, qui omnia voluminibus illis comprehenſa & memoria percepta haberet, & cuſtodire poſſet, magnum quiddam ac ſingulare præſtitiſſe cenſendus eſſet. Sed in primis *hoc opus, hic labor eſt*, non tam infinitarum rerum copia non obrui, quam ipſorum voluminum mole ac pondere non opprimi quodammodo, ac propemodum conteri. Præterea quid tandem is didiciſſet, qui tantam rerum multitudinem fuiſſet memoria complexus? Huncne vere doctum ac ſapientem quiſquam exiſtimaret? qui magnam quidem exoticorum nominum vim, infinitam locorum, regionum, provinciarum, regum, imperatorum, auctorum, artium, opificiorum cogeriem animo memoriæque mandaſſet, ſed rudem illam prorſus atque indigeſtam, &

non

non ad nutriendum idoneam, ſed ad gignendam potius cruditatem accomodatam. Hujuſmodi opera juvare quidem ſapientem poſſunt; ſed nego quemquam efficere poſſe vere ſapientem, ad quorum operum rectum certumque uſum illa ipſa ſapientia, quam minime conferunt, neceſſario adhibenda eſt, qua moderatrice ac diſceptatrice quæ rerum exhibetur copia multiplex ſagacius examinetur. Reliquum eſt igitur, ut quibus olim facultatibus univerſis comprehendendis hominum mentes eſſe pares fortaſſe potuerunt, nunc tantis novarum rerum acceſſionibus factis omnino impares eſſe confitendum ſit; nec vero a novis ſubſidiorum excogitatis adminiculis hujuſmodi levamen exſpectandum, quod magnopere prodeſſe poſſit.

XX. Verum ut ad rem ipſam, de qua agimus, propius accedamus, eamque paullo fuſius atque enucleatius explicemus, placet vocem illam *Omniſcius*, quam iſti tam crebro uſurpant, exponere; cujus tametſi non dubito, quin vim intelligant, tamen vereri ſubit interdum, an ſerio unquam ejus poteſtatem ac diligenter attenderint. Ego quidem, nec vero non quivis alius, in una illa vocula, tanquam in minutiſſimo ſemine, videre latentia mihi videor rerum argumenta infinitarum. Ut enim in minimis ſtirpium ſeminibus, non ſolum tantas arbores, quantas procreari quotidie videmus, ſed earum etiam, quæ ex natis jam atque adultis gigni ſubinde poſſunt ac propagari, ingentem illam truncorum proceritatem,

& immenſam ramorum ac frondium ſylvam abditam Phyſici putant; ſic, & multo verius, in una ea voce eorum omnium, quæ ſciri poſſunt, infinitam vim ineſſe cenſendum eſt; involutam illam quidem & complicatam, ſed nihilo tamen minus inſitam atque incluſam. Age vero hanc ipſam vocem diligentius exponamus, & quidquid illic latet explicemus; quo facto & manifeſtius patebit, quam multa a nobis, & quam ſtulte ab iſtis requirantur; & ſic iſti facilius ſua ipſorum oratione refellentur.

XXI. *Omniſcios* igitur nos eſſe volunt. Audio. Sed, ſi recte primam hujus vocabuli partem interpretor, illud nempe volunt; Nihil nobis eſſe novum, nihil incognitum, nihil inauditum, nihil non promptum in ore, nihil non in animo memoriaque reconditum; omnia habere nos quæſita, audita, lecta, intellecta, quæ ſunt in omni arte atque doctrina. At hoc nimis eſt; immo vero immenſum quiddam atque infinitum, quod humani ingenii capere non poſſunt anguſtiæ. Miror ſane iſtiuſmodi homines, quale hoc, quantumque ſit non videre. Quid? hoccine oneris iſti nobis imponent, quod tollere omnino non poſſumus? hanccine legem edicent, contra quam jura omnia & æquitas ipſa reclamitat? Quid eſt aliquid emittere, & jactare perperam, ſi hoc non eſt? Serione iſtos unquam artium magnitudinem animo eſſe dimenſos arbitrabimur, qui tam facile putant eas cognitione nos com-

complecti poſſe univerſas ? Mihi nunc aures paulliſper accomodent, & quid quæque facultas ferat, aut nunc primum condiſcant, aut ſi jam didicerunt, mecum recognoſcant. Quo facto aſſueſcent fortaſſe inpoſterum caſtigatus loqui, & quæ dicunt, antequam temere ex ore effundant, diligentius perpendere, & cautius pronuntiare.

XXII. Nam, in primis rerum divinarum ſcientiam ad ſupremum uſquè numen pertingentem, & latius diffuſam, quam ut ullis circumſcribi terminis poſſit, quantæ iſti contentionis, quanti laboris, quantæ aſſiduitatis, quanti eſſe ingenii & eruditionis putant; non dicam comprehendere totam, ſed aliquam tantum ejus partem mente animoque complecti ? Sed hac omiſſa, cujus partes deſcribentur inferius; Quid Dialectica ſubtilius ? quid Ethica uberius ? quid Phyſica implexius ? quæ rerum omnium naturas, cauſas, effectus, vimque perſequitur. Quid illi, quos Mathematicos appellamus, quanta in obſcuritate rerum ac varietate verſantur ? quorum facultas nomine quidem una eſt, re autem ipſa magis, quam cuiquam credibile ſit, copioſa & multiplex. Hujus eſt de corporum dimenſionibus acute ſubtiliterque diſputare; hujus eorundem quantitates & inſpicere ſollertius, & examinare accuratius, & certius definire; hujus in implicatiſſimis numerorum ambagibus evolvendis extricandiſque continenter occupari; eadem facultate perpetuæ illæ cæleſtium

leſtium orbium converſiones & viciſſitudines reguntur quodammodo ac gubernantur; eadem & aquarum certa lege deductio, & menſura ponderum, & ſonorum vis, & deſcriptio terrarum, & ratio temporum, ædificiorum & arcium conſtructio, & diſciplina ipſa navalis continetur. Juriſprudentia porro quam longe lateque pertinet! quæ per omnes hominum actiones vagatur ac ſerpit, quæ litibus dijudicandis, componendiſque diſſidiis aſſidua diſceptatrix præeſt, quæ leges interpretatur, quæ ſuum cuique jus tribuit, quæ interpellatur quotidie, quæ nunquam ceſſat, nunquam quieſcit. Poſtremo, ne ſingulas artes enumerando perſequar, linguarum qualiſcumque notitia, quæ negligi minime debet ab eo, qui & ſcientia capitur, & eruditione delectatur, quantæ quamque diuturnæ contentionis eſt, quam gravis, & vix ac ne vix quidem ferendæ moleſtiæ, & ad cognoſcendum, & ad retinendum?

XXIII. Atqui hæc, atque alia innumerabilia, quæ conſulto prætereo, prima vocabuli illius parte, quod nunc expono, concluduntur. Tantumne igitur negotii nobis iſti dabunt? tam duram atque horribilem legem imponent? ut non ſolum nihil eorum, quæ a me leviter perſtricta ſunt, ſed etiam, quæ omnino ſciri poſſunt, in quaque arte ac diſciplina ignorare nobis impune non liceat? Nullane ab iſtis ratio, neque ingenii, neque memoriæ, neque temporis, neque valetu-

letudinis, neque occupationum, neque demum cujuſque virum habebitur? Quis noſtrum eſt, qui ut firmam corporis habitudinem ſortitus ſit, ut ingenio præſtet, ut memoria valeat, ut otio abundet, ut multum contendat, ut nunquam ceſſet, tot ac tanta percipere ſe poſſe confidat? Nullusne igitur modus adhibendus iſtis auctoribus? nulla in noſtris ſtudiis ratio a nobis ineunda erit, ſaltem ad eum finem, ne tanto tamque immani pondere, quod unicuique noſtrum ab iſtis imponitur, opprimamur? Errant enim vero; & vehementer errant, ſi iſta ratione bonis artibus conſuli putant, acui ingenia, ſtudium foveri, induſtriam ali; iſto modo bonis artibus non conſulitur, ſed officitur; non acuuntur ingenia, ſed obtunduntur; non fovetur ſtudium, ſed exſtinguitur; non alitur induſtria, ſed debilitatur; eo denique res adducitur, ut voluntas diſcendi a pleriſque ſimul cum ſpe perdiſcendi abjiciatur.

XXIV. Atque hac quidem in re illorum ipſorum virorum in omni doctrina principum, quorum exemplo ad omnia ſumma provocare nos iſti ſolent, mirari ſatis non poſſum ac laudare prudentiam, qui cum revera ſapientiſſimi & haberentur, & eſſent, ſingularum artium magnitudines in immenſum creſcere noluerunt, & quo providentius hominum infirmitati conſulerent, nec quemquam ab optimarum artium ſtudio deterrerent, de iiſdem diſtrahendis imminuendiſque cogitarunt. Hinc per eos ipſos facultatum inducta diviſio fuit,

fuit, & illa, tanquam aquarum, cum exuberantius intumeſcunt, facta divortia doctrinarum; quo neſcio an quidquam conſultius ac ſalubrius non modo artium ſtudioſis, ſed artibus ipſis factum ſit, quæ intra moderationis & æquitatis ſepta concluſæ, non facile extra ea cultores ſuos egredi paterentur.

XXV. Et ſane illa *præpotens & glorioſa*, ut a Cicerone appellatur, Philoſophia, quæ omnium optimarum rerum ſcientiam olim complexa per omne genus artium liberius licentiuſque vagabatur, quæ nihil ſibi non arrogabat, quæ omnia a ſe peti volebat, paullatim coercita, anguſtioribus uti finibus coacta eſt. Itaque, veteres illi Philoſophi cum nimium quiddam ſuſcipere, ac profiteri viderentur, ut iidem eſſent & recte faciendi magiſtri, & bene dicendi artifices, fuerunt poſtea ſegregati doctores; qua ſecretione facta, diverſa a Philoſophia nobiliſſima facultas emerſit, quæ ſolum bene dicendi præcepta traderet. Simili ratione Mathematica non ea quidem de immenſa poſſeſſione depulſa, ſed in quædam veluti definita prædia, deſcripta eſt; ut alia ejuſdem pars haberetur Geometria, alia appellaretur Aſtronomia, alia alio nomine indicaretur; quo commodius atque adeo utilius alii alias ejus partes, tanquam agros ſibi deſtinatos ſerendos præcipue excolendoſque ſuſciperent. Simili item ratione ab antiquiſſimis uſque temporibus Jus ipſum in Civile & Pontificium diſſectum fuit. Eodem modo, atque eandem

dem ob cauſam, poſt Hippocratem illum Coum, ſuas in partes diducta Medicina fuit, ut alii aliud munus curarent; neque amplius iidem eſſent, qui morbis, & qui vulneribus mederentur. Quid plura? Omnibus hoc artibus ac diſciplinis uſuveniſſe comperiemus, ſi earundem ultimam repetere memoriam voluerimus. Illa ipſa rerum divinarum ſcientia omnium princeps diſciplinarum, quam primo loco nominavimus, non olim erat, uti nunc eſt, tot in partes diſtributa, ut qui ei cognoſcendæ ſe ſe dedidiſſent, alii *Polemici*, alii *Scholaſtici* appellarentur, alii de moribus diſſererent, alii de difficillimis S. Scripturæ locis diſputarent. Omnino una erat; at ſumma rerum copia effecit, ut in plures conciſa partes, in totidem veluti ſpecies ſuo generi ſubjectas, tribueretur.

XXVI. Neque vero ſolum præſtantiſſimi illi viri hanc deſcriptionem artium induxerunt; ſed, quod ſine peculiari animadverſione prætermittendum non eſt, eandem ipſi ſecuti ſunt. Nimirum præire nobis exemplo ſuo in re ſummi graviſſimique momenti voluerunt, ut quorum admiramur induſtriam, eorum quoque prudentiam ac moderationem imitaremur. Itaque alii ad eam Philoſophiæ partem ſe præcipue contulerunt, quæ peculiarem de moribus tractationem inſtituit, ut Socrates, ut Plato, ut Ariſto, ut Cratippus, ut Ariſtippus; alii ſe converterunt ad alteram, quæ in naturæ perveſtigatione tota eſt, ut

Ari-

Ariſtoteles, ut Democritus, ut Epicurus, ut Anaxagoras. Alii Jus civile, & illam conſtituendarum ac regendarum civitatum prudentiam adamarunt; e quorum numero Solones, Pittaci, Licurgi, Dracones e Græcis exſtitere; atque e noſtris maxime excelluerunt Servii, Caſſii, Scevolæ, Ælii, Manilii, Trebatii; atque alii bene multi; tanto Græcis ingenio & doctrina ſuperiores, quanto Jus civile Romanum præ Græco incondito, ac pene, ut a Cicerone appellatur, ridiculo, gravius fuit & caſtigatius. Nam, quid unquam aliud præter unam Medicinam amplexi ſunt Hippocrates & Aſclepiades? & præter Mathematicas diſciplinas Archimedes, & ille ipſe Euclides? cujus libris, qui adhuc exſtant, ad Geometriam erudimur. Ita, fere diſtributis partibus, alii alia in re ſeparatim elaborarunt, alii alia ſibi eſſe inveſtiganda duxerunt. Quod ſi eorum nonnulli pluribus in ſtudiis verſati ſunt, quod & ego quoque concedo, & ſummis illis viris, qui & ingenio & otio abundabant, concedendum puto; attamen conſtat non eandem omnibus navaſſe operam, & quædam habuiſſe, ut ita dicam, ſepoſita, ad quæ præcipuam curam cogitationemque conferrent.

XXVII. Verum neſcio an hoc, quod dico, atque exemplis confirmare pergo, evidentius in ullis, quam in duabus nobiliſſimis diſciplinis perſpici queat, Oratoria nimirum & Poetica, in quibus ea ferme, tanquam legis

legis præſcriptio a veteribus retenta eſt, ut qui unam excoleret, ab alia abſtineret. Sive hoc a præſtantia quadam harum artium, & majori, quam in reliquis artibus, difficultate, quod ab incredibili excellentium Oratorum & Poetarum paucitate doceri ſatis videtur poſſe, ſive ab alia qua demum cumque cauſa, quam hoc loco inveſtigare non eſt neceſſe, repetendum ſit, illud certum eſt; Neminem prope in tota antiquitate reperiri, qui utrique muneri & Oratoris, & Poetæ, conjunctim ſatisfacere ſe poſſe exiſtimaverit. Quis enim Homeri, quis Heſiodi, quis Theocriti orationes vidit umquam? eorum vero carmina in eruditorum manibus ſunt, & leguntur avide, & probantur mirifice. Idem de priſcis Oratoribus, tum Græcis, tum Latinis, affirmari poteſt, quorum ſi qua exſtat oratio, aut potius ſi quod orationis fragmentum reliquum eſt, nulla eorum carmina nec recitantur nec proferuntur, uno excepto Cicerone, de cujus carminibus quid ſentiendum ſit, ſuo loco jam diximus.

XXVIII. Quid vero? quod hi tanti viri præſtantiſſimis cæteroquin feraciſſimiſque ingeniis prædīti, non modo non ad utramque facultatem Oratoriam & Poeticam, ſed ne ad omnes quidem & ſingulas, ſive Oratoriæ, ſive Poeticæ, quam ſibi potiſſimum delegerunt, facultatis partes accedere auſi ſunt. Præſtitere apud Græcos eloquentia, & in foro cauſiſque, magna ingenii fama, verſati ſunt Demoſthenes, Hyperides,
Æſchi-

Æſchines, aliique complures; Hiſtoriam vero non attigerunt; atque hanc multo nobiliſſimam Oratoriæ facultatis partem Herodoto, Thucydidi, Philiſto, Theopompo, Ephoro, Xenophonti, (quanquam hunc non inter Hiſtoricos numerandum, ſed Philoſophis accenſendum Quintilianus putat), intactam prorſus reliquerunt. Iſocrates ille, ut ab idoneo harnm rerum æſtimatore appellatur, ſummus dicendi artifex, cujus e ludo meri principes prodierunt, eloquentiæ plurimum quidem ſtuduit, & limatiſſimas elegantiſſimaſque ſcripſit orationes; ſed in umbra ac paleſtra ſua conquievit, nec in ſolem, in aciem, in pulverem exire voluit; quem multi diſcipuli imitati ſtrepitum forentem dedita opera conſilioque vitarunt. Hanc quietem & otium Plato adamavit, aliique, qui xyſtis, inambulationibus, ſeceſſu delectati a fori clamoribus, conviciis & contentionibus ſibi conſulto abſtinendum eſſe cenſuerunt.

XXIX. In iiſdem fere veſtigiis inſtitere Romani, quorum plerique ad contentioſum dicendi genus a natura inſtructi, & æqualium exemplo commoti vitam pene totam in foro cauſiſque dicendis contriverunt. Ex his eminent Antonius, Craſſus, Hortenſius, quibus forum palæſtra fuit, in qua quandiu eis vita ſuppeditavit, tandiu cum laude ſe exercuerunt, & ubi eorum præcipue eluxit induſtria. Exſtitere, qui ad Hiſtoriam ſcribendam aggreſſi ſunt, ſed iidem ſibi fori congreſ-

ſionem

ſionem prorſus interdictam putarunt, neque ſe cauſis unquam agendis implicuerunt. Ita cauſas dixit Cicero, ſed Hiſtoriam non ſcripſit; ſcripſit Hiſtoriam Livius, ſed cauſas omnino non dixit. Et Cicero quidem, qui rerum ſuarum Hiſtoriam confici ſummopere concupivit, & ad eam conficiendam nemo fortaſſe magis, quam ipſe idoneus erat, Hiſtoriæ tamen pepercit, neque Cæſarem, qui ſuas res geſtas commentariis a ſe exaratis perſecutus erat, imitatus eſt, & Luceium ſollicite ambiens ac blande prenſans pleniſſima elegantiarum epiſtola enixius rogavit, ut eam provinciam ſuſciperet. Quid plura? idem obſervare eſt in omnibus fere Hiſtoricis, quibus tametſi eloquentia non deeſſet, tamen ſe ad pacatum condendorum annalium ſcriptionis genus contulerunt, & remoti a foro cauſiſque publicis liberale otium utili cum occupatione conjunctum publicis ſive cauſis, ſive negotiis, ſive cujuſcumque generis muneribus prætulerunt.

XXX. Nam quid poſtremo de elegantiſſima illa atque ingenioſiſſima veterum Poetarum natione ſentiemus? An eos, qui ſemel animum ad ſcribendos verſus appulerunt, eoſdem continuo & Epicos, & Tragicos, & Comicos, & Lyricos, & Dithyrambicos eſſe voluiſſe cenſebimus? nihil minus; quod eorum ſcripta ſatis aperte declarant. Tragœdiis ſuis Æſchylus, Sophocles, Euripides e Græcis; atque e Latinis Accius, atque Pacuvius, unice delectati ſunt, So-

lam Comœdiam ornandam ſuſcepere Ariſtophanes atque Menander, quos Græcos auctores noſtri ſecuti Plautus atque Terentius, eandem ſalibus, facetiis, lepore, omni denique urbanitate referſerunt. Subſtitit in demiſſiore carminis genere eximius ille naturæ imitator Theocritus, nec altius evolavit, quam lentæ ſalices, & humiles myricæ patiebantur. Contra fervidus ille, atque ardens Pindarus, qui ad Olympica & his ſimilia certamina celebranda natura agebatur, eo evaſit, quo illum inuſitata quædam & concitatior animi vis impetuſque rapiebant; ut quiſquis eum imitari ſtudeat, *ceratis ope dedalæa* nitatur *pennis vitreo daturus nomina ponto*. Vatibus inſeri Lyricis & hedera redimiri Horatius contentus fuit, atque Epici carminis lauream ac principatum Virgilio reliquit; qui quidem ſi in diverſo carminis genere princeps exſtitit, Lyricam tamen Poeſim attingere non eſt auſus.

XXXI. Percurramus Poetas reliquos, quorum enumeratione reficitur quodammodo oratio noſtra, & quorum exemplis, quod contendo, mirifice confirmatur. Luſit Catullus Hendecaſyllabis præcipue & Epigrammatis ſuis, nec amplius fere quidquam ad prodendam famam nomenque requiſivit; niſi quod ambitum illum in Elegiis Græcorum, & longiorem carminum complexionem Callimachum imitatus ad Latinos verſus traduxit. Neſcio quid tenerum, molle & delicatum, quas ſcripſit, Elegiis afflavit Tibullus,

ſibi-

ſibique in eo ipſo, quem induſtria ſtudioque quæſivit, delicationis ſtyli molliſſimo numero placuit. Grandiores ſpiritus plenioremque ſonum addidit Elegiaco carmini Propertius, & neſcio an illud ab eo, quo claudicare cogitur, impedimento expedierit; ſed eatenus ſe continuit, ut præſcriptos Elegiæ fines nequaquam præteriret. Facilitatem quandam ſibi ab ipſa natura inſitam, miram illam quidem, ac meo judicio vix imitabilem ſecutus Ovidius unum alterumque carminis tentavit genus; a reliquis uberrimo cæteroquin acerrimoque vir ingenio non dicam deterritus, ſed prudenti uſus moderatione abſtinuit. Noſtis cæteros Poetas ſive Græcos, ſive Latinos, & alium alia laude excelluiſſe, alium alii carminis generi navaſſe operam non ignoratis.

XXXII. Hac adhibita præſcriptione, & diſtributis tanquam in ſcena partibus, alii alias partes egerunt, alii aliam perſonam ſuſtinuerunt; nemo certe omnes audacius ſibi licentiuſque arrogavit. Quo factum fuit, ut diviſis muneribus, ſuo quique muneri egregie cumulateque ſatisfecerint, & quo quiſque in genere præcipue elaboravit, in eo principatum obtinuerit; quod ſecus accidiſſet, ſi omnes omnia apetiiſſent. Uſque adeo Poeta ſummus veriſſime ſcriptum reliquit; *Non omnia poſſumus omnes*, & idem alio loco; *Non omnis fert omnia tellus*. Nimirum intelligebant ſapientiſſimi illi viri magnum quiddam eſſe vel in una arte ex-

excellere, ne dum in omnibus excellentiam ſe conſequi poſſe confiderent. Itaque cum viderent artium ipſarum propagines creſcere quotidie magis, & in immenſum luxuriare, eas optimo uſi conſilio amputandas circumcidendaſque cenſuerunt. Quod quidem ſalutare conſilium ipſi primum, ut demonſtravi, amplexi ſunt; & quanquam ad plura conjunctim ſtudia nullis non ingenii præſidiis inſtructi eſſent, tamen maluerunt eorum plerique in uno conſiſtere, quam licentius vagari per multa.

XXXIII. Quod ſi hoc loco de recentioribus, ſive Oratores ii fuerint, ſive Poetæ, ſive alii cuicumque ſtudio dediti, reſpondere cogar, qui ab exacta barbarie ſæculo ſexto decimo incredibili numero, ac plane ſingulari doctrina, in noſtra præſertim Italia, floruerunt, libere quod ſentio dicam. Generatim illi quidem atque univerſe ea, quam indicavi, præſcriptione, tanquam arctioris cujuſdam legis adſtringi ſe vinculis minime paſſi ſunt, ſed exſultantia quadam ingenii eorum nonnulli præſtitutos moderationi fines tranſilire non dubitarunt. Verum excellentiores, qui ſane multi exſtiterunt, aliquam tamen moderationem in ſtudiis adhibuiſſe ſuis certum eſt, & alium alia laude præſtitiſſe, omni vero neminem. Plures utique facultates conjunxit copulavitque vir ille rebus omnibus præcellentiſſimus atque immortalis Petrarcha. Etenim & præſtans Philoſophus fuit, & eloquens & eximius Scriptor exſtitit, ac plane

ne in Etruſco carmine Poeta ſummus; ſed hoc illi fuiſſe concedendum videtur, qui acerrimo a natura inſtructus ingenio pluribus artibus par unus eſſe poterat; & quandoquidem bibliotecas barbarorum jamdiu injuria obſtructas primus recluſerat, nequaquam prohiberi debuit, quin eas ingreſſus jure ſuo quo vellet liberrime ſpatiaretur. Neque vero ſolum recentiores hi, de quibus dico, liberiore quadam poteſtate uſi ſunt, ſed una cum Latina lingua Etruſcam etiam excolendam ſibi eſſe exiſtimarunt, & haberi bilingues voluerunt; &, quod majus eſt, utramque linguam & ad Oratoriam & ad Poeticam conferre non ſunt veriti; quorum ego aliquos ſi viros exſtitiſſe egregios negem, mentiar, Quirites, aut ignorantiæ jure meritoque coarguar. Non reticebo tamen hoc loco, quod vel leviter eruditi non ignorant. Ille ipſe Petrarcha Etruſci carminis princeps, cui nos omnia ſumma conceſſimus, Poema Latinum tentavit quidem, ſed in eo non admodum feliciter verſatus eſt. Porro tantos viros qui deinceps conſecuti ſunt multi, multa quidem complexi ſunt moderatione contempta, ſed non plus multis in ſtudiis profecerunt, quam ut aliquam mediocritatem aſſequerentur. Hinc illa rerum, de qua jam inde ab initio dixi, inclinatio & luctuoſa converſio; hinc omnia ſenſim in pejus deteriuſque prolapſa.

XXXIV. Sed ut eo redeamus, unde digreſſi ſumus, & ad veteres illos, unde optima his in rebus

exempla peti debent, revertamur, videtis, opinor, quam ſapienter bonis artibus artiumque cultoribus providerint, qui eas non diminuerunt ſolum, ſed etiam diminutas ſibi excolendas putarunt. Quo factum fuit, ut & nos improbo onere levaremur, & illi opera ſua ad noſtram uſque ætatem perennarint, eaque nobis abſolutiſſima exemplaria reliquerint, quæ dies ac noctes intueremur, & quorum ad normam formare nos atque effingere conaremur. Atque hæc quidem moderatio & præſcriptio, & a ſummis viris inventa, & ab iis retenta, & poſteritati relicta cara nobis eſſe debet, ſi quidquam in litteris proficere velimus; proficiemus autem multum, ſi ad eandem ſtudia noſtra exigamus.

XXXV. Iſti vero multo aliter ſentiunt ac judicant; omnia ab omnibus diſci volunt; omnia omnibus obtrudunt. Quid? Veteres illi doctiſſimi viri fere ſinguli ſingulas artes amplexi ſunt; nos omnes, iſtis ſuaſoribus atque adeo impulſoribus, amplectemur? Illi aliqua, immo vero multa ignorare ſibi turpe minime duxerunt; nos niſi omnia didicerimus, nullo in numero ab iſtis habebimur? Illi habita ratione ingeniorum, & unius cujuſque virium non plus oneris, quam humana ferre imbecillitas queat, nobis impoſuerunt; iſti nullo diſcrimine, neque ingenii, neque virium habito, eo nos onere prægravabunt, quod ne Athlantei quidem humeri, qui cælum ſuſtinere dicuntur, ferre poſſe videantur? Nullum-

lumne igitur tempus quieti dabimus ? nullum ceſſationi ? curandæ valetudini, conveniendis amicis, negotiis obeundis, nullum ? Proh ſuperum atque hominum fidem ! Si neque cibi, neque ſomni indigeremus, ſi ad ætatem Neſtoris illius Homerici vitam noſtram propagaremus, ſi denique, ut longius progrediar, aſperrimis Caucaſi rupibus duriores eſſemus, tamen nec tantum laborem, nec tantam tamque diuturnam contentionem ferre poſſemus ? Exeſæ diuturnitate temporis rupes ipſæ conſumuntur, quanto magis animi noſtri molles atque imbecilli laboris aſſiduitate frangentur. Contentionem excipiat remiſſio, labori quies ſuccedat oportet ; &, quod præcipuum eſt, certus quidam omnibus in rebus modus adhibeatur neceſſe eſt.

XXXVI. Explicata priore ejus vocabuli parte, quod exponendum ſuſcepi, expono breviſſime alteram. Nam ſi ſcientiæ nomine levem quandam plurimarum rerum notitiam intelligunt ; & tum demum qui omnium artium nomina, genera, ſpecies teneat, qui librorum indices decurſos habeat, qui lingua promptus ſit, qui omnibus de rebus temere ſententiam ferat, qui quidquid in os ſalit, inconſideratius effundat, audax ; effrons, impudens, eum & intelligentem, & ſapientem, & *omniſcientem* appellant, non eſt cur amplius verbum addam ; do manus, retexo orationem meam, fateor erraſſe me,

& falſa vocabuli interpretatione fuiſſe deceptum. Concedo facilem in promptuque eſſe omnibus iſtiuſmodi ſcientiam. Verum aliqua, opinor, dignabor venia, qui cum ſcientiæ nomen uſurpari audiebam, eam ſignificari arbitrabar, quæ ad conciliandam auctoritatem, non ad corroborandam impudentiam valeret. Putabam falſò quidem, ſed putabam tamen, cùm vir doctus ac ſciens quæreretur, non bibliopolam quæri, qui libros venales haberet, de eorumque titulis ac pretio docere emptores poſſet, ſed qui libros ipſos diu multumque pervolutaſſet, in iiſque non legendis ſolum, ſed probe intelligendis vitam egiſſet ſuam. Dicam preſſius; Eam & eſſe, & haberi ſcientiam exiſtimabam, quæ intima eſſet alicujus rei, & certa perceptio.

XXXVII. Hac falſa perſuaſione inductus quotieſcumque, ut hoc ab arte mea deſumptum exempli loco ponam, M. Tullium Ciceronem in manus ſumebam, in ejuſque orationes mentis aciem obtutumque defigens, tantum Oratorem attentius intuebar, cum illum rem penitus cauſamque, quam tractat, intimeque cognoſcentem, ſingula acute dividentem, circumſcripte definientem, rationibus confirmantem, omnes argumentorum ſedes peragrantem, argumenta callide diſponentem, lubricos atque ancipites locos aut artificioſe diſſimulantem, aut mira dexteritate prætervolantem; eundem nunc elatum, nunc depreſ-

preſſum ; nunc contractum, nunc remiſſum ; nunc lenem & quietum ; nunc acrem & concitatum ; modo adverſario vehementius inſtantem, modo honeſte cedentem, modo ferocius inſurgentem ; iram, odium, invidiam, ſpem, metum, amorem, commiſerationem excitantem, concioni imperitatem, animos præcipue Judicum agentem quo velit, unde autem velit deducentem, efficientemque pro poteſtate, Judex ut iraſcatur, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat, lætetur, doleat ; totum forum, quod eſt caput artis, plangoribus, gemitibus, lamentationibus, lacrymis, ſuſpiriis permiſcentem ; omni denique ratione omnium animos permoventem, ac ſuo arbitratu pertractantem viderem, quæ divinæ hujus viri eloquentiæ vis eſt, horrore quodam concutiebar, nec ſatis eam ipſam eloquentiam, quæ una ſe tot in partes daret, tot perſonas ſuſtineret, tot ſe in formas converteret, tot clamores plangoreſque excitaret, tot ac tanta tam varia, tam diverſa, tam diſcrepantia inter ſe ac pugnantia auderet, ſuſciperet, perficeret, ſatis poteram admirari.

XXXVIII. Neque vero his contentus eodem ſemel, iterum, tertio, atque eo amplius relabebar, revertebarque rurſus ad eundem Oratorem, quo in intimiora, ſi quomodo poſſem, penitioraque artis adyta pervaderem, aut pervadere ſaltem conarer,

rer, & vultu, ore, oculis imminens, & in ejus lectionem mente, animo, cogitatione tota me totum conjiciens, cum animadverterem, (Orat. num. xl.) *ut verſet ſæpe multis modis eandem & unam rem; ut hæreat in eadem commoreturque ſententia; ſæpe etiam ut extenuet aliquid; ſæpe ut irrideat; ut declinet a propoſito deflectatque ſententiam; ut proponat, quid dicturus ſit; ut, cum tranſegerit jam aliquid, definiat; ut ſe ipſe revocet; ut, quod dixit, iteret; ut argumentum ratione concludat; ut interrogando urgeat; ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat; ut contra, ac dicat, accipi & ſentiri velit; ut addubitet, quid potius, aut quomodo dicat; ut dividat in partes; ut aliquid relinquat ac negligat; ut ante præmuniat; ut in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpam in adverſarium conferat; ut ſæpe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adverſario quaſi deliberet; ut hominum ſermones moreſque deſcribat; ut muta quædam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut ſæpe in hilaritatem, riſumve convertat; ut ante occupet, quod videat opponi; ut comparet ſimilitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alii tribuens diſpertiat; ut interpellatorem coerceat; ut aliquid reticere ſe dicat; ut denuntiet, quid caveant; ut liberius quid audeat; ut iraſcatur etiam; ut objurget aliquando; ut deprecetur; ut ſupplicet; ut medeatur; ut a propoſito decli-*

*net*

*net aliquantulum*; *ut optet*, *ut execretur*; *ut fiat iis*, *apud quos dicit*, *familiaris*; *ut omnes dicendi virtutes ſequatur*; *ut brevitatem ſi res petet*; *ut rem ſubjiciat oculis*, *ut ſupra ferat*; *quam fieri poſſit*; *ut ſignificatio ſæpe ſit major*, *quam oratio*; *ut ſæpe hilaritas* efflorefcat, *ſæpe vitæ naturarumque imitatio* exprimatur, & ſi quid eſt aliud, ut certe eſt, quod in excellenti oratore obſervandum ſit, nimirum ut ſingula digerat, collocet, diſponat, diſpenſet, ordine, loco, tempore, opportunitate; diſtinguat inſignibus, ornet, variet, nunquam non ſervato decoro, dignitate ſemper retenta, habita ratione rerum, perſonarum, concionis totius; ut virtutibus omnibus affluat, ut ornamentis rerum, verborum, ſententiarum abundet, quibus eloquentia gravis, ſplendida, copioſa, grandis, locuples, illuſtris, magnifica, illa uno verbo *flexanima*, *& omnium*, ut a bono Poeta appellatur, *regina rerum* inſignita procedit, hæc, hæc inquam, omnia cum animadverterem, & mecum ſingula diſpiciens attentiuſque contemplans volutarem, nova rurſus admiratio, novus iterum ſtupor, novus horror conſequebatur, ac diu multumque in eadem cogitatione attonito ſimilis defixus tum paullatim ex illo ſtupore atque horrore me colligens ac recipiens tantum virum ejus, quam profitebatur, artis vere ſcientem eſſe, & apud me ſtatuebam, & ulla ſine hæſitatione pronunciabam.

XXXIX. Iſti

XXXIX. Iſti vero multo aliter ſcientiæ nomen interpretantur. Non illos multitudo artium, non rerum copia, non varietas incredibilis, non ſumma ſcientiæ ipſius difficultas terret. Nihil his moventur; pergunt, inſtant, contendunt; Neminem niſi immenſum doctrinæ apparatum atque inſtructum afferat, nec haberi, nec appellari poſſe ſapientem. Quid his hominibus facias? aut quibus tandem rationibus eos convincendos, aut verbis caſtigandos putes? Quin potius illos dimittimus, & nos met ad ſalutarem illam nobis a veteribus prudentiſſimis ac ſapientiſſimis viris relictam, & omnino, ſi aliquam aſſequi doctrinam volumus, adhibendam præſcriptionem revocantes iis iſtam, qua ſubnixi ambulant, & tantopere ſibi placent, *omniſcientem* ſapientiam relinquimus.

DE

DE CONTRAHENDA

# ENCYCLOPÆDIA

AD QUIRITES

## *Oratio II.*

SI quantum a nobis, Quirites, qui aliquam bonis artibus damus operam, & aliquid certe quidem in noſtris quique ſtudiis pro ea, quam nacti ſumus, facultate proficere volumus, ab Encyclopædiæ fautoribus exigitur ac poſtulatur, tantum nos perſolvere & poſſemus & deberemus; uti juſta eorum, & æqua poſtulatio, ſic injuſta noſtra eſſet, ac plane iniqua recuſatio. Verum cum iſti indebita poſcant, quæ præſtare nos nec poſſumus nec debemus, quid eſt? cur nobis moleſti ſint, ac negotium faceſſant, ſi injuſtæ atque indebitæ petitioni juſtam ac debitam recuſationem opponamus. Exſpectandum, credo, erit, dum litem nobis intentent; dum

dum nos in jus rapiant, & manu conſertum vocent, ut ab invitis ac repugnantibus iniquo jure conentur extorquere per vim, quod æquo jure a lubentibus obtinere volentibuſque non poſſunt. Ingens profecto, ac nullo modo ferenda importunitas, qua id agitur contra jus faſque omne, ut vis hominibus innoxiis, & iis quidem bene litteraria de Republica meritis, cui utilem, quam poſſunt, navant operam, vis inquam afferatur; & quod nec jure obtineri, nec impetrari rogando poteſt, id injuria, & adhibita violentia expugnetur. Etenim quod injuſte a quoquam exigitur, juſte uno verbo negatur; & quod impudenter petitur, non pudenda, ſed honeſta recuſatione rejicitur. Neque vero quo tantam importunitatem aliqua probabili ratione aut defendendam, aut ſaltem excuſandam ſuſcipiant, ita ſe gerere affirmare poſſunt, uti cum emptoribus venditores ſolent, apud quos illud jam invaluit, & vulgo ab iis ac paſſim uſurpatur, & vero etiam communi ſermone teritur; *Injuſtum petas, ut juſtum feras*. Nam, præterquamquod inter juſtum & injuſtum magnum interjacet diſcrimen, juſti & injuſti varii quodammodo diſtinguuntur gradus, quibus paullatim ab inferioribus ad ſuperiores aſcenditur, donec ad ſupremum, & tandem in ipſo etiam juſto ad iniquum deveniatur. Jam ſi venditor ſenſim ab iniquo pretio, quod ſtatim in ipſo congreſſu emptori propoſuit, ſive ad medium, ſive ad infimum delabatur, ad æquitatem-

que

que deveniat, non erit reprehendendus, ſi prima denunciatione injuſtum pretium emptori intentaverit ſuo, neque vero ullam ei injuriam irrogabit. Si iſti iſto ſe modo gererent, & poſtulata ipſi etiam ſua ad moderationem quandam æquitatemque contraherent, ſublata jam omnis inter me & ipſos eſſet controverſia. Sed contra eſt; Non enim quocumque gradu contenti ſunt, ſed continuo ad exaggeratum evadunt, & in eo, quem primo inſederunt, pugnacius obſtinatiuſque conſiſtunt. Et ſane cum omnia ſumma in quaque arte ac diſciplina paſſim a diſcendi ſtudioſis requirant; cum exaggerata quædam doctiſſimorum, ſapientiſſimorumque virorum exempla non tam ad imitandum, quam ad æmulandum proponant; cum ignorantiæ cujuſdam objecto veluti ſpectro nos perterrefacere contendant; cum ſempiternam nomini noſtro, niſi prope omnia didicerimus, inurendam notam opponant; cum negent quemquam haberi jure poſſe & eſſe ſapientem, qui non omnium artium vim ac magnitudinem cognitione complexus ſit; cum ſapientiam nullis terminis circumſcribant atque definiant; cum ſapientiæ ipſius ſtudium unicuique a natura ipſa inſitum atque ingeneratum acrius incitent, quam par eſt, ac vehementius inflamment, cum ſplendidum illud ac magnificum Encyclopædiæ vocabulum ad ſtomachum uſque ac nauſeam audientium uſurpent, ac paſſim obtrudant; cum denique hæc aliaque hujuſmodi in ſpeciem ea quidem

dem vera, ſed reapſe falſa jactent ac prædicent, ſatis profecto mihi videntur hac ſuper re mentem ſuam, nimirum utrum æquitate ducantur an ſecus, aperire, ſententiamque declarare. Quare dabunt mihi etiam, opinor, hanc veniam, ut ego quoque, quod ſentio, libere expromam, & mentem meam hac ipſa de re ſenſuſque declarem. Multa hoc ſuper argumento ſuperiore oratione jam dixi, nunc propius tum ad iſtos, tum ad argumentum ipſum accedam, & ea ipſa, ſaltem præcipua, quæ ad inflammandos Encyclopædiæ ſtudio inconſultorum hominum animos ſupra modum efferunt, paullo diligentius atque accuratius expendenda ſuſcipiam, ut, ſi quo modo poſſim, tantum, quem iſti nobis facere & ſtudiis noſtris allinere ſolent fucum, non tam ab artibus ipſis, quam ab artium ipſarum cultoribus, hac oratione mea prorſus abſtergam.

II. Atque ut ab ipſo Encyclopædiæ vocabulo, in quo magnum iſti ineſse momentum arbitrantur, exordiar, quid tandem cum vocabulum illud, non tam ſplendidum ac magnificum, quam ipſis uſitatum ac familiare inflato & ſonanti ore pronunciant, quid, inquam, ſibi videntur dicere? quid a nobis putant intelligi? An, quia illa voce apud imperitos, qui fere, quæ ignorant, mirantur atque ſuſpiciunt, multum profecerint, aliquid etiam ſe apud nos ejuſdem uſurpatione atque iteratione vocis profecturos eſſe confidunt?

dunt? Non equidem credo iſtos tam malam de nobis habere opinionem, & uſque eo qualemcumque hanc noſtram in litteris mediocritatem contemnere, ut exiſtiment ſimiliter, atque imperitorum vulgus, peregrinæ vocis ſono commovere nos poſſe atque pervertere. Quid enim eſt Encyclopædia? *Niſi orbiculata quædam omnium artium ſeries, & quaſi orbis doctrinarum*. Hoc, opinor, eſt, & aliud nihil; ſi Græcæ vocis vim probe aſſequimur, ejuſque poteſtatem rite interpretamur. Quod ſi ita eſt, quid cauſæ eſſe dicam, cur hujuſmodi vocabulum tam ſæpe ab iſtis uſurpetur, & ad nauſeam uſque atque faſtidium bonarum artium ſtudioſis perinde obtrudatur, ac ſi eo uno vocabulo ſtudiorum recte inſtituendorum ratio omnis ac ſumma contineretur.

III. Nam quid unquam ad profectum in aliqua ſeparatim arte faciendum, & vero etiam ad excellentiam eadem in arte conſequendam ſeries illa, ſive orbis conferre poteſt? Si artes ſingulæ, nulla excepta, nobis eſſent addiſcendæ, tunc profecto minime dubium, quin ea ſerie, ex qua rerum ordo quidam inter ſe aptus & cohærens exſiſteret, non dubium, inquam, quin ad perfectam abſolutamque artium ipſarum perceptionem ea ipſa continuata diſciplinarum ſe invicem excipientium ſerie magnopere juvaremur. Verum artes omnes cum percipere minime neceſſe ſit, & bene multas nobis impune liceat ignorare, non

 video

video quid mea, quid veſtra, quid cujuſquam, qui alicui ſeparatim arti, aut etiam pluribus ſtudere velit, intereſſe aut poſſit aut debeat, utrum artes ipſæ ſint in orbem diſtributæ, an in quadrum collocatæ, aut in quincuncem redactæ, aut alio quovis ordine deſcriptæ ac modo. Profecto quod ad me attinet, exſiſtat ſane orbis ille; non moveor, non perturbor, dummodo illum ego non adigar obire totum atque percurrere. Series artium, quomodocumque libeat, per me licet inſtituatur; hæc certe ſeries ne minimam quidem mihi moleſtiam creat, negotium faceſſit nullum; &, quandoquidem mihi ipſi liberum eſt a quacumque malim arte exordiri, & in quacumque velim deſinere, & hanc vel illam optare, & reliquis anteponere, rurſus, quam optarim, rejicere & aliam amplecti, iſta ipſa ſeries me profecto non repugnante, & vero etiam annuente, ſi iſtis ita placet, vel in immenſum producatur. Quantum ſeries ipſa proceſſerit, tantum recedam ego, & ad æquitatem me recipiens non excurram longius, quam meæ vires patiantur, & moderationem meis in ſtudiis ſecutus in ea tanquam in tuta ac certa ſtatione conquieſcam.

IV. Quorſum igitur iſta iſtis auctoribus Encyclopædia pertinet? quo ſpectat? quo refertur? cur toties iteratur? toties ingeritur? Aliquid profecto rationis, aliquid certe momenti, & vero plurimum & rationis & momenti habere exiſtimanda eſt, quandoqui-

doquidem ab iſtis non ſuadetur modo, ſed etiam præcipitur, & paſſim ac vulgo moleſta ſane atque odioſa interpellatione efflagitatur. Dicam equidem, Quirites, nec vos tenebo diutius in ipſo prope aditu atque veſtibulo orationis. Contendunt non in orbem ſolum diſtributas eſſe diſciplinas, quod parum certe ad id, quod volunt, evincendum conferret; ſed, quod unum maxime laborant, & in quo uno Encyclopædiæ vim ſitam præcipue ac locatam putant, orbem hunc ipſum tam arcte coagmentatum conglutinatumque eſſe, ut diſtrahi omnino non poſſit atque divelli; qua de cauſa fiat, ut omnes aut a nobis aſſumendæ neceſſario ad ſapientiam comparandam ſint artes, aut earum aliqua vel per inertiam omiſſa, vel propter ingenii imbecillitatem præterita, prorſus ſit de ipſa acquirenda ſapientia deſperandum. Hinc illa ſeries excogitata diſciplinarum, hinc ille omnium orbis inventus artium, ut minime mirandum ſit, ſi tantum momenti in ipſa Encyclopædia ab ejuſdem ineſſe fautoribus & affirmetur & exiſtimetur.

V. Hæc illi; quæ quidem ſi vere dicerentur, non repugnarem utique, neque iis in hoc ſuccenſendum arbitrarer; immo potius ſummam iis haberem gratiam, quod tenuem ac perexiguum doctrinæ noſtræ cenſum, oblata rerum omnium ſcientia & cognitione, novo veluti eoque ampliſſimo proventu locupletandum amplificandumque curarent. Sed hæc, quæ ja-

ſtantur ab iſtis paſſim, & mirifice efferuntur, cum aut omnino falſa demonſtrentur, aut ſi aliquid forte veri admixtum habent, id ejuſmodi ſit, ut ad decipiendos potius magnificis pollicitationibus imperitorum animos pervertendoſque accommodetur, quid eſt quod nos impediat, quominus rem hanc paullo accuratius nunc examinemus; & vero etiam experiamur an gluten illud, quo artes omnes inter ſe adſtrictas eſſe volunt, adeo tenax ſit, ut nulla vi diſſolvi queat atque divelli; orbis autem ille, quem eædem artes iſtis auctoribus prope magicum conficiunt, efficacibus adeo cantionibus ſit conſtitutus, nulla ut excantari arte poſſit. Tentemus igitur, ſi placet, rem iſtorum ſententia perdifficilem, mea vero valde facilem, & amotis contentionibus quieto ac pacato animo veritatem exquiramus.

VI. Ac primo quidem de diſſociandis artibus diſtrahendiſque non eſt, cur eſſe nobis magnopere laborandum putemus, quas plane conſtat jam inde uſque ab ipſarum exortu, &, ut ita dicam, incunabulis diſſociatas fuiſſe atque diſtractas. Nam cum aliæ aliam prorſus naturam, aliam vim, aliam indolem habeant, alius aliis ſit propoſitus finis, illud etiam conſequitur inter eas & eſſe, & nunquam non maximum neceſſario fuiſſe diſcrimen. Hoc ab ipſis artium Repertoribus & videri, & provideri omnino debuit, ſiquidem aliquid efficere voluerunt, quod ad communem uſum utili-

ta-

tatemque referrent. Quapropter ſua cuique arti accommodanda omnino erant præcepta, & hæc ipſa quidem ita cujuſque artis indoli ac naturæ convenientia, ut nullo modo cum aliis aliarum artium præceptis congruerent, quo certius ſuum quæque finem aſſequeretur. Neque vero obſtat, quod communi *Artis* genere omnes intra quædam veluti ſepta concluſæ ſint, & inter ſe devinctæ contineantur. Nam cum genus illud longe lateque pertineat, & nullis prope terminis circumſcriptum ſit, facile admodum fuit & illa ſepta tranſilire, & illa vincula diſſolvere, nec prohiberi omnino potuit, quo minus aliæ alio abirent, & proprias non ſolum ſpecies ſibi adſciſerent, ſed genera etiam ipſa conſtituerent.

VII. Hæc, niſi fallor, æque vera, ac clara ſunt; ſed ut id ipſum, quod dico, & clarius illuſtretur, & planius doceatur, contendamus, ſi placet, artes inter ſe, & videamus quod nam tale ac tantum vinculum, aut Juriſprudentiam, exempli cauſa, cum Aſtronomia colliget, aut Medicinam cum Poeſi devinciat, aut utramque, Aſtronomiam videlicet & Medicinam, una conjungat, ut ſeparari invicem diſſociarique non poſſint. Age vero quid negotii unquam fuit, aut eſſe potuit, aut omnino debuit Juriſprudentiæ cum Aſtronomia? Quid æquabiles illæ cæleſtium ſignorum atque orbium converſiones, quid ſolis lunæque defectus, quid ortus, quid obitus, quid infinita illa numerorum

congeries, quibus Aſtronomi occupantur quotidie, quid inquam, commune habent cum uſucapionibus, gentilitatibus, agnationibus, nexis, mancipiis, teſtamentis? Ego certe quid commune habeant non video, neque videre vos arbitror, niſi forte aliquam Aſtronomiæ cognitionem Cauſidico adjungendam idcirco exiſtimemus, quia non raro de ſtillicidiis, de alluvionibus, de circumluvionibus, cum cælo utique neceſſario conjunctis, lites emergunt, quæ graviſſimum perſæpe clientibus faceſſere negotium ſolent.

VIII. Quid ergo eſt, quod ego, quod vos, quod alius quiſpiam a Juriſconſulto requirat? Non certe quidem ut ea, quæ Aſtronomi ſunt, curioſius inquirat; ſed ut, illis omiſſis, quæ ad ſe artemque ſuam nihil pertinent, ea, quæ proprii muneris ſunt atque officii, digentius perſequatur. Quamobrem bonus ac probabilis Juriſconſultus omnium ſententia & habebitur, & judicabitur is, qui ſit in communi, ſit in privato, ſit in publico, ſit in municipali, ſit in pontificio jure verſatus; non patrium morem, non diſciplinam, non inſtituta, non leges ignoret; ſenatuſconſulta, edicta, decreta, reſponſa nota habeat; formulas, exceptiones, abrogationes calleat; ea denique, quæ prudentiſſimi viri, & legum Interpretes ſapientiſſimi litterarum monumentis prodiderunt, legerit, cognorit, expenderit, & cum demum hæc omnia non intermiſſo ſtudio diligentiaque præſtiterit, ac probe fueri t.

aſſe

aſſecutus, nihil profecto erit amplius, quod neque ego, neque vos, neque vero quiſquam alius ab eo requirat; nec vero dubium, quin muneri ſuo egregie ſit cumulateque ſatisfacturus.

IX. Præclaram enim vero noſter hic Juriſconſultus, ſi ſecus ſe gereret, operam clientibus navaret ſuis. Agitur perſæpe de cernenda hæreditate; de jure ambigitur; a potenti adverſario lis intentatur; tabulæ, ſcripta, teſtamenta proferuntur. Cuja res eſt Patroni ſui officium, conſilium, fidem, diligentiam enixe implorat. Hic vero domi ſedet otioſus, & in ſtellarum ſignorumque cæleſtium contemplatione defixus Archimedem illum imitatur, qui conflagrantibus Syracuſis, perinde quaſi nec ſua, nec civium ſuorum res ageretur, nihil de propria, nihil de communi ſalute exitioque ſollicitus neſcio quas geometricas lineas radio deſcribebat in pulvere. Male profecto atque adeo peſſime clienti illi, cui talis Patronus obtigerit, qui malit animo vagari per cælum, quam reſidere in terra, & in foro cauſiſque verſari. Quare Juriſprudentiæ qui ſtudet, is profecto, ſi ſapiet, neque omnino deſipiet, ſuas ſibi res habere Aſtronomos ſinet, nec ſe eorum rationibus implicari patietur. Dabit operam ut ea, quæ ejus, quam profitetur, artis ſunt, aut eandem aliquo modo attingunt, ediſcat planeque cognoſcat; cætera vero longe a ſe ſtudiiſque ſuis removebit, quæ ſua cum arte atque doctrina non ſolum non

cognatione aliqua, ſed ne minima quidem affinitate junguntur.

X. Quod de Juriſprudentia diximus, idem affirmari de Medicina ſimiliter poteſt, cui etiam nullum arbitror cum Poetica aut eſſe, aut unquam fuiſſe, aut vero eſſe potuiſſe negotium. Audio quidem Medicos inveniri quoſdam, nec ſane paucos, qui nimio plus, quam ars gravis in primis ac neceſſaria ferat, Poeſi delectantur; eaque de cauſa Taſſum ſolere frequentius evolvere atque Areoſtum, quam aut Hippocratem, aut Galenum legere; eoſdem vero quos extuderint verſiculos ad coronam non erubeſcere conventumque recitare; qui quidem neſcio utrum amice de proprio officio admonendi ſint, an potius, quod illud negligant, paullo acrius ac vehementius exagitandi. Quid? tu mihi Muſarum lenociniis capieris? tu nugas? tu inanes fabellas, aliaſque hujuſmodi delicias mihi conſectaberis, qui artem tam gravem, tam ſeveram, tam neceſſariam profiteris? ecquid vides? ecquid conſideras? ecquid animadvertis? quomodo te geras, & quibus ſtudiis ſic diſtinearis, ut quæ tui muneris ſunt, & tuam præcipue curam, aſſiduitatem, diligentiam efflagitant, omittas, & præ leviſſima delectatione parvi pendas, ac pro nihilo ducas. Non enim parva res agitur, ſi recte attendis, nec contemnenda. Agitur ægroti ſalus, agitur vita ipſa, quæ ſummum in diſcrimen adducitur, cui niſi tu opportune ſubveneris, non erit

erit ullus poſtea ſubſidio locus. Vide igitur quid agas, & quibus in nugis occuperis, ſerio cogita atque perpende. Ægrotus fortaſſe agit animam, tu dum aliud agens verſiculos conſcribillas tuos; eodem ille momento temporis cum inſtanti morte fortaſſe contendit, quo tu cum ſyllabis carminum dimenſionibuſque luctaris. Utrum magis neceſſarium putas quatuor extricare verſiculos, an infirmi valetudinem graviſſimo implicitam morbo explicare?

XI. Scio equidem Apollinem & Muſarum præſidem eſſe, & Medicinæ inventorem fuiſſe, ſed neſcio an æque feliciter Medicus iſta poſſit componere, ac Poetæ, qui has per otium fabellas commenti ſunt, copularunt. At licet interdum animi cauſa ad Muſarum hortos divertere. Audio; nec ego quidem repugno; ſed illos credo, unde Medicus

*Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi*

poſſit; reliquos vero, unde tantum ineptire condiſcat, obſtructos eidem cenſeo eſſe oportere ac prorſus intercluſos, niſi forte ad brevem excurſum, &, ne nimium odioſus alieni muneris exactor videar, ad honeſtam tantum aliquam a ſeverioribus ſtudiis relaxationem. Liquet igitur Medicam artem a Poetica non ſolum eſſe poſſe, ſed omnino eſſe debere ſejunctam; liberum proinde Medico erit Poeſim ignorare, Muſiſque valedicere, quas artis ſuæ adminiſtras, graviſſimique muneris adjutrices habere nullo modo poteſt.

Expli-

XII. Explicatis hoc modo ab alienorum occupatione ſtudiorum, & propemodum in tuto poſitis duabus artibus maxime neceſſariis, quarum altera bona noſtra tuemur, altera vitam ipſam conſervamus, perfacile eſt eaſdem etiam expedire inter ſe atque explicare. Nam in tam diſpari indole diverſiſque muneribus quæ umquam eſſe conjunctio poteſt atque conſenſio? Planetarum converſionem ortus, obitus, motuſque ſiderum, quam diximus, Aſtronomia contemplatur; morbos, vulnera, affectam valetudinem pervestigat Medicina. Illa per immenſos cæli tractus licentius liberiuſque diſcurrit; hæc fere ægroto aſſidens ejus lecto affixa hæret, ab eoque, niſi forte ad breve tempus, nunquam diſcedit. Quid ergo eſt cur una cum altera implicita ſit? cur una alterius requirat operam? cur auxilium imploret? Itaque tam eget Juriſprudentia ope Medicinæ, quam Medicina Juriſprudentiæ; hoc eſt neutra alterius adjumento indiget atque ſubſidio, uno dumtaxat excepto tempore, ne in omnibus videar iſtis contradicere, quo & Juriſconſultus ægrotet, & Medico lis inferatur, tum profecto invicem collato ſtudio juvabuntur, & Medicus poterit expedire valetudinem Juriſconſulti, & Medici litem Juriſconſultus componere.

XIII. Sed modum non haberet oratio, ſi eandem ſingularum artium vellem cum reliquis inſtituere contentionem. Hoc præſtare per ſe quivis facile poterit,

rit, ſi unam tantum artium ipſarum naturam, indolem, ingenium, munera, atque officia ſibi proponat. Lineamenta, formas, intervalla, magnitudines ſcrutatur Geometria. Muſica numeros, voces, modos perſequitur ſuos. Res corporeas & ſenſibus obnoxias conſiderat Phyſica; contra quidquid concretum eſt & corporeum reſpuit Metaphyſica atque averſatur. In diſquiſitione virtutum atque vitiorum verſatur Ethica, & de noſtris componendis moribus laborat unice. Quid multa colligam? ſuum ut cuique arti proprium ac ſingulare munus adjunctum eſt, ita illud urget quotidie, nec quidquam præterea, in quo ſe libenter exerceat, magnopere requirit. Diſtinctis iſta ratione artibus inter ſe, diviſiſque muneribus, quæ alia alio ſpectant ac diriguntur, ſuum quæque ars contendit ad finem, eumque & certius & facilius aſſequitur. Quæ quidem omnia tam ſapienter diſpoſita, & tam accurate diſcreta cum ſint, ſi permiſcere quis velit atque confundere, tunc neceſſario talis rerum exſiſtet perturbatio, ut non modo ulla ars proprium ſibique ſingulatim attributum finem non conſequatur, ſed ne illum quidem propoſitum omnibus atque communem poſſit obtinere, nimirum humanum ut animum pro ſua quæque parte perpoliat atque perficiat.

XIV. Qua in re ſubit interdum ſapientum cæteroquin Virorum prudentiam & moderationem requirere, atque eorum præſertim, qui a primis illis artium

tium Inventoribus artium ipſarum exſtitere Doctores, qui hoc fere vitio laborare deprehenduntur, ut, qua de arte præcipiunt, illam fere magnificentius extollant, atque, ut ea prope regifice ornata & comitata procedat, eidem uni reliquas artes ancillas faciant atque pediſſiquas. Horum mihi ab iſtis objicitur auctoritas, quam diſſimulare nec poſſum, nec debeo. Videntur enim iſtam ipſam, de qua nunc loquimur, Encyclopædiam amplecti, & iſto ipſo, quo iſti contendunt, amplecti modo, in eaque opinione eſſe, nullam artem perfecte atque abſolute ſine reliquarum artium ope atque ſubſidio addiſci poſſe. Sed ut horum ſuſpecta oratio eſt, ita omnino nobis hoc loco elevanda videtur auctoritas.

XV. Si qua exſtat ars, quæ omnium prope artium cognitionem ſuo ſibi propemodum jure vindicare poſſe exiſtimanda ſit, ea certe eſt Oratoria. Nam cum plurimarum maximarumque rerum copia atque ſplendore effloreſcere debeat eloquentia, & Oratoris munus poſtulet, ut non ſolum de quaque re ille dicat, ſed docte, ſed erudite, ſed ad perſuadendum accommodate dicat, videtur ei ſuo jure tribuendum, ut omnes artes ejus unius, quam profitetur, artis ſocias habeat atque adminiſtras. Multa in hanc ſententiam egregie more ſuo & copioſe diſputat Tullianus ille Craſſus, qui cum ipſe ſummus Orator eſſet, & cum Oratorem perfectum ac numeris omnibus abſolutum animo

mō informaſſet ſuo, eumque in foro Romano, hoc eſt in omnium gentium luce, atque ampliſſimo totius terrarum orbis theatro collocare ſtatuiſſet, nihil ei, quod ſciri ad doctrinam atque ad eruditionem poteſt, non adjungit, eumque in omnibus propemodum artibus vult eſſe apprime doctum, in iiſque probe verſatum. Hæc ille quidem egregie; ſed non minus egregie, atque adeo magis appoſite ad veritatem refellitur ab Antonio, clariſſimo in primis & eloquentiſſimo Oratore, qui multum & vero plurimum de tanta ſupellectile, ac tam lauta copia circumcidit atque amputat, remque omnem ad quandam æquitatem, majori, ut mihi quidem videtur, prudentia uſus ac moderatione adducit.

XVI. Verum neſcio an hoc ipſo in præceptionum genere, de quo dicimus, moderationis & æquitatis fines quiſquam alius intemperantius licentiuſque tranſilierit, quam Vitruvius, vir cæteroquin doctus & eruditus, &, quod caput eſt, ejus, de qua ſcribit, artis certe ſcientiſſimus. Negat is niſi ex *Litteratorum* numero petendos eſſe Architectos. Aſſentior. Atque hæc quidem præſcriptio ſi nunc vigeret, ut ii, qui litterarum prorſus ignari, operarii verius habendi ſunt, quam Architecti, ab hoc munere aut arcerentur, aut removerentur, melius ſane ædificiis noſtris conſultum eſſet, & vetus illa plena roboris, plena dignitatis, uno verbo Romana ædificandi ratio jamdiu intermiſſa revocaretur. Verum

XVII. Verum cum Architectum a *Litteratorum* numero audio eſſe petendum, ea ſtatim cognitio litterarum venit in mentem, quæ ejus artis propria ſit, atque ab Architecto non abhorreat. Nimirum ut primis non leviter tinctus, ſed imbutus ſit litteris; ne ſit omnis prorſus eruditionis expers; ſit etiam non omnino indiſertus, ut cum opus fuerit, poſſit illos, quorum intererit, docere, & probabilem iis artificii ſui rationem exponendo reddere. Porro ex omnibus liberalibus diſciplinis Geometriam ſibi in primis eſſe cognoſcendam intelligat; ei vehementer ſtudeat, eamque bene calleat, ſine qua ejus ars nulla eſt. Ad hæc mihi afferat quandam ſollertioris ingenii habitudinem, qua ſagax ſit & acutus in excogitando, ut locum omnem, quo excitari ædificium debet, cogitatione cum ſepſerit, eundem callide ſciteque diſpertiat, nequa pars vacet, nequa redundet; in conſtituendo autem conformandoque opere toto duas res longe difficillimas attemperare norit atque componere, ut quantum dignitatis ad majeſtatem ædificio addendum putat, tantumdem videat, ne adimat commodi ad habitandum. Hæc ſunt, quæ ego quidem a *Litterato* Architecto quærenda eſſe arbitror. Neque vero opinor erit, cur de me Architectus queratur, quicum nimis fortaſſe liberaliter egiſſe mihi videor, cui non ſane pauca conceſſerim atque detulerim. Nam ſi quid præterea ſcierit, id non ejus, quam profitetur, artis

pro-

proprium ac ſingulare exiſtimandum erit, ſed aliunde ab eodem velut aut ad pompam, aut ad privatam eſſe eruditionem aſſumptum.

XVIII. Verumtamen, quis credat? Vir hic, de quo dico, his contentus non fuit, cui neſcio quomodo tot ac tanta, quanta re ipſa poſtulat, venerit in mentem ab Architecto poſtulare. Audiamus ipſum; *Sit*, inquit in ipſo exordio præclariſſimi Operis de Architectura ſui, *ſit Architectus litteratus, peritus Graphidos, eruditus Geometria, & Optices non ignarus, inſtructus Aritmethica, hiſtorias complures noverit, Philoſophos diligenter audierit, Muſicam ſciverit, Medicinæ non ſit ignarus, reſponſa Juriſconſultorum noverit, Aſtrologiam cælique rationes cognitas habeat*. Quid hic ego dicam, Quirites? Parco homini docto & erudito, ignoſco Architecto nobiliſſimo & peritiſſimo, qui quam ſibi cariſſimam veluti ſponſam adoptarat artem, cum minus, quam vellet, inſtructam copiis, ac prope indotatam videret, eam aliarum artium ſpoliis ornare ſtuduit, exuviiſque locupletare.

XIX. Nulla igitur erit inter artes ſocietas, nulla cognatio? Non auſim negare ullam, non abnuerim concedere aliquam. Sed nihilo tamen minus dico illam ſocietatem, quæcumque ea ſit, & quantacumque ſit, diſſolvi, hanc dirimi cognationem poſſe. Dico re ipſa a præſtantiſſimis & doctiſſimis viris, quod ſuperiore oratione demonſtravi, tum illam ſocietatem diſſolutam, tum

tum hanc cognationem fuiſſe diremptam. Dico hoc docere diverſam artium ipſarum naturam, indolem, ingenium, munera, officia, finem; nec præcipientium, qui cauſæ ſerviunt, & artibus, de quibus præcepta tradunt, fere lenocinantur, obſtare auctoritatem, quominus diſtrahi invicem artes poſſint ac ſeparari. Dico denique, & dixi jam, ſi quam habet vim iſta ſocietas atque cognatio, hanc in eo eſſe poſitam, ut ſi quis eſſet, qui artes animo omnes poſſet comprehendere, is certe incredibiliter in omni doctrina proficeret; & ex omnium comprehenſione artium talis exſiſteret ſapientia, qualem unquam exſtitiſſe nec legimus, nec audivimus, neque vero exſtituram in poſterum affirmare poſſumus, niſi forte divinitus alicui deferatur.

XX. Sed hic gravis nimirum in hoc iſtorum error eſt, & hallucinatio maxima, quod talem ſibi animo fingunt ſapientiam, quæ nunquam exſtitit, neque vero poteſt exſiſtere, & ad hanc, quam non humani ingenii viribus æſtimant, ſed opinione metiuntur ſua, Encyclopædiam referunt; communem vero ſapientiam, quæ unice haberi ac parari poteſt, negligunt atque aſpernantur. Colligunt de induſtria ex omni memoria & coacervant mira quædam, ſingularia atque inaudita de ſapientia quorundam virorum ſive veterum ſive recentium, quos ego cælo delapſos arbitror; quæ cum ad imperitorum admirationem protulerint

lerint atque extulerint magnum quiddam ſe effeciſſe, ac rem prope totam confeciſſe putant. Qua in re graviter errant, quod exemplis, quæ, quod contendunt, non evincunt, utantur; & multo gravius peccant, quod iis ad bonarum artium perniciem propter illorum ipſorum, quibus ea proponunt, credulitatem abutantur.

XXI. Ego ſane, ut de me ipſe dicam (quoniam paullo familiarius apud vos loqui, Quirites, mihi videor poſſe) cum hæc audio, ne tantis tamque exaggeratis laudibus in errorem inducar, quam maxime poſſum, caveo; &, ut in re non ſatis, ut mihi videtur, explorata, ſuſtinendum aſſenſum exiſtimo, nec temere ferendum præcipitandumque judicium. Etenim, etiam ſi illa omnia ſumma atque admirabilia, quæ de hujuſmodi virorum ſapientia ab iſtis feruntur ac prædicantur, vera habeam, non tamen in eam continuo ſententiam adducor, ut, quod illi conati ſunt & conſecuti, conari ſimiliter & conſequi me putem poſſe. Venit fabella ſtatim in mentem Æſopica de rana paluſtri, quæ bovem in campo paſcentem conſpicata, perculſa tantæ invidia magnitudinis, rugoſam inflavit pellem, quo magnitudinem illam, ſi quo modo poſſet, aſſequeretur; quod cum iterum ac tertio contentius, quam ſua ferret exiguitas, feciſſet, diſrupto demum corpore miſera jacuit. Documentum non contemnendum iis, qui plus, quam propriæ vires

res patiuntur, conniti atque audere non dubitant. Quare magiſtra hac ipſa fabella, antequam quidquam ſuſcipiam, meum periclitor ingenium, exploro vires, rationem corporis, valetudinis, occupationum habeo, omnia inquiro ſollerter, & perpendo diligenter, nec committo, ut eo, ſine conſilio, coner evadere, quo certe pervenire non poſſim, & unde regredi cum pudore debeam.

XXII. Ulterius etiam inquirendo progredior, & num hi tanti, tamque ſapientes viri aliqua admirabilis ſapientiæ ſuæ monumenta reliquerint, percontor; quæ quidem ſi exſtant, ea attente perlego, &, quantum aſſequi ingenio poſſum, utrum mirificæ illi, quæ de iis ab iſtis jactatur, ſapientiæ reſpondeant, attente diligenterque conſidero. Quod quidem cum omnibus in rebus, tum præcipue, cum de ingenio agitur, nunquam omittendum exiſtimo, ne facile, ſi procliviores ad credendum ſimus, decipiamur. Sunt enim bene multi ita comparati, ut, quos laudant, intemperanter laudent, & niſi eos in cælum, atque adeo ſupra cælum ipſum extollant, nihil ſibi profeciſſe videantur; quos quidem ego ad eorum, quos laudant, ſcripta provocare ſoleo, ex iiſque rite expenſis & ſollerter diſcuſſis certum laudibus modum conſtituendum puto. Etenim vel ſcripta ipſa id, quod ad incredibilem admirationem effertur, confirmant, vel ſecus; ſi primum, me ſtatim ad fabellam, quam ſupra

pra indicavi, refero, ranamque illam paluſtrem ſerio mihi propono, illudque mihi faciendum ſtatuo, hos ut viros admirer quidem, ſed mihi nequaquam imitandos eſſe ducam; ſi alterum, lætor, & mihimet ipſe gratulor, quod ementitis illis, & ſupra modum exaggeratis laudibus capi, atque in errorem induci non potuerim.

XXIII. Quid vero, ſi ſcripta nulla ſunt, & tantum hi ſummi viri annalium memoria teſte commendantur? tunc quidem, quod unum reſtat, quæ Hiſtorico fides habenda ſit, mecum ipſe delibero. Multa enim, præſertim apud Græcos ſcriptores, ut fuit illa natio gloriæ maxime appetens, occurrunt, quæ paullo attentius ea conſideranti ſuſpecta, & omnino incredibilia videantur. At hoc eſt Hiſtoriæ fidem elevare. Ego vero Hiſtoriæ fidem non elevo; ſed ad rerum veritatem, quam maxime poſſum, conor accedere. Litterarum monumentis proditum eſt, ut hoc exempli loco ponam, Themiſtoclem tantum valuiſſe memoria, ut cives omnes ſuos ſingulatim proprio poſſet nomine appellare; nec fuiſſe periculum, ne, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutaret. Magnum hoc enim vero, ſingulare, inuſitatum, admirabile, ſed continuo, in frequentiſſima præſertim urbe, incredibile, ut Themiſtocles non principes ſolum civitatis, ſed gregarios etiam & infimæ ſortis homines, coquos, piſtores, lixas, calones, rhedarios noſſet. Non enim

res tanta effici videtur potuiſſe, niſi Themiſtocles cenſum quodammodo inſtituiſſet, cives omnes evocaſſet, & a ſingulis de facie cognitis ſingulorum nomina didiciſſet; quod quis credat feciſſe Themiſtoclem, & fieri ab eo potuiſſe, qui graviſſimis bellis implicatus diu abſuerit domo, & exul interierit? Quare hoc ego non perinde accipiendum puto, atque ab Hiſtorico traditur, ſed adhibita quadam & ratione & moderatione interpretandum arbitror; ut Themiſtocles nimirum non omnes quidem, ſed pleroſque cives ſuos noſſet, & eos præcipue, qui vel loci, vel dignitatis, vel ingenii, vel alia commendatione laudis præcellerent; quod quidem in florentiſſima & ſummorum virorum, ut tunc erant Athenæ, affluentiſſima urbe, magnum profecto quiddam fuit atque admirandum; cæteros vero, quorum nulla foret commendatio, ac propterea indignos, quorum nomina nota habere quis vellet, ab ejuſdem memoria fuiſſe præteritos. Hac adhibita moderatione, & quaſi temperamento, ut mihi videtur, & ſua Hiſtorico manet auctoritas, & vera laus homini meritiſſimo, & cum multis virtutibus, tum etiam memoriæ laude commendatiſſimo tribuitur.

XXIV. Quod de Themiſtocle diximus, hoc de reliquis ſummis viris, quorum ſapientiam miris atque incredibilibus laudibus efferri aut legimus, aut audimus, intelligatur; ut eos quidem alios alia in arte præſtantes fuiſſe credamus; in qua vero præſtiterint ſic

excelluiſſe, ut paucos pares habuerint, ſuperiorem fortaſſe neminem. Quod vero iidem in omnibus artibus omnia ſumma dicuntur conſecuti, hoc nullo modo opinor eſſe concedendum. Satis liberaliter cum iis agetur, ſi non omnia illa ſumma in omnibus artibus, ſed excellentiam in una, & mediocritatem in multis fuiſſe adeptos concedamus. Hoc autem cum iis conceſſerimus, non parum certe laudis iiſdem a nobis tribuetur, qua ipſi quoque contenti eſſe & poterunt, & debebunt. Magnum quiddam eſt, & neſcio an ſummum, quo conniti humanum poſſit ingenium, non unum eſſe e multis, ſed unum e paucis, qui aliqua egregia laude præſtiterunt. Itaque hujuſmodi virorum ſapientiam cum mirabiliter prædicari audiemus, & ſupra modum efferri, multum nobis erit amputandum de tanta circumcidendumque ſapientia. Ita divinum eorum fuiſſe ingenium exiſtimabimus, ut nihilo minus eos fuiſſe homines, & hoc eodem; quo nos fragili luto argillaque concretos meminerimus; ita ſummos exſtitiſſe viros credamus, ut hoc vere de iis dicatur magis ex illorum contentione, qui non tantum, quantum ipſi, eniti potuerunt, quam quod re ipſa ad omnis doctrinæ editiſſimum illud evaſerint culmen, inacceſſumque faſtigium.

XXV. Neque vero hæc oratio mea a ſapientum ipſorum opinione aberrat, qui quo magis ſapientes fuerunt, eo ſibi in quaque arte atque doctrina minus arroga-

rogarunt. Horum enim ipſorum illa vox eſt, & ea quidem poſt indefeſſam in ſtudiis operam ab ipſis poſitam, poſt diuturnos labores, poſt acerrimam contentionem, poſt vitam in contentione nunquam intermiſſa contritam; *Hoc unum ſcire, ſe nihil ſcire*. Videbant enim doctiſſimi viri, & artium magnitudinem mente animoque dimenſi, videbant, inquam, quam multa ſibi ad plenam perfectamque ſapientiam deeſſent, & facta inter ea, quæ didicerant, & quæ diſcenda ipſis reſtabant; comparatione, ſubductis veluti rationibus reperiebant, illum ſapientiæ cenſum, quem ſibi tot laboribus vigiliiſque pepererant, valde tenuem eſſe, & quam ſibi comparaverant ſapientiam, quanta demum cumque foret, ignorantiam eſſe potius, quam ſapientiam appellandam. Uſque adeo; qui recte de humana ſapientia ſentiunt, ab iſtis valde vehementerque diſſentiunt.

XXVI. Quanquam quid eſt? quod ulterius in diſquirendo progrediatur ac defatigetur oratio? Sintne artes omnes copulatæ inter ſe, an ſejunctæ; poſſintne invicem diſtrahi, an ſecus; exigendane ſit ad iſtorum normam ſapientia, an potius ad aliam multo diverſam ab ea, qua iſti utuntur, regulam dirigenda. Hæc aliaque hujuſmodi non multam, niſi forte otioſam, diſputationem requirunt; quandoquidem, quomodocumque ſe res habeat, & alii aliter de Encyclopædia opinentur, omnem extra controverſiam eſſe debet, ſiquidem ali-

aliquos aliqua in arte proceſſus efficere volumus, artes ipſas omnino diſſociandas a nobis eſſe atque invicem ſeparandas. Nihil enim ſcientiæ tam inimicum, quam omnia avidius ſcire velle; nihil tam infeſtum, quam nullum habere delectum. Quare eandem in litteris atque doctrina adhibendam nobis eſſe arbitror moderationem, quæ in iis, quæ ad victum pertinent ex Medicorum præſcripto adhibetur. Sicut enim ad conſervandas vires tuendamque valetudinem nihil eſt temperantia conducibilius; ita nihil ſimiliter eſt ad augendam confirmandamque doctrinam certa quadam ſobrietate ſalutarius.

XXVII. Atque ut a propoſita ſimilitudine ne diſcedam, multo, quam iſti, rectius de Encyclopædia ſentire, & ſanius exiſtimare mihi videtur is, qui apparatiſſimo illam inſtructiſſimoque convivio comparat. Certat in eo copia cum varietate epularum; multa gulam irritant; multa ſitim inflammant; non id tamen ab aſſidentibus poſtulatur, ut omnia, quæ regifico luxu menſæ apponuntur, temere atque intemperanter in ventrem ingerantur; ſed, quantum cujuſque ſtomachus capiat, id ſibi ut quiſque e menſa ſumat; legat etiam in magna copia, quod palato magis arrideat; a cæteris vero abſtineat, quæ non ad uſum, ſed ad convivii ipſius magnificentiam potius ſplendoremque referuntur. Ita nos in hoc apparatiſſimo ornatiſſimoque Sapientiæ, ut ita dicam, convivio gerere debemus

mus, ut eadem temperantia ſervetur a nobis, idem delectus habeatur; & quamvis multa ſciendi quodammodo famem provocent, & diſcendi ſitim incendant, tamen ab iis, quæ noxia potius, quam ſalutaria, & ad onerandum magis, quam ad alendum ingenium valere poterunt, conſulto abſtineamus. Video hoc eſſe difficile; etenim doctrinæ, ut ita dicam, fames, multo fortaſſe, quam illa epularum, acrior eſt & vehementior; nos autem non quam probroſam gulæ, tam doctrinæ intemperantiam turpem ducimus, ſed hanc prope honeſtam, & quaſi conceſſam arbitramur. Qua de cauſa fit, ut eandem moderationem, quamvis utroque in genere adhibendam, nobis non æque ſervandam putemus. Verum, ut hujuſmodi moderatio atque præſcriptio difficilis ſit, tamen omnino eſt neceſſaria, ſine qua neque bona conſervari valetudo, neque vera acquiri ſapientia poteſt.

XXVIII. Sunt quidam eo morbo laborantes, ut quidquid objicitur, in os ingerant, in ventremque delectu nullo demittant, nullus comedendi finis, nullus potandi modus; ut propemodum ingluviem nequaquam explere tantam poſſe videantur. Hinc illa incommoda, quæ intemperantiam neceſſario conſequuntur, cruditas, atra bilis, affecta valetudo, frequentes morbi, *pallida ſemper*, quod de Harpiis legitur, *ora fame*; qnibus incommodis carere ſi volumus, temperantia eſt adhibenda, quæ nobiſcum menſæ aſſideat

ſideat, quæ gulæ imperitet, quæ ejuſdem acres ſtimulos comprimat acriter atque retundat. Eodem temperamento in noſtris ſtudiis utendum nobis eſſe arbitror. Sunt quidam, qui litteraria quadam quaſi orexi laborant. Omnia legunt avidius, omnia ſtudioſius conſectantur, omnia curioſius conquirunt, nihil prorſus ignorare volunt, & quidquid ſive caſus offert, ſive conſilium defert, nullo diſcrimine in animum demittunt, in eoque congerunt ac ſtipant, nec quid ingenium capere, quid memoria valeat continere, magnopere laborant atque animadvertunt. Encyclopædiam ipſam, ſi poſſent, uno eſu vorare vellent totam ac deglutire. Perniciosus enim vero morbus atque exitialis, unde peſtifera illa ſcientiæ incommoda proveniunt; confuſa nimirum rerum perceptio, non explicata cognitio, ac rerum plurimarum quidem, & vel optimarum, grandis illa ſane atque exaggerata, ſed indiſtincta, & prorſus indiſcreta congeries.

XXIX. Neque vero ſolum tantum cibi ſumendum, ut ſuſtententur vires, non opprimantur, ſed, qui parce ſumitur cibus, non ante demittendus in ventrem eſt, quam probe manſus & contritus dentibus ſit, ut facilius calore ſtomachi concoquatur; unde alatur vita, atque optima valetudo conſervetur. Hinc humorum in neutram partem peccantium temperies; hinc bona corporis habitudo; hinc firma conſtitutio; hinc color integer & ſincerus. Non diſſimilis noſtrorum ratio

ratio ſtudiorum eſſe debet atque præſcriptio. Multa quidem litteris danda opera eſt, ſed non multis; non multa legenda, ſed optima eligenda; quæ legimus, diu multumque conſideranda; nec quidquam prius memoriæ committendum, quam attenta meditatione & longa commentatione ſubactum, ac veluti cibus in ore, probe fuerit comminutum. Hoc modo, quæ legimus in quendam, ut ita dicam, veræ germanæque doctrinæ ſuccum convertentur, quo alatur ingenium, in nobiſque effloreſcat ſincerus & incorruptus, ac nulla parte vitiatus litterariæ quaſi ſanitatis color.

XXX. At enim multa prius habere animo repoſita ac parata neceſſe eſt, quam quidquam ſive ad ſcribendum, ſive ad pronunciandum quis aggrediatur. Fieri enim non poteſt, ut qui in una aliqua ſeparatim arte ſcribit, ita ſcriptionem circumſcribat ſuam, nihil ut præter ea, quæ ejus artis ſunt, de qua ſcribit, perſequatur. Lauto inſtrumento, ac copioſo multarum rerum apparatu opus eſt, ut aliquid laude dignum ſcriptor efferat, quod ab eruditis probetur, & auctori ſuo famam exiſtimationemque conciliet. Hic ego quid dicam, Quirites? Scio hunc ætate hac noſtra eſſe morem, ſive potius hoc eſſe vitium, ut fere, qui nunc ſcribunt, in ſcriptis ſuis nullius non rei ſignificationem dare velint, & vero etiam oſtentare non nolint. Itaque multa ex omni Philologia colligunt, multa multis de locis eruunt, multa longe lateque diſperſa con-

congerunt; & tum demum ſibi placent, cum omnia omni ex parte collecta in unum libellum ſtiparint atque compegerint. Qua in re, mea quidem ſententia, vehementer errant, & in eo ipſo graviter apud doctos viros offendunt, in quo ab illis extolli laudibus prædicationibuſque in cælum putant.

XXXI. Non enim ardua res eſt ac difficilis omnigenam quandam hac noſtra præſertim ætate eruditionem oſtentare, quam ipſi librorum indices, & recentia quædam *Encyclopædica* volumina ultro vel otioſis atque oſcitantibus offerunt. Iſtiuſmodi eruditione imperitis imponi poteſt, doctis ac ſapientibus viris non poteſt. Non tam quid quiſque afferat, ſapientes attendunt, quam, quo quidque modo efferat, animadvertunt. Cum rem, qua de agitur, diſtincte proponi, apte circumſcribi, acute definiri, probabiliter doceri, ornate expoliri vel legunt, vel audiunt, hoc eſt, quod in ferendo judicio ſibi maxime ſequendum arbitrantur. Omnigenam iſtam eruditionem ſcriptori totam relinquunt ſuo. Eruditionis minus, plus ratiocinationis & ordinis, & caſtigatæ atque elaboratæ elocutionis efflagitant. Volunt a ſcriptore rem probe, de qua ſcribitur, percipi. Volunt interius pervadi, intimiuſque cognoſci. Volunt ſingula apta inter ſe, & alia ex aliis colligata deſcendere, & ſuo quæque loco conſtitui, & non ordine ſolum, ſed etiam adhibito quodam quaſi momento ac judicio diſpen-

penſari atque componi. Volunt, quod ad elocutionem attinet, rem ornari verbis, illuſtrari ſententiis, & propriis cujuſque rei inſigniri luminibus atque diſtingui. Hæc ſunt, quæ probant, mitantur, ſuſpiciunt, laudant; inanem ac ſupervacaneam & plerumque importunam eruditionem damnant, rident, deſpuunt, contemnunt.

XXXII. Sed quorſum tandem ſpectabit tantus tamque lautus rerum inſtructus atque apparatus? quem ad finem non dico notitia rerum, ſed rerum prope omnium notitia pertinebit? Ad uſum. Audio. Sed primum; quis nam tantarum rerum tamque inter ſe diſcrepantium uſus erit, aut eſſe poterit? Quod nam opus tam longe lateque diffuſum ſuſcipietur a nobis, quod omnium artium ac doctrinarum cognitionem requirat, niſi forte de rebus omnibus, quibus complures aliæ tanquam additamentum àccedant, ſcribere meditemur? Hoc primum; deinde neſcio utrum majorem curam ſcriptori injicitat rerum copia, an earundem inopia moleſtiam creet. Nimia copia memoriæ vis obruitur, & ingenii facultas debilitatur; nimia copia difficilis optio & delectus redditur, eamque inopia non raro conſequitur, ut vere ab egregio Poeta ſcriptum fuerit; *Inopem me copia fecit*. Quid? quod ut in magna turba diſtinctioni locus non eſt, ſic ìn magna copia fere ordo locum non habet, quem recte egregius item Poeta *lucidum* appellat; pro-

propterea quia rebus lumen adhibet, & totam illuſtrat orationem; qui quidem ſi abſit, confuſio ſuccedit & perturbatio, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum; tum obſcuritas, caligo, nox, quibus omnia contenebrantur atque obcæcantur.

XXXIII. Sed demus copiam requiri, & tantam, quantam iſti volunt, requiri? Quid? ſi quando fiat, ut iſta copia nos deficiat; ſi quando eveniat, ut inopia nos premat, nonne & iſta copia haberi, & iſta ipſa inopia ſuppleri facile poterit, & aliena ubertate large abundeque ditari? Quod quidem a ſapientiſſimis viris & ſuaſum legimus, & ab iiſdem etiam factitatum accepimus. Ego vero non credo nec Aratum, qui de ſtellis, nec Virgilium, qui de agro colendo optimis verſibus ſcripſerunt, illum Aſtronomiæ, hunc Agriculturæ dedita opera ſtuduiſſe. Difficile enim fuit illas artes cum tanta in arte poetica excellentia copulare, quæ a Poeſi prorſus ſejunguntur, neque cum illa ulla ſocietate junguntur. Arbitror potius utrumque ita ſe geſſiſſe, ut primus ab Aſtronomiæ, alter ab Agriculturæ peritiſſimis, quantum ad eum, quem ſibi propoſuerant uſum, ſatis haberent, didicerit, & ſic accepta elegantiſſimis carminibus exornarit, & multo melius extulerit, quam illi ipſi, unde didicerant, feciſſent, ſi quid ſimile tentare voluiſſent.

XXXIV. M. Antonius ſapiens erat, Orator erat, diſer-

diſertus & eloquens erat, domicilium in foro collocarat, in publicis privatiſque cauſis ſumma ingenii fama, & commendatione verſabatur. Hic tamen talis tantuſque vir ingenue confeſſus eſt, ſe nunquam Jus civile didiciſſe; neque vero propterea minus egregie cumulateque munus implevit ſuum. Verum quî id fieri potuit? qua hoc illum ratione conſecutum putabimus? Audiamus ipſum, qui modum indicat; Nimirum adibat eos, qui ejus, quam ignorabat, artis principes habebantur, cum his communicabat, hos conſulebat, & quod ſibi ad cauſas, quas defendendas ſuſceperat, neceſſarium erat, ab his auferebat. Itaque alienis opibus inſtructus cauſas tractabat, & clientibus ſuis, a quibus certatim expetebatur, ſatisfaciebat. Cum enim, ut ipſe inquit (de Orat. lib. I. num. LVII.) elegantiſſime, amentatas haſtas a Jureconſultis accepiſſet, eas Oratoris viribus ac lacertis torquebat, & multo ſane vehementius, quam illi ipſi, qui eas ipſi ſuggeſſerant, torſiſſent, ſi eaſdam jacere voluiſſent. Ad eruditionem vero quod attinet, ad hiſtoriam nimirum, antiquitatis notitiam, exemplorum copiam, affirmare non erubuit (de Orat. lib. I. num. LX.) ſe hujuſmodi rerum vim, ſi quando opus eſſet, a viro optimo & his ipſis rebus inſtructiſſimo, familiari ſuo Longino mutuaturum.

XXXV. Quid eſt igitur, quod nos impediat? qui pudor? quæ verecundia? quis denique labor obſtabit? quo minus talem ac tantum virum nos quoque imitemur. Non

Non enim hi, quos conſulamus, & quorum ſapientia atque eruditione in noſtris ſtudiis juvemur, longe quærendi a nobis ſunt. Sunt hic; nobiſcum commorantur. Fere omni in urbe paullo nobiliore docti in omni arte ac diſciplina viri, alii in alia, reperiuntur, quos adire & conſulere facile poſſumus. In hoc vero omnium gentium domicilio, quo omni ex parte omnis doctrina confluit atque eruditio, quanto facilius eſt atque commodius hujuſmodi viros conſulendi cauſa convenire, ab iiſque, quæ ignoramus, ad tempus diſcere, quorum ſapientia plus ſane multo, quam *Encyclopædicis* voluminibus juvari poterimus atque proficere. Quod ſi quem volumina ipſa delectant, iſta non deſunt, non a collectoribus ea quidem rerum coagmentatione omnium referta ac ſtipata; ſed a doctiſſimis viris de quaque re erudite ſapienterque conſcripta, quæ pervolutare licet, atque ex iis, quod opus erit, ad rem noſtram auferre & decerpere. Patent omnibus hac in urbe præclariſſimis hujuſmodi monumentis bibliothecæ inſtructiſſimæ, quæ omnia affatim ad omnem uſum eruditionemque ſufficiunt. Modo rerum fontes & capita quis noverit, quod quidem homini neque hebeti, neque tardo, ſi præſertim aliqua acceſſerit exercitatio, non admodum difficile erit, poterit ita ſe, uti demonſtravimus, gerere. Quid ergo eſt? cur inopiam tantopere pertimeſcamus, quæ non facile ſuppletur ſolum, ſed etiam, ſiquidem nos

nos ab aliis non pudeat diſcere, aliena copia abunde locupletatur.

XXXVI. Sed nos nimirum non tam nimia ſciendi cupiditas pervertit, quam noſtra omne nobis conſilium eripit ambitio, qua *omniſcii* & videri & haberi volumus. Nobis turpe ducimus ea neſcire, quæ alii non ignorant, nec animadvertimus alios fortaſſe ignorare, quæ ſcimus ipſi; indecorum noſtro loco atque exiſtimatione putamus, non poſſe in conventu de quaque re, quæ forte in ſermonem incidat, ſententiam noſtram interponere, ac propterea aliis loquentibus ſolos cogi nos tacere, & cum rubore obmuteſcere. Hinc acres illi ſtimuli, quibus pungimur ac fodicamur; hinc probabilis in ſpeciem ratio, quæ nos pervertit de conſilioque deducit. Sed adeone faciles ac proclives erimus, ut oblata tantum ſpecie aliqua recti nos de certa ſententia deduci patiamur? Tantumne imbecilli erimus, & veræ doctrinæ ſapientiæque inopes, ut debilem hanc atque infirmam animi noſtri partem confirmare nullo modo poſſimus? Tantumne vanum quoddam atque inane ignorantiæ ſpectrum nos perterrefaciet, ut nobis ridiculum plane in modum a magnificis iſtis Encyclopædiæ laudatoribus illudi ſinamus. Quid habet tandem probri; ſi non omnia ſcire poſſumus? ſi multa cogimur ignorare? Quæ culpa in hoc noſtra eſſe poteſt; quam, ſiqua eſſet, ſumma & incredibilis rerum diſcendarum copia, & ipſa huma-

humani ingenii infirmitas totam ſuſtineret? Quæ denique reprehenſio in eo locum habet, quod natura ipſa conſtituit, quæ res humanas omnes ita temperavit, nihil ut omni ex parte abſolutum ſit atque perfectum. Quemadmodum aurum ſine admixta terrena fæce, ita ſine adjuncta ignorantia ſapientia non invenitur; ut a me illud veriſſime olim, cum hoc ipſo de argumento verba facerem, poſitum fuiſſe videatur; *Multa ſciri ſine multorum ignoratione non poſſe*.

XXXVII. Quanquam, per me licet, ne nimis in longum producatur oratio, tantam ſibi quiſque ſapientiam paret, quantam velit. Non enim multiplicem eruditionem damno, nec cujuſquam vel omnigenæ ſapientiæ invideo, mea hac ingenii & doctrinæ mediocritate, ſive potius tenuitate contentus. Quare non eſt, cur iſti me criminari meditentur, perinde quaſi diſcentium reſtinguam ſtudia, infringam vires, imminuam induſtriam, æmulationem tollam, proceſſus retardem, ingeniorum nervos incidam, plus, quam par eſt, circumſcribam artes ac diſciplinas; contra vero ſocordiam, ignaviam, oſcitantiam, ignorantiam inducam. Nihil horum mihi vere objici poteſt. Amo induſtriam, laudo diligentiam, commendo aſſiduitatem, probo diſcendi ſciendique ſtudium, placet æmulatio, placet eruditio, doctrina, ſapientia placet, & illa quidem, quæ inſignis, eximia, præ-

ſtans, excellens ſit, ſed hujuſmodi, quæ parari poſſit, quæ humana ſit, quæ cujuſque ingenii viribus attemperata. Non denique iſtam ipſam Encyclopædiam odi, ſed eam tantum ad certam quandam æquitatem ac moderationem conor adducere.

XXXVIII. Iſti vero, ut tandem aliquando concludamus & peroremus, multo ſe alter gerunt. Nolite putare, Quirites, iſtos in bonas eſſe artes ac diſciplinas bene animatos. Non iſti, mihi credite, quidquam de Encyclopædia laborant, ſive illa orbis doctrinarum ſit, quem orbem diflaſſe jam mihi videor, ſive harmonia quædam, ſive quid aliud, quod veteribus illis, qui eam primi excogitarunt, venerit in mentem comminiſci. Non iſtis artium amplificatio liberalium cordi eſt, quarum magnitudinem nunquam animo complexi quid quæque ars ferat, quantum laboris, ſtudii, ingenii, diligentiæ poſtulet, nunquam ſerio cogitarunt, nec cogitare potuerunt. Non de noſtro qualicumque in litteris profectu ſolliciti ſunt, quibus rerum omnium cognitionem tam liberaliter offerunt, & vel renuentibus obtrudunt. Non iſta curant ac laborant; alio ſpectant eorum conſilia ac diriguntur. At quo tandem? Dicam equidem, nec diſſimulabo, Quirites. Eo nimirum, ut cum omnia, iſtis auctoribus, nulla habita neque virium, neque ingenii, neque temporis ratione conſectati fuerimus, nihil demum aſſequamur; uno verbo, ut Græ-

Græculorum natio, maximo cum bonarum artium exitio, atque urbium ipſarum pernicie creſcat in dies quotidie magis ac propagetur.

XXXIX. Et ſane unde nam factum putabimus, ut Athenis (de Orat. lib.III. num. XI.) in quibus ſapientia ipſa nata atque enutrita fuit, tam cito Atheniensium ipſorum ſtudia refrixerint, doctrina interierit; ut qua in urbe liberaliſſimis ſtudiis peregrini dediti eſſent, iis *cives vacarent*? Multæ hujus rei afferri poſſunt cauſæ, ſed valde probabilem illam exiſtimo, quod ea urbs hujuſmodi cœperit hominibus abundare. Multo plures, quam ſcilicet oportuit, poſt ſe diſcipulos Gorgiæ illi atque Hippiæ, quorum jam meminimus, reliquerunt, qui diverſa diverſis temporibus detrimenta bonis artibus, & urbibus importarunt. Quanquam hos, de quibus dico, nullo modo cum illis confero, qui aliquam, tametſi non tantam, quantam ipſi jactabant, aliquam tamen adepti doctrinam non omnino indigni viſi ſunt, qui a viro Græciæ ſapientiſſimo ad diſputandum inducerentur, eorumque nomine Dialogi etiam ipſi inſcriberentur. In iſtis vero quid ſimile illorum præter os? quid commune niſi odioſa importunitas? quos ego quidem aliquo modo ferendos putarem, ſi ſe tantummodo inter æquales, & ejuſdem ambitionis ſocios jactarent.

XL. Nunc vero quis illos ferendos putet? quandoquidem uſque eo progrediuntur, ut omnem ſtudio-

diorum recte conſtitutorum rationem labefactare conentur atque pervertere. Sapienter a majoribus inſtitutum fuit, ut a linguarum cognitione ordiremur; & hujuſmodi cognitio tanquam fundameutum operi exædificando, hoc eſt reliquis artibus ac diſciplinis poſtmodum, ubi maturior ætas acceſſerit, addiſcendis ſubſterneretur. Jam ſi iſtos audias a Geometria incipiendum eſt, perinde quaſi difficillimæ & ſubtiliſſimæ artis perceptio, & facilior, & puerili ætati eſſet accommodatior. Qua in re uſque eo ineptiarum iſtorum nonnulli, ut certo compertum habeo, devenerunt, ut cæſim inſpicata tigilla hoc & illo modo decuſſare puerulos edocerent, quo certius atque expeditius, ratiocinatione videlicet nulla, quæ explicata in illis nondum eſt, artemne lignariam dicam, an Geometriam ediſcerent.

XLI. Jam illas iſtorum ipſorum voces, quæ ſparguntur in vulgus ac diſſeminantur, ſanus ac prudens ferre quis poſſit? Nimirum in gymnaſiis diutius, quam par eſt, detineri adoleſcentes, eoſdemque cogi in iis propemodum conſeneſcere. Verendum credo erit, ne iſta, quam exaggerant, mora, quæcumque ea ſit, & etiam ſi ſit propter ejus ætatis levitatem neceſſaria, verendum, inquam, credo erit, ne *Encyclopædicus* doctrinarum orbis, quem omnes ſcilicet conficere & poſſint, & debeant, intercipiatur; & quantum temporis in grammaticis primiſque inſtitutio-

tutionibus impenditur, tantumdem reliquis diſciplinis, quæ ſine illis recte percipi non poſſunt, detrahatur. Quid? quod vel duodennes pueros ad Rhetorem audiendum adducunt, quos quidem ego ipſe non raro, & non ſine ſtomacho atque indignatione repellere coactus ſum. Quo id pertineat, ego ſane non video; niſi forte id agatur, ut quos ſapientes pueros miremur, deſipientes poſtea viros ſummo cum incommodo experiamur.

XLII. Nam quid poſtremo dicam de iis, qui eo uſque progredi audent, ut hujus ipſius Encyclopædiæ ultro ſe doctores offerre non dubitent. Quibus ego doctoribus nihil eſſe puto tum rebus publicis, tum privatis exitialius; quorum recte ludus impudentiæ dici poteſt atque ignorantiæ officina. Atque hi quidem Licinia lege coercendi eſſent; & tam exitiale magiſterium ad communem perniciem ne ſerpat ac propagetur, modis omnibus providendum. L. Licinius Craſſus (de Orat. lib. III. num. XXIV.) Cenſor cum eſſet, legem tulit, qua lege horum ſimiles doctores omnino ſuſtulit, & Roma exterminavit; non quod, ut ipſe ait, *acui ingenia adoleſcentium nollet; ſed contra obtundi ipſa nollet ingenia, corroborari impudentiam*. Intelligebat vir ſapientiſſimus & prudentiſſimus iſtos doctores *nihil ſuos docere diſcipulos poſſe, niſi ut auderent, quod etiam cum bonis rebus conjunctum per ſe ipſum eſt maxime fugiendum*. Date, date inquam,

liberos veſtros, Quirites, in diſciplinam iſtiuſmodi magiſtris, qni ſe omnia omnibus tradituros profiteantur, qui diſcipulos ab infima Grammatica ad ſummam uſque Mathematicam, &, ſi ſuperis placet, etiam Theologiam erudiendos ſuſcipiant atque recipiant; tum vero, prædico & ante denuncio, nolite alium perverſæ hujus diſciplinæ atque inſtitutionis exitum exſpectare, niſi ut rabulis redundet forum, probabiles Cauſidicos requirat Juriſprudentia, doctos Medicos deſideret Medicina, nequidquam conſtantes ac prudentes Senatores Curia, fruſtra æquos & ſapientes Judices Subſellia, incaſſum Artes omnes navos & impigros cultores flagitent; eo demum rem evaſuram pro certo habetote, ut Reſpublica inſipientibus, levibus ineptis, ignavis, otioſis civibus abundet; doctis, ſapientibns, gravibus, idoneis, ſtrenuis viris prorſus deſtituatur.

DE CONTRAHENDA
# ENCYCLOPÆDIA
AD QUIRITES

## ORATIO III.

EST vetus illa ſane, vobiſque certe, Quirites, audita ſæpius multorum querela, qui ſumma diſcendi cupiditate inflammati, & animo ſecum incredibilem artium varietatem ac magnitudinem reputantes, ſibi non tantum a natura neque virium, neque temporis, neque ingenii conceſſum lamentantur, quantum plurimarum maximarumque rerum vis prope infinita ad plenam abſolutamque cognitionem requireret ac poſtularet. Ego vero horum hominum querelas, tametſi probabiles ac juſtæ prima ſpecie videri poſſint; attamen non tam certis argumentis refutandas, quam gravi potius oratione caſtigandas ſemper exiſtimavi. Quid? iſtine

aut elephantum vires, aut cornicum & cervorum ſibi a natura vitæ diuturnitatem depoſcent, quo aſſiduam duriſſimi cujuſque laboris ſine defatigatione contentionem ferre, & ſtudia ſua non ſolum ad plures conjunctim artes conferre, ſed ad plures etiam continenter ætates proferre poſſint? Ad ingenium vero quod attinet, tantumne ſibi hujus præcellentiſſimæ facultatis impertitum volent, quantum ipſi optare audebunt; tantum autem audebunt, quantum aut nemini, aut niſi pauciſſimis large effuſeque donatum vel legimus vel audivimus? At ſecus evenit; imbecillæ vires & valde infirmæ nobis obtigerunt; vitæ modus brevis & admodum circumſcriptus; ingenium tenue ac perexiguum. Quid igitur facias? In hac quaſi quadam deſcriptione munerum, quæ unicuique noſtrum arbitratu ſuo, nòn cujuſcumque voluntate natura elargita eſt, velimus nolimus, huic partitioni acquieſcamus oportet; tum quia ita neceſſe eſt, tum quia ſi nos aliter, & injuſtis querimoniis indulgendo, & indebita flagitando geramus, in ipſam naturam injurioſi eſſe videamur. Præterquamquod ſi aliqua exſtaret lex, qua omnia, quæ in omni arte ac diſciplina ſciri poſſunt, cognoſcere adigeremur, quæ nos urgeret, quæ vivere, quæ reſpirare non ſineret, quæ propoſita pœna aliquid a nobis ignorari non pateretur; tunc profecto & nos aliqua venia digni eſſemus, & noſtræ quærimoniæ non iniquæ judicarentur.

tur. Quis enim tot ac tanta, quæ in omni arte atque doctrina digna ſunt, quæ cognoſcantur, his infirmis viribus, anguſto hoc vitæ ſpatio, hac tenuitate ingenii, cognitione aſſequi ſe poſſe confidat? Verum lex, quæ nos urgeat ac premat, nulla cum ſit, edictum interponatur nullum, nulla denuncietur pœna, quam ſubire debeamus, ſi non omnia, quæ ſciri poſſunt, didicerimus, quid eſt? quod angamur, & inani nos ſuſcipienda cura moleſtiaque diſcruciemur. Multa in omni diſciplina licet præterire; multa impune poſſumus ignorare; nemo nos omnia ſcire cogit, nemo compellit. Si magnitudines artium immenſæ ſunt, ſi infinitæ, ſi nullis terminis circumſcriptæ; præſto eſt remedium; arctius contrahantur, ſtatuantur termini, circumſcribantur; ſi vires infirmæ, iis conſulamus; ſi vita brevis, vota noſtra ipſius vitæ modo definiamus; ſi ingeniam tenue, ei temperemus; ſi denique non omnia ſcire poſſumus, iis, quæ poſſumus, contenti ſimus. Quis prohibet quo minus illam artium partitionem, quam a ſapientiſſimis ac prudentiſſimis viris fuiſſe jam conſtitutam oſtendimus, amplectamur; & ſic tandem aliquando contentione nos immoderata conficere, & ſtultas jactare voces querimoniaſque deſinamus. E multis artibus una aliqua, quæ nobis magis arrideat, quæ ſit noſtro magis accommodata ingenio, quæ tempori congruat, quæ corporis viribus attemperetur, eligatur, in hac elaboremus.

mus, in hac maneamus; neque ulterius, quam ratio & æquitas ſinit, vota noſtra contentionemque proferamus. Hoc ſi conſilium amplecti voluerimus, non erit profecto ullus remiſſioni, ullus inertiæ locus; immo vero erit, cur diu multumque laboremus; erit, cur, quantum volumus, contendamus; erit denique cur, quoad uſque vitam propagabimus, honeſte atque utiliter exerceamur. Permagnum nimirum eſt, Quirites, in una ſeparatim arte, quæ tandem cumque ea ſit, quam reliquis prælatam optare nobis velimus, elaborare. Hoc mihi tam perſuaſum eſt, ut nihil magis; tam æquum videtur, ut nihil æquius; tam denique utile, nihil ut ſalutarius conſuli poſſit. Hoc ego item nunc vobis, ſi me æqua tantummodo ac moderata inſtituto meo proponentem vos pro veſtra ipſi & æquitate & humanitate perattente perque benevole audietis, non tam exponere, quam perſuadere conabor.

II. Cum una ſeparatim in arte elaborare permagnum eſſe poſui, non id perinde accipi volo, quaſi ea una excepta, quam excolendam ſumpſerimus, reliquæ omnes negligendæ a nobis omnino ſint, atque ab illo noſtro peculiari ſtudio alienæ prorſus exiſtimandæ. Qui ſic apud ſe conſtitueret, nullam ut aliam artem, præter eam, cui ſe totum dedere velit, noſſe vellet, ne ejus ipſius quidem artis, ut multum contenderet, cognitionem aſſequeretur. Sunt enim

enim aliquæ artes, quæ ita per diſciplinas omnes vagantur ac ſerpunt; ita cum reliquis implicitæ ſunt, ac cohærent, ut diſſociari omnino nequeant; ita neceſſariæ, ut earum ope atque præſidio, cuicumque nos ſtudio dedamus, carere nullo modo poſſimus. Quid enim ſine Dialectica? quid ſine arte Rhetorica laude dignum effici a nobis poterit? quarum altera vera a falſis diſtinguere ratiocinando docemur, altera eloquendo animi noſtri ſenſa, pure, luculenter, ornate expromere atque exponere erudimur. Quare has ego artes, aliaſque hujuſmodi affinitate quadam aut inter ſe, aut cum illa noſtra conjunctas non modo non rejicio, verum etiam adſciſco atque amplector. Uti modus in rebus eſt uſurpandus, ita modus & in verborum interpretatione, & in ſententiarum intelligentia eſt adhibendus.

III. Itaque Majorum conſuetudinem jamdiu receptam, & communi uſu probatam, ego quoque & libenter recipio, & vehementer probo; Ut primum pueris linguarum præcepta tradantur; tum in linguis ſatis exercitati informari ad humanitatem incipiant; deinde in hac, quantum per ætatem licet, ſatis exculti ac perpoliti ad audiendum Rhetorem deducantur, & artium tum Oratoriæ, tum Poeticæ præcepta condiſcant. His perceptis & Rhetore audito, ac poliendæ formandæque orationis non omnino ignari, Dialecticæ, Phyſicæ, Geometriæ, Metaphyſicæ ſtudeant,

deant, & ſic deinceps ab una ad aliam facultatem gradum faciant, donec ſtudiorum illud quaſi curriculum a Majoribus noſtris prudenter conſtitutum, & omnibus diſcendi ſtudioſis propoſitum cum laude conficiant. Inter hæc ipſa ſtudia non impedio, quominus eruditioni moderate ſerviant; Hiſtoriam parce attingant, & aliqua etiam ex omni antiquitate delibent. Hoc modo inſpectis præcipuis diſciplinis, cognitiſque locis, ad quæ cum opus fuerit, confugiant, ego quidem iis auctor ſum, ut unam aliquam ex omnibus ſibi eligant, quam, reliquis omiſſis, omni ſtudio diligentiaque perſequantur.

IV. Verum, cum in electione maximum momentum ad reliqua, quæ conſequuntur, poſitum ſit, ea temere facienda non eſt; ſed diu multumque conſideranda. Fuit Lacedæmoniorum conſuetudo laudabilis illa quidem multum, & plane digna, quæ iterum in morem induceretur, & vulgo recepta ſanctiſſime religioſiſſimeque ſervaretur. Pueri cum ad eam, quæ aliquem conſilio locum dat, ætatem pervenerant, in atrium quoddam amplum atque magnificum deducebantur, ubi omnia omnium artium propoſita erant ad eligendum inſtrumenta; ad quæ autem pueri ipſi ſuopte ingenio ac voluntate ferri animadverterentur, iis potiſſimum artibus, quarum illa inſtrumenta eſſent, addicebantur. Atque hujus quidem conſilii fructus ille ampliſſimus capiebatur, ut cum artem, in qua ſe exer-

exercerent, temere non elegiſſent, ſed eam, ad quam ferri ſe a natura ſenſiſſent, reliquis præoptaſſent, in ſua plerique arte, cum adoleverant, aut eximii ac præſtantes, aut certe ſatis probabiles evaderent.

V. Idem plane nobis, ſiquidem optio detur, quæ certe cuique libera eſſe deberet, faciendum exiſtimo. Itaque ab illo, de quo dictum eſt, ſtudiorum noſtrorum confecto curriculo, & quod præcipue ad aliquam artium cognitionem neceſſario electioni præmittendam valere debet, liberales artes longo veluti ordine diſpoſitæ ponendæ ob oculos eſſent, attentius conſiderandæ, inſpiciendæ diligentius, & quid quæque habeat negotii, quid laboris ac difficultatis ferat, ſerio conſiderandum; tum quod in iis moleſtum, laborioſum ac difficile compertum fuerit, ad noſtras tum animi, tum corporis vires referendum; ne, ſi quidquam ſupra illas ſuſceperimus, aut inani labore exerceamur, aut contentione improba conteramur. Rebus hoc modo examinatis, & ſollerter in omnem partem expenſis, conſequitur illa longe gravior cura, explorandi nimirum ad quam e multis artibus a natura comparati ſimus, ne quidquam temere a nobis, ac repugnante ipſa natura, atque invita, ut ajunt, Minerva ſuſcipiatur. Hoc tanti faciendum ſapientiſſimus cenſuit Plato, ut in illa ſua, quam conſtituit, civitate non modo hanc, de qua dicimus, optionem ſoli cujuſque non permiſerit arbitrio; ſed Ma-

Magiſtratum ad hanc rem inſtituerit, cujus de conſilio atque ſententia fieret optio, quique provideret, ne quiſquam cæco impetu ad eas artes ferretur, ad quas Muſæ accedere illum vetarent & Gratiæ.

VI. Verum hanc ipſam optionem non pauca ſunt, quæ maxime impeditam reddunt perque difficilem. Non enim tanta mercium eſt, quanta varietas diſciplinarum; non tanta lineamentorum oris in homine, quanta ingeniorum diſſimilitudo. Itaque alia ingenia ſunt ad Mathematicam ſubtilitatem prope facta; alia ad Juriſprudentiæ acumen comparata; alia ad alias artes ac diſciplinas elaborata. Exſiſtunt quidam, qui ad artem Rhetoricam minus habiles ſunt, in eaque certe infantes; iidem vero traducti ad Dialecticam acuti atque ſubtiles deprehenduntur. Novimus alios in obeundis dexterrimos expediendiſque negotiis, quos ad liberalium artium ſtudia ſi compuleris, omnino tardos, ac prorſus ineptos experieris. Quare ut non omnibus ſeris omnes congruunt claves, ſic non omnia ad reſerandos omnes, ut ita dicam, ſapientiæ theſauros accomodantur ingenia. Quocumque te vertas, quæcumque ſit in homine facultas, vel eximia ac ſingularis, neminem unum natum ad omnia, neminem aptum ad omnia reperies.

VII. Videndum igitur eſt, & diu multumque ponderandum, quo natura ipſa inclinet, quo potiſſimum incumbat, ut in hanc potius, quam in aliam partem fer-

feramur. Videndum quæ habitudo ingenii ſit, ut ei, quam electuri ſumus, artem attemperemus. Providendum denique, ne ſtudium illud, quo nobis nimium blandimur atque favemus, nos in errorem inducat, & conſilium omne pervertat. Excellens ille extitiſſet Poeta, ſiquidem Poeſim adamaſſet; Oratoriam maluit, & vix mediocris ac tolerandus evaſit Orator. Juriſprudentiæ ſi ſe alter dediſſet, optimus cauſarum patronus habitus eſſet, relicta Juriſprudentia Mathematicam optare voluit, & nihil in Mathematicis profecit. Tantum electio valet, & alicui peculiari ſtudio facultas accommodata. Hoc modo electione artis conſilio ac judicio facta, mihi videor non contemnendus auctor, & conſiliarius ſatis bonus eſſe poſſe, ut ei nos uni, quam elegerimus, arti dedamus, in eaque continenter elaboremus.

VIII. Atque ut nos rurſus ad eorum, de quibus jam meminimus, ſapientiſſimorum exempla virorum referamus, putabimuſne illos in una ſeparatim arte fuiſſe diutius elaboraturos, ſi ea ipſa ars iis non abunde ſuffeciſſet, ubi vitam omnem in operoſa contentione tranſigerent? Illi certe ſummo ingenio præditi erant, incenſiſſimo diſcendi ſtudio flagrabant, multa commentari, multa ſcire volebant, multa cupiebant ſcribere; abhorrentes porro ſic ab otio, ut antelucana opificum induſtria vinci ſe ac ſuperari minime paterentur; illis tamen adhibita in ſtudiis ſuis cir-

circumſcriptio minime impedimento fuit, quo minus & ingenium excolerent, & ſciendi cupiditatem explerent, & otium fugerent; multa commentarentur, multa ſcriberent, multa diſcerent, ante ut ipſos vita defecerit, quam & commentandi in arte illa ſua & ſcribendi, & vero etiam diſcendi finem facerent. Atque eorum quidem bene multi ad ſummam uſque pervenerunt ſenectutem, eoſque non modo non fecit obmuteſcere & nihil agere ſenectus, ſed ne materiæ quidem defectus, quam longa commentatione conſumpſiſſe videri poterant, ceſſare compulit a ſuſcepto inſtituto atque coegit. Senecta vires, quantum ſatis erat, ſufficiebat; ars materiam affatim ſuppeditabat; nemo eorum nihil habuit, in quo aut ipſam ſenectutem, aut eam, quam excolebant artem, accuſarent; itaque eos prius vita, quam vires, prius cum vita agendi facultas erepta, quam ſciendi ſcribendique copia defecit.

IX. Iſocrates prope centum explevit annos; in proprio ſtudio conſtanter perſtitit, atque conſenuit, nec *ejus* conſtantiam ulla vincere diuturnitas temporis valuit, ſuaſque orationes nova ſemper elegantiarum acceſſione polivit atque perfecit. Sophocles ad ſummam ſenectutem vitam propagavit, & tam grandis natu cum eſſet, Œdipum Coloneum ſcripſit, ac judicibus, aput quos a filiis tanquam negligens ac plane deſipiens paterfamilias accuſatus erat, recitavit; quo ſum-

ma

ma judicum ipſorum aſſenſione recitato, illo judicio liberatus abſolutuſque diſceſſit. Archimedes lineis ac circulis, quoad vixit, delectatus eſt ſuis; cui, ſi diutius vivere contigiſſet, idem certe urgere ſtudium non deſtitiſſet, quod totum hominem ſic occupaverat, ut prope ne ſentiens quidem, dum circulos neſcio quos radio deſcriberet, extinctus fuerit in celebri illa Syracuſarum conflagratione confoſſus a milite. Quid multa perſequar? Omnes fere eximia ſingularique doctrina commendatiſſimi viri in ſuo quique ſtudio, quamdiu vixerunt, tamdiu perſtiterunt, quos credibile non eſt, ſive ii diuturniore, ſive circumſcriptiore vitæ modo uſi fuerint, non inquam credibile eſt tam conſtanter in ſua quoſque arte fuiſſe perſeveraturos, niſi aliquid ſemper didiciſſent, novoſque quotidie proceſſus, & tanta quidem ſapientia atque aſſiduitate dignos feciſſent.

X. Et vero ſi artium ipſarum vim attentius inſpicere voluerimus, artium omnium ejuſmodi eſſe naturam comperiemus, ut ſi diligenter excolantur, quod acute Tullianus ille Craſſus (de Orat. lib.III. num.XXIII.) animadvertit, *ipſa tractatione materiæ ex ſe aliquid nunquam non gignunt*, *quod* non cum *deſidioſa*, ut addit ille cauſæ nimirum ſerviens, ſed cum operoſa *delectatione* jugiter inveſtigetur. *Ita ſit*, inquit, *ut agitatione rerum ſit infinita cognitio*; in infinita autem cognitione non eſſe aliquid extremum, quo cum

veneris, neceſſario conſiſtendum ſit, nemo non intelligit. Multa indagando eruuntur; multa locum omnem pertentanti ultro ſe offerunt; multa etiam aliud quærenti, & nihil tale cogitanti præter omnem exſpectationem erumpunt. Da mihi virum idoneum, qui ſe acerrima commentatione, acer ipſe in meditando & acutus, interius in rem aliquam intimiuſque conjiciat, is profecto multa inveniet, de quibus, re nondum ſollerter inſpecta, ne ſuſpicari quidem potuiſſet. Novi ego hominem ſummo ingenio præditum, qui affirmaret; Se in arte Poetica quædam videre loca *nullius ante trita pede*; ſed ea quam longiſſime ſepoſita ac retruſa, quæ tentari a noſtris utique hominibus poſſent, ſiquidem hos eadem, quæ præclariſſimos incogniti orbis repertores inceſſit, nobilis atque egregia cupido inceſſeret. Hæc ille de arte Poetica vere & affirmabat, & ſentiebat; cujus amœniſſimam cæteroquin regionem, quam longe lateque pertinet, ingenioſiſſima Poetarum natio obiiſſe totam videri poteſt ac peragraſſe. Utinam tantus vir ſe totum Poeſi, ad quam natura factus erat, dedidiſſet. Excellens ille quidem Orator fuit, ſed meo judicio multo excellentior Poeta exſtitiſſet.

XI. Quid tam jejunum atque exile omnibus ex artibus videri poteſt, quam ars Grammatica? Atqui hujus *prope infinita vis eſt*, auctore ipſo Tullio (de Orat. lib. I. num. III.) gravi in primis atque idoneo; noſque

que ipſi, ſi paullo ſubtilius ejus naturam introſpexerimus, ita eſſe fateri, & aſſentiri tantæ auctoritati cogemur. Nam quid tandem, ut arti Grammaticæ ab adoleſcentia, atque adeo ab ipſa pueritia ſtuduerimus, labore noſtro atque aſſidua contentione profecimus? non tantum certe, quantum vellemus, ut non interdum vel imprudentibus, vel etiam ignorantibus aliqua excidant, quæ nobis ruborem injiciunt, & quæ objecta fruſtra conamur defendere. Atque hæc quidem ad ſolius linguæ præcepta ſpectant, quæ negligenda non arbitror ab homine, qui politioris litteraturæ cultu elegantiaque capiatur. Nimirum ut (de Orat. lib. III. num. II.) *verba efferantur ea, quæ nemo jure reprehendat; & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſervemus, ut ne quid perturbatum ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit.*

XII. Nam quid dicam de electione verborum, quæ origo eloquentiæ eſt, efficitque ne barbara, horrida, inculta, obſoleta oratio ſit. At, inquis, omnia verba latina ſunt. Quis negat? ſed eo, quo tu uteris loco, iis optime latine ſciens non uteretur. Si quam ob cauſam quæris, neſcio; hoc unum ſcio eo loco non uſurum. Sed non ſolum latina ſunt, ſed ex ipſo excerpta Cicerone locupletiſſimo aureæ latinitatis theſauro. Vide quid largiar. Do iſthuc ipſum, quod vis; nihilo tamen minus ajo, ut a te uſur-

pantur, Ciceroniana eſſe deſinere, inepta eſſe, eſſe abſona, abſurda, &, ut levius dicam, puerilem habere imitationem. Nam quid addam de verborum ipſorum comprehenſione, ac coagmentatione? cuius rei ſubtiliſſimum artificium eſt, & non niſi ab eo, qui multum ſcripſerit, & ad omnem elegantiam ſcripta exigere ſua conatus fuerit, æſtimandum. Facile quidem illud minus intelligenti prima ſpecie videri poteſt, ſed difficile nihil experienti magis. Quid de luminibus, quibus tota illuſtratur oratio, & quæ Grammatici æque, ac Rethores præceptis complectuntur ſuis? Poſtremo ſi Grammatico illa etiam adjungantur, quæ auctore ipſo Cicerone (de Orat. lib. III. num. IV.) ejus ſunt artis propria, *Poetarum* nimirum *pertractatio*, *hiſtoriarum cognitio*, *verborum interpretatio*, *pronunciandi quidam ſonus*, quantum illa prope infinita vis exaggerabitur?

XIII. Quo loco non poſſum non eorum caſtigare impudentiam, qui artem Grammaticam biennio, vel etiam, ſi ſuperis placet, contractiore tempore pueris tradere ſe poſſe jactant. Quid? hoſne, non dicam puerorum ipſorum naturam, indolem, levitatem, importunitatem, ineptias; ſed Grammaticæ artis difficultatem agnoſcere, ſubtilitatem perſpicere, aliquo modo ejus prope infinitam videre vim arbitrabimur? Si tradere Grammaticam eſt præcepta ſolum Grammaticæ decurrere, breviore abſolvi tempore res iſta po-

poteſt ac tranſigi; ſi vero Grammaticam tradere eſt hujus artis præcepta ſic pueris nota facere, ut Latinos auctores intelligant, & aliquid etiam recte ſcribere condiſcant; videant, quale quantumque ſit, quod recipiunt, negotium, qui rem adeo arduam ac difficilem tam brevi tempore expedire ſe poſſe confidant. Quare jactent iſta imperitis, & rei difficultatem nunquam expertis, & novis edendis de re Grammatica commentariis ignarum vulgus in diverſa ſtudia diſtrahere, & nova proſeminare ac fovere diſſidia, magno cum recte conſtitutorum ſtudiorum incommodo, & diſcentium ipſorum detrimento tandem aliquando deſinant.

XIV. Sed miſſos faciamus hos homines, quorum levitatem hujus, ex quo dico, loci gravitas reſpuit atque averſatur, & eo, unde digreſſa eſt, revocetur oratio. Nam ſi ars Grammatica, quæ tenuis vulgo putatur ac minima, & quæ certe cum reliquis artibus neque dignitate, neque copia, neque amplitudine ullo modo videtur conferri poſſe, infinitam quandam comprehendere vim vere dicitur; quid de iis exiſtimandum nobis eſſe cenſebimus, quæ ampliſſimæ jure ac merito habentur & maximæ? Illud igitur maneat, liberales artes omnes complecti ſingulas talem tantamque plurimarum maximarumque rerum vim, quantam cognitione aſſequi non poſſimus; neque vero timori eſſe locum, ne in ſumma rerum diſcendarum

multitudine copia nos deſerat, & inopia conſequatur. Illud denique ſtatuamus nullas eſſe tantas fluminum ac fontium, quantas compertum eſt doctrinarum & artium eſſe perennitates.

XV. At enim veteres illi in omni arte ac doctrina principes omnem prope artium ipſarum ac doctrinarum vim ingenio ac ſtudio ſuo exhauſiſſe judicari poſſunt; nihil ut prope nobis reliqui fecerint, in quo operam ipſi noſtram cum laude collocaremus. Multa, non diffiteor, veteres illi acutiſſima, qua præſtabant, ingenii acie viderunt; multa, quæ abdita erant atque recondita, eruerunt; multa per ſe ipſi excogitarunt; non tamen omnia videre, diſquirere, rimari, comentatione ipſi ſua aut elicere, aut reperire potuerunt. Plurima eorum oculos fefellerunt; non pauca effugerunt induſtriam, quæ noſtrorum hominum opem implorare quodammodo mihi videntur, quo tandem aliquando emergant e tenebris in lucemque proferantur. Inumerabilia ſunt, quorum cognitio non ſolum ad eruditionem atque oblectamentum expetitur, ſed multo etiam magis ad vitæ neceſſitatem atque humanum ad uſum ab artium cultoribus efflagitatur. Exſpectatur a Medicis, dum ſanguinis motum certius definiant, dum multorum genera morborum, ſpecies, cauſas, remedia diſtinctius explicent, accuratiuſque perſequantur. Phyſica vero in quanta adhuc rerum obſcuritate verſatur, in quibus illuſtrandis præclarus

ſane

ſane, & valde utilis Phyſicorum ipſorum verſari poterit labor. Quid multa? Nulla fere ars eſt, quæ ſuum ad culmen evaſerit, & cui ingens fieri induſtria diligentiaque noſtra non poſſit acceſſio.

XVI. Nec ſi veteres aliqui in aliquibus artibus omnia ſumma conſecuti videri poſſunt; idcirco ab earundem artium ſtudio revocare nos debent. Summus certe Poeta Homerus fuit; neque tamen aut Archilocum, aut Sophoclem, aut Pindarum a ſcribendo deterruit. Summus exſtitit Orator Demonſthenes; multi tamen Oratores poſt ipſum & magni, & clari, & ſingularis eloquentiæ laude floruerunt. Excellentia doctrinæ, & multiplex eruditio Platonis eo evaſerat, quo vix ipſa pervenire ſapientia videri poterat; ſed tantum abfuit, ut Ariſtotelis vires infregerit, ne etiam ipſe quantum poſſet conniteretur, ut potius eidem ſtimulos addiderit, & eodem perveniendi hominem ingenioſiſſimum vehementiſſime incitarit. Quam multa de plantis atque ſtirpibus ſcriptis, quæ adhuc exſtant, Theophraſtus perſecutus eſt ſuis? non tamen obſtitit, quominus Marcellus Malpighius, (ne ſemper veteribus exemplis utamur,) multa poſt acutiſſimum veterem illum harum rerum indagatorem & repertorem, homo novus recenti cura induſtriaque indagarit atque repererit. Mirum quantum in Mathematicis profecerint Archimedes, & Euclides; ſed in iiſdem noſter Gallilæus profecit certe non minus, qui

fortaſſe tanto illis præſtitit, quanto illi eum ætate anteceſſerunt.

XVII. Hos ſi imitari nos voluerimus, ſi eorum ſtudium revocare, ſi renovare diligentiam, ſi perſeverantiam æmulari, non ſolum majorum in omni artium genere gloria minorum non hebetabit induſtriam, ſed potius acuet; non infringet vires, ſed confirmabit; non diſperationem injiciet, ſed animos addet. Si vero non tam exſcribere, quod multi nunc faciunt, quam aliquid Marte, ut ajunt, noſtro ſcribere; non tam ab aliis diſcere, quam aliquid, quod alii a nobis diſcant, commentari atque invenire nos delectet; tunc certe de arte noſtra perinde conqueri non poterimus, quaſi ab eadem, ubi cum laude ac voluptate occupemur, nobis abunde non ſuppeditetur. Hoc enim puto ejus eſſe hominis, quem precario pudeat vivere, qui acri ingenio præſtet, qui ſibi ab ea, quam excolendam ſuſcepit, arte famam & commendationem quærat; nimirum ut ſuis utatur opibus, ut artem ſuam nova rerum a ſe inventarum acceſſione ditet atque perficiat. Non erit igitur, cur quiſquam in arte propria copiam atque ubertatem requirat; multo autem minus, cur materiæ jejunitatem tanquam probabilem, aut inertiæ ſuæ, aut ingenii tenuitatis excuſationem prætendat.

XVIII. Nunc quid iſti Encyclopædiæ fautores dicunt? qui omnia a nobis diſci in omni arte perinde

vo-

volunt, quaſi illa ars, cui nos uni dederimus, multa, quæ diſcamus, ſufficere nobis non queat. Quid rationis, aut potius ſanitatis habent voces illæ, quas paſſim jactitant? quid illæ inſulſitatis pleniſſimæ, quas occinere non deſinunt, cantilenæ? Quid agas, cum omnia, quæ illius, quam tibi potiſſimum elegeris, artis ſunt, didiceris? quo te vertas, cum nihil reliqui fiet, quod præterea cognoſcas, quod ſcribas, quod commenteris? An rurſus ad illius ſingularis artis tuæ initium, atque ad ipſa elementa relabendum erit? an eodem, unde diſceſſeris, iterum, & eo ſæpius revertendum? Dura ſane, ac plane iniqua & miſerabilis conditio! intoleranda occupatio! qua *damnatus Sisyphus Æolides laboris* apud inferos diſcruciari dicitur, qui immane ſaxum illud ſuum eo, unde certo caſurum ſit, urgere ſine intermiſſione cogitur atque propellere. O homines operarii verius, quam operoſi! qui quid quæque ars ferat atque efferat, non ignorant ſolum, ſed ne ſuſpicantur quidem. Utinam hominum vere operoſorum magna eſſet copia, qui, contra atque plerique facimus, laborem non modo non defugerent, ſed ſibi etiam ultro depoſcerent; qui nihil mallent, quam aliquid ſemper agere; nihil magis, quam nihil agere averſarentur. Melius ſane artibus ipſis conſultum foret, ſiquidem cultoribus adeo ſtrenuis abundarent. Verum ſi qui ſunt iſtiuſmodi actuoſi homines, me auctore timere deſinant,

nant, ne illos occupatio deſerat; hoc ego præſtabo periculum; & ſine hæſitatione jam nunc recipio, nunquam neque artibus copiam, neque ipſis laborem, dummodo neque ipſi artibus, neque labori deſint, defuturum,

XIX. Quid vero, ſi in ea, quam nobis præoptavimus, arte ad excellentiam conniti voluerimus, quanta operi ac ſtudio illi noſtro & negotii & occupationis acceſſio fiet? quantum erit a nobis contendendum? quam diu multumque laborandum? Puto enim homini ingenioſo & gloriæ cupido longe magis vulgari in multis artibus mediocritate, ſingularem una in arte optandam eſſe expetendamque præſtantiam. Illa laudatur, iſta ſuſpicitur; illa nos ſingulares non facit, hæc reddit eximios; illa nos erigit quidem atque extollit aliquantum, ſed hæc multo ſublimius elatos in editiſſimo dignitatis gradu conſtituit, & ſummo in faſtigio collocat. Præclara res eſt non eſſe unum e multis mediocribus, ſed inter pauciſſimos excellentes eximium eſſe ac ſingularem. Sed eo aſpirare quanti demum laboris eſt? quam diuturni? quam pertinacis? Nemo enim aliqua in arte excellentiam ſecutus illam ſine ſumma acerrimaque contentione eſt aſſecutus.

XX. Atque ut eas artes, de quibus minime expertus judicium interponere non poſſum meum, prætercam, aliquid de duabus nobiliſſimis artibus Oratoria

toria atque Poetica, quæ mei inſtituti ſunt, perſtringam, ab iiſque, qualis quantaque ſit iſta ipſa excellentia, colligam atque dimetiar. Quid eximio Oratore præſtantius? quid eloquenti oratione admirabilius eſſe poteſt? quæ ſplendide ingrediatur, quæ magnifice procedat, quæ exitum habeat illuſtri principio convenientem, quæ apta ſecum ac devincta cohæreat, quæ tota ex artificio conſtet, ſed nullam quæſiti artificii ſignificationem det, quæ exquiſita pulcherrimarum electiſſimarumque rerum varietate eſſloreſcat, copioſa, grandis, erudita, quæ ornamentis omnibus ac virtutibus abundet, quæ ſuavi perſperſa lepore condiatur, quæ gravitatem habeat cum venuſtate conjunctam, quæ libere incedat, quæ æquabiliter fluat, quæ nuſquam offendat, nuſquam adhæreſcat, lævis, teres, polita, quæ inſiſtat interdum, ſed numeroſe ſemper conſidat, quæ ſententiis tanquam luminibus ſit illuſtrata, quæ ſchematis tanquam inſignibus diſtincta, quæ blande in aures influat, quæ animo penitus illabatur, quæ doceat, moveat, delectet, & ſine faſtidio delectet, cui nihil addi, nihil mutari, nihil demi poſſit, quin deterior fiat, quæ denique ſit hujuſmodi, in qua homines admirentur, obſtupeſcant, exclament. *Euge, præclare*; *Non poteſt melius*. Nihil opinor hujuſmodi oratione excellentius, nihil eſſe, nec vero eſſe poſſe admirabilius. Sed eam non dicam perficere, ſed conari tantum elaborare permagnum eſt perque difficile. XXI. Ora-

XXI. Orationem, quam habuit Iſocrates, ſummus ille eloquentiæ non artifex ſolum, ſed etiam, ut merito appellatur a Cicerone, parens de laudibus Athenarum, totos viginti annos ab eo elucubratam ferunt. Magnificentius fortaſſe Græcorum more, ut ſuperiori oratione animadvertimus, hoc memoriæ proditum eſt, quam verius. Ego tamen, ut inſtituto meo rem ad veritatem adducam, ſic arbitror; Iſocratem excellentiæ formam, quæ perfectiſſima eſſet, animo habuiſſe comprehenſam, ad quam ut orationem illam ſuam prorſus exigeret & conformaret, non totos quidem viginti annos ſic, ut aliud ageret nihil, ſed diu multumque contendiſſe. Quamvis ipſe eſſet eloquentiæ, ut diximus, & parens & artifex, quamvis alios facile Oratores, ſive æquales, ſive qui ante ſe exſtitiſſent, ſuperaſſet; ſibi tamen minus ipſe ſatisfaciebat, inveniebatque ſemper aliquid, quod corrigeret, quod poliret atque limaret, quod elegantius atque ornatius efferret. Itaque eodem ſæpius relabebatur, & in opus ipſe ſuum acrius inquirens, in illudque omnem ingenii aciem obtutumque defigens totum a ſummo ad imum contemplabatur; ſingulas partes ſeparatim inſpiciebat; tum eaſdem contendebat inter ſe, prorſus ut ſecum congruerent, planeque conſentirent; explorabat auribus numeros, aurium ipſarum ſuperbiſſimum exquirebat judicium, ne quid aſperum, ne quid hiulcum, ne quid abſo-

abſonum eſſet, quod concentum ſive perderet, ſive imminueret. Porro hæc aliaque hujuſmodi ille cum ſæpe faceret, & omnia conſideraret diligentius, ſollertius notaret, & momentis oratoriis exquiſitius expenderet multum ſane ab eo temporis debuit in una tantum oratione impendi & collocari. Uſque adeo perfecta oratio & numeris omnibus abſoluta magnum quiddam eſt, & ſupra quam dici, aut credi poteſt, difficile, arduum, operoſum.

XXII. Non hic ego hujuſce rei difficultatem expertis, qui meis animadverſionibus non indigent, ſed inexpertis & inexercitatis loquar, ut quid hoc negotii ſit, ſuſpicari ſaltem incipiant. Ut multum natura nos adjuvet; ut acri ingenio ſimus; ut labori, ſtudio, diligentiæ, aſſiduitati non parcamus, non ſane multum in arte Oratoria fere proficimus. Etenim ſi nobis vehementiſſime contendendum eſt, ut ad probabilem aliquam in eloquentia mediocritatem perveniamus, quid nobis tandem ipſis faciendum putabimus, ut in eadem hanc ipſam-, de qua nunc loquimur, excellentiam aſſequamur? Legenda Ciceronis opera, cognoſcenda penitus, diurna nocturnaque manu terenda ſunt; divinæ hominis poſt hominum memoriam diſertiſſimi eloquentiæ aures accommodandæ; intimius animo combibenda admirabilis illa dicendi vis; ſtylus denique, optimus ſcribendi magiſter atque effector, ſine intermiſſione nobis eſt adhibendus. Eodem acce-

accedat oportet exquiſitum quoddam judicium, quo tota regatur ac temperetur oratio, ſollertiæ ſagacitatiſque pleniſſimum; quod quale ſit intelligi aliquo modo poteſt, exprimi verbis non poteſt. Hoc acri quærenda judicio in primis diſpoſitio eſt, ut alia ex aliis apta conſequantur; locus, ordo, ſeries teneatur; ut ſuos quaſi per gradus oratio ſenſim aſcendens progrediatur, donec ad culmen deducta eo tandem deveniat, quo progredi ulterius non poſſit, & ubi tanquam in termino conſidat & conquieſcat.

XXIII. Nam quid dicam de rerum exquiſitarum apparatu lautoque inſtrumento ad res amplificandas ornandaſque neceſſario? Quid de argumentis ad fidem faciendam idoneis, ſive ex ipſa re, de qua agitur, elicitis, ſive aliunde conquiſitis atque extrinſecus aſportatis? Quid de eorundem collocatione & conſtitutione argumentorum? Propemodum neceſſe eſt callidi Imperatoris perſonam ſuſcipiat Orator ſuos in acie milites diſponentis. Quid de eorum, quæ objiciuntur, confutatione? Quid de ſubitis, ante quam opponantur, occupationibus. Nihil Oratori diſſimulandum omnino eſt, quod contra ſe faciat; omnia infirmanda, diluenda, & rationum vi, pondere, copia prorſus obruenda. Quid de iis, quæ ad permovendos & concitandos affectus, & omnem in partem aut vi detorquendos, aut quam molliſſime flectendos & reflectendos pertinent, in quibus exſultat oratio,

tio, & triumphat Orator? Quid de exornatione rerum ipſarum, quæ afferuntur, de earundem inſignibus, quibus veſtiuntur, de formis, quibus variantur, de luminibus, quibus illuſtrantur? Quid de receſſibus quibuſdam, quas habeat oportet exornatio, & quaſi umbris, quibus, ut in ſignis atque picturis, quædam quaſi recedant, & obnubantur, ut alia inſignius emineant atque illuſtrius elucеſcant. Quid denique de artificio toto, de quo tam multa exſtant ſapientiſſimorum virorum præcepta, quorum longe difficillimus præceptorum uſus eſt; quanquam, quæ potiora & reconditiora ſunt artis, hujuſmodi ſunt, de quibus præcipi non poteſt, & Oratoris judicio relinquuntur.

XXIV. Elocutio vero, in qua præcellere maxime debet Orator, proh ſuperum atque hominum fidem! quantum laboris adjunctum habet, quantam ſubtilitatem poſtulat, quantum requirit artificium; ſive verborum tantum electionem ſpectes, ſive earundem comprehenſionem. Exquiſita in primis verborum electio eſſe debet; fugienda barbara, humilia, obſoleta; quærenda vernacula, ſplendida, uſitata. Quid? quod multum in eo ſæpe elaborandum eſt, ſive jacentia ut extollantur; ſive obſcura ut illuſtrentur; ſive aſperiora ut emolliantur; ſive translata, ut non in alienum locum vi inferantur, ſed verecunde quaſi in proprium deducantur. Quare non arbitror ſervire nos ſtylo ſimul & eruditioni poſſe. Qui eruditionem conſe-

ſectatur multa legat, quo tandem cumque elata ſint modo, neceſſe eſt; neque vero fieri non poteſt, quin ex varia diverſorum lectione auctorum nec recte nec emendate ſcribentium collectio quædam, ſive potius fœda hybridarum barbararumque vocum colluvies exſiſtat, quæ nobis ſcribentibus ſponte ſua ſub acumen ſtyli ſubeant, dehoneſtent orationem, elegantiam omnem perdant, venuſtatemque corrumpant. Alia ratio veterum Latinorum fuit, qui Græcos ſcriptores ad cognitionem & erditionem pervolutabant. Nam cum Græci ſcriptores multis litteris & iis quidem reconditis exquiſitiſque abundarent, iidemque in ſcribendo elegantes, & in eloquendo diſerti eſſent, Latina dictio eorum doctrina, & vero etiam ſermone, propter affinitatem linguarum, quodammodo alebatur, & ut, ait ille, *colorabatur*.

XXV. Illam vero ſive continuationem, ſive ambitum, ſive circuitum, ſive concluſionem, quibus comprehenduntur & illigantur ſententiæ, cujuſmodi eſſe, & quem gradum difficultatis obtinere dicam? Nihil tam tenerum, nihil tam molle, nihil tam delicatum, quam vel electiſſimorum comprehenſio verborum. Si tantiſper hæſitatum titubatumque ſit, ſi verba omnia non loco poſita, ſi non in toto ambitu, ſicut *in vermiculo emblemate*, ut ait Lucilius (de Clar. Orat. num LXXIX.) conſtructa ſint, ſi quid vaſtius diductum, ſi quid aſperius concurrens, ſi quid mi-

minus, ut in fidibus, numeroſum, quod teretes offendat aures, omnis ille quaſi concentus, qui ſuavem ac jucundam efficit orationem, continuo deperit ac prorſus evaneſcit. Alius quidem eſt Poetarum, alius eſt Oratorum numerus, aſtrictior ille, liberior hic; ſed tamen hujuſmodi, ut ſicuti illum prope ſuavitate, ſic etiam labore atque artificio conſequatur. Quanquam oratorius hic numerus poeticum artificio, ſi recte attendimus, fortaſſe ſuperat, quippe quem ita oporteat temperare, ut ſimul adſtrictus ſit & remiſſus, vinctus & ſolutus. Huc accedit, quod poeticus numerus ſtudio aperte quæſitus eſſe poteſt, oratorius autem diſſimulatione tectus omnino eſſe debet. Tum Orator, tum Poeta delectat, ſed diverſo modo & Orator & Poeta delectat; in eo vitium non eſt manifeſtum delectationis aucupium; in hoc reprehenditur ſi dedita opera delectationi ſerviat, & aurium captet voluptatem.

XXVI. Neſcio, ut paucis multa complectar, an rerum omnium, quæ ab humano proficiſci poſſunt ingenio, quidquam oratione numeris omnibus abſoluta operoſius eſſe poſſit ac difficilius. Hoc mira paucitas excellentium Oratorum docet in ſumma optimorum Philoſophorum, Mathematicorum, Hiſtoricorum, & Poetarum etiam multitudine. Tanta hujus rei difficultas, opinor, facit, ut noſtri homines, relicta vetere illa optima de quaque re ſcribendi forma ele-

gantiam negligant, & *Diſſertationibus*, quas vocant, plus nimio fortaſſe delectentur, quo & eruditioni liberius indulgeant, & minus de ſtylo & elocutione laborent. Si modo aliquis hoc in lucubrationis genere ordo ſit, multa adſit copia rerum multis de locis collecta, & res ipſæ non admodum illuſtrentur, & quo tandem cumque modo efferantur, facile ſe putant poſſe & rebus, quas tractant & lectoribus ſatisfacere. Alia ratio Oratoris eſt, & multo diverſa, qui ea, quæ propriæ artis ſunt, negligere ſine piaculo non poteſt, & ad ſcribendum illam ipſam adhibere, quam profitetur, eloquentiam debet. Eidem cauſæ tribuendum puto, quod illa etiam vetus Latina forenſis dictio plena dignitatis, plena roboris, plena ſpiritus nunc conticuerit, & in deſuetudinem prorſus abierit. Nunc cauſæ omnes ſcripto tranſiguntur, & quidem ita, nullum ut in eo artificii veſtigium appareat, nulla eluceſcat eloquentia. Magnum quidam ſuſcipiebant Latini veteres Oratores, ut de loco ſuperiore omnibus audientibus dicerent, ut de rebus maximis graviſſimiſque dicerent, de capite, de fortunis civium, de dignitate, de majeſtate imperii; ad quæ pares cum afferre vires, qui conſecuti ſunt, cauſarum patroni ſe poſſe diffiderent, aliam idcirco ſibi ineundam in cauſis viam & multo faciliorem expeditioremque rationem exiſtimarunt. Cæterum nemo eſt, qui ſcribere eleganter non cupiat; nemo qui,

ſiqui-

ſiquidem poſſit, ſcribere eleganter nolit; nemo, qui reipſa poſſit, quin ſcribat. Sed plerique rei difficultate exanimati alio vertunt ſtylum, & aut ea, quæ ignorant, contemnunt, aut ea tantum laudant, quæ aſſequi ſe poſſe confidunt.

XXVII. Non hæc eo dico, quo ab arte Oratoria quemquam deterream; ſed ut quantæ difficultatis ſit excellentiam in ea conſequi intelligatur. Non enim, ſi propter ſummam atque incredibilem rei magnitudinem pauci admodum excellentes Oratores extiterunt, non, inquam, idcirco debemus animum deſpondere, deſperationique nos dedere. Si *prima ſequentes*, ut auctor eſt ipſe Cicero, qui quidem prima ſecutus prima aſſecutus eſt, (Orat. num 1.) ea conſequi non poſſumus, *honeſtum* ducamus *in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Nam neque illud ipſum, quod eſt optimum, deſperandum eſt, & in præſtantibus magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima.* Ac, ſi nunc prope obmutuit Latina eloquentia, & Italica nimium fortaſſe loquax eſt, & incredibilis Italorum Oratorum multitudo dat locum vel vitioſiſſimis Oratoribus, qui ad populum clamant, animamque ſine arte, ſine ſenſu, ſine utilitate profundunt; non idcirco tamen, qui liberale nactus eſt ingenium, minus conniti in arte omnium nobiliſſima ac præſtantiſſima ad excellentiam debet. Sed de Oratoria ſatis, tranſeamus ad Poeticam.

XXVIII. Eadem atque Oratoriæ ratio Poeticæ artis eſt. Itaque ut Oratori Ciceronis, ſic Poetæ Virgilii opera nunquam de manibus deponenda. Poeticorum numerorum ſonus ille & concentus penitus eſt auribus, immo vero nunciis auribus animo combibendus. Minima quæque, quæ in tam admirando Poeta maxima exiſtimare debemus, ſollerter inſpicienda, acute notanda, diligenter multo ante expendenda, quam aliquid ad tanti exemplaris formam effingendum ſuſcipiamus? Quid? quod ad augendam difficultatem maxime pertinet, & hujus proprium artis eſt ac ſingulare, alia propemodum lingua ab ea, qua Oratores utuntur, addiſcenda eſt; quæ cauſa fuit, cur Antonius ille diſertiſſimus apud Ciceronem Orator ſe Græcos Poetas ne attigiſſe quidem ingenue confeſſus fuerit, tanquam alia quadam lingua locutos. Præclare more ſuo ac plane poetice Ennius

*Poſtquam diſcordia tetra*
*Belli ferratos poſtes portaſque refregit*;

nulla poteſt eſſe in his carminibus pedum diſtractio tanta, ut non invenias etiam

*Disjecti membra Poetæ*,

Neque tamen idcirco negligenda ſtructura verborum eſt; quærenda compoſitio, concinnitas, numerus, quæ ſummo ſine artificio effici non poſſunt; ſunt enim hujuſmodi,

*Ut ſibi quivis*

*Spe-*

*Speret idem; ſudet multum, fruſtaque laboret*
*Auſus idem; tantum ſeries junctura que pollet;*
*Tantum de medio ſumptis accedit honoris.*

XXIX. Mitto hoc loco dicere de ſingulis Poematum generibus, de Epico, de Tragico, de Comico, de Lyrico carmine, de Hymno, de Parodia, de Elegia, de Epigrammate, de Satyra, de Eclogis, de aliis, quæ ſingula ſingularibus continentur præceptis, & exquiſitum omnia artificium requirunt; quæ conari in ſuo genere, elaborare & perficere non exigui certe temporis, nec puerorum ludus eſt. Diuturna, pertinax, patiens requiritur lectio; judicium poſcitur longo uſu & non intermiſſa exercitatione ſubactum, quod ad unumquodque Poema ſi non attuleris, multa incaſſum conaberis, multa nequidquam molieris, & nihil demum laude dignum efficies. Nec vero ſoli judicio tuo tibi fidendum erit; ſed implorandum etiam amicorum ſubſidium, exquirenda ſententia, enixius rogandi, ut ſeveri cenſoris partes ſuſcipiant, qui quidem ſi ſuo ſatisfacere muneri, & tibi minime aſſentari voluerint, non raro cogeris non ſolum *Male tornatos incudi reddere verſus*; ſed totum etiam retexere opus, atque illud prope ab initio exordiri. Hæc niſi præſtiteris, in his ſi diutius non elabores, ſi obſtinatius non perſeveres, nihil aſſequeris; fruſtra tibi Poeta videberis, & *nominis hujus bonorem* perperam vindicabis, non ulla hominum commendatione

probabilis, ſed plane dignus, cui Apollo iraſcatur, & ſtomachans *ambas*, ut ait ille, *inflet buccas*, & te de Parnaſſi vertice provolutum Muſæ præcipitemque detrudant.

XXX. Sannazarius elegantiſſimum Poema illud ſuum, quod ſcripſit, & quod de *Partu Virginis* inſcripſit, totos viginti limavit annos ac perpolivit, nec niſi de amicorum ſententia manum veluti de tabula removit. Virgilius ipſe Æneidem ſuam annis quidem duodecim abſolvit, ſed ita, minus ut ei probaretur; qua de cauſa flammis, quod Auguſtus vetuit, ſe extincto, abſumi mandavit. Certe hoc opus eſt hujuſmodi, quo quidquam melius atque eo in genere perfectius humanum efficere deſperet ingenium, quod quidem numeris omnibus abſolutum judicari poſſet, ſiquidem auctoris ſui judicium atque approbatio acceſſiſſet. Sed nos quid egregio illi operi deſit non videmus. Vidit Auctor, qui ut extremam illi manum admoveret, ſeceſſionem meditabatur in in Græciam, ſed repentino fato oppreſſus in ipſo ſuſcipiendæ navigationis apparatu migravit e vita, quæ quidem ſi ei diutius ſuppeditaſſet, diutius quoque fuiſſet ei ſua in arte elaborandum.

XXXI. Atque ut, quæ dico, minus miremur, & excellentia iſta qualis ſit, etiam manifeſtius appareat, animum tantiſper ad inferioris notæ artes cogitationemque convertamus. Quantum eximii Pictores, Apelles,

les, Zeuxis, Polygnotus; quantum Sculptores egregii Praxiteles, Phidias, Polycletus, ut in arte quique ſua excellentes evaderent, contentionis adhibuiſſe exiſtimabuntur? Quantum, (ne recentiores prætermittamus, qui ad veterum perveniſſe excellentiam jure cenſendi ac merito ſunt) operæ in Pictura Raphaelem, Titianum, Caraccium; quantum aſſiduitatis in Sculptura Bonarotum, Algardium, Berninum poſuiſſe arbitrabimur? Leonardus Vincius excellens, ſi quis alius, Pictor quatuor impendit annos in fingenda unius Matronæ nobilis effigie. Heracleotem Zeuxim æmulari, opinor, voluit, qui Crotoniatis Helenam pinxit ſic, ut excellentem muliebris formæ pulcritudinem una omnem in ſeſe imago contineret. Audivi de viro fide digno, qui mihi narrabat audiſſe ſe de Solimene, egregio noſtra memoria Pictore, qui, cum moreretur, ſibi e vita tum denique migrandum eſſe diceret, cum unum longa exercitatione digitum probe exprimere didiciſſet. Hi nimirum omnes excellentiam in arte ſua ſpectabant; hanc aſſidue intuebantur; ad hanc unam vires omnes ſuas conatuſque dirigebant.

XXXII. Deſcendam etiam inferius, quo & adhuc miremur minus, & qualis quantaque ſit iſta ipſa excellentia magis ac magis declaretur. Dici non poteſt quantum ſtudii ac diligentiæ Comici illi veteres in geſtu, in ſtatu, & in omni vel minimo corporis motu

impenderent, quantum voci ſervirent, quantum in pronunciatione elaborarent, quo & libentius ſpectarentur a populo, & audirentur cupidius. *Declamitabant* (de Orat. lib. I. num. LIX.) *complures annos ſedentes*; atque ut ſtantes effundere vocem facilius poſſent, *quotidie ante, quam pronunciarent, vocem ſenſim cubantes excitabant, eandemque cum egiſſent, ab acutiſſimo ſono uſque ad graviſſimum ſonum recipiebant, & quaſi quodammodo colligebant*. Hac tamen tali ac tanta adhibita diligentia admodum pauci probabiles evadebant, plerique explodebantur. Incredibili horum in numero unus excellens evaſit Roſcius, ad cujus ſimilitudinem artem ipſam Oratoriam dirigere Cicero ipſe atque exigere non dubitavit, qui tantum in ſcena excellentiæ conſecutus erat, ut in quo quiſque excelleret artificio, is in ſuo genere Roſcius appellaretur; quo præſente nemo ſe commovere poterat, quem omnino probaret, & in quo aliquid vitii non deprehenderet. Atque hic quidem præcipuum artis ſuæ ajebat eſſe *Decere*, quod tamen eſſet hujuſmodi, de quo præcipi omnino non poſſet, & in quo aſſequendo omnes fere Comici fruſtra elaborarent. Uſque adeo excellentia in rebus etiam per ſe levibus ac minimis magnum quiddam eſt, atque adeo omni opinione majus.

XXXIII. Jam ex his, quæ hactenus de nobiliſſimis artibus Oratoria præſertim atque Poetica paullo fuſius per-

perſecuti ſumus, facile cuivis erit conjicere, quam difficile ſit in reliquis artibus libero homine dignis excellentiam conſequi. Quod ſi hoc ipſum in arte noſtra, quæcumque ea ſit, experiri placuerit, experientia ipſa docebimur, quid ſit ad ejus abſolutionem perfectionemque conniti. Quid ergo eſt, cur, ſi nos uni peculiariter arti dederimus, inopiam timeamus, cum unaquæque ars, uti demonſtravimus, tot ac tanta, quanta optare vix poſſumus, per ſe afferat, cum multo plura in ſe contineat, quæ labore ipſi noſtro extundere debeamus, quibus ſi tanquam cumulus niſus ille ad excellentiam, de qua diximus, accedet, erit profecto cur multum contendamus, & quamdiu vivimus, tamdiu non cum laude ſolum ac voluptate, ſed etiam cum profectu noſtro & communi utilitate occupemur.

XXXIV. Quæ cum ita ſint, nihil opinor, reliqui amplius eſt, quod rationem aliquam habeat, quæ nos incertos ac dubios facere poſſit, quominus de contrahenda, noſtrique ingenii viribus attemperanda iſta Encyclopædia ſerio tandem aliquando cogitemus. Nam quid conſilii capias? quid tibi faciendum putes? Cum totum non poſſis, nonne conſultius eſt amplecti partem? cum omnia, quæ ſciri poſſunt, facultate tua aſſequi nequeas, nonne rationi conſentaneum exiſtimari debet, iis, quæ facultatem ipſam non ſuperant, eſſe contentum? Dixi jam, & iterum dicam; ſi quis exſiſteret,

aut

aut vero exſtiturus unquam eſſet, qui omnibus a natura præſidiis inſtructus incredibilem quandam ingenii vim ad omne ſtudiorum genus afferret, qui nihil non celerrime arriperet, qui ſemel arrepta perpetuo memoria cuſtodiret, qui incenſiſſima diſcendi cupiditate flagaret, qui otio afflueret; qui præterea eam & corporis & virium habitudinem ſortitus eſſet, ut contendere poſſet quantum vellet; tantum autem & poſſet & vellet, quantum & optima valetudo, & vita longa; & ad extremam uſque ſenectutem producta ſineret huic utique ego homini auctor eſſem, ut ſe ſtudiis omnibus dederet, nec quidquam eorum, quæ in omni arte atque doctrina ſciri poſſunt, ſibi omittendum negligendumque exiſtimaret. Non enim verendum eſſe arbitrarer, ne ea, quæ ſibi ex omnibus artibus ac diſciplinis ad omnem in omni ſcientiæ genere cognitionem aſſumpturus eſſet, cadere in tantam ingenii præſtantiam ac prope divinitatem non poſſent.

XXXV. Verum cum multo aliter ſe res habeat; nec ita benigne natura nobiſcum ſe geſſerit, aliam ineundam viam puto, aliud capiendum conſilium; aliam in noſtris ſtudiis, ſi quid in iis proficere volumus, rationem cenſeo nobis eſſe ſuſcipiendam. Illud ſive ingenii, ſive facultatis, quod vulgo hominibus ad utendum datur, quantum demum cumque eſt, perexiguum certe eſt, & anguſtis admodum finibus cir-

circumſcriptum. Multi hebetes ac tardi ſunt, nullo prope ingenio, aliqui bono, rariſſimi optimo, plerique mediocri. Nemo unus certe reperietur, quocum liberaliter adeo actum ſit, ut in hac veluti patrimonii deſcriptione, quæ a natura omnium parente facta eſt, nihil amplius requirendum ei optandumque eſſe videatur. Qua quidem in deſcriptione ſi non tantum, quantum vellemus, nobis ingenii obtigit; neque noſtra culpa eſt, qui non ipſi nos finximus, neque ille minus provide ſe geſſit, qui ſuum nos ad arbitrium voluntatemque formavit; immo vero divinum ejus in hoc ipſo providumque conſilium maxime elucet. Diſtributis enim non iniqua illa ſane, ſed tantum inæquali portione partibus, hominum ſocietati mirifice cavit atque providit, ut cum alter alterius ope indigeret, & arctius colligaremur inter nos, & illa ipſa ſocietas ad commune bonum inſtituta mutuis conſtricta officiis firma ac ſtabilis permaneret.

XXXVI. Quare, cum æquiſſimæ huic deſcriptioni omnino acquieſcamus oporteat, quæ ſic humanum temperavit ingenium, ut pluribus conjunctim artibus ſatisfacere non poſſit, quid reſtat, niſi ut unam aliquam e multis noſtro magis ingenio accommodatam, ac facultati congruentem eligamus, eique uni, reliquis ſive prorſus omiſſis; ſive certe tanquam propriis non aſſumptis, ſponte nos totos lubenteſque dedamus. Nec vero, ſi id fecerimus, conſilii noſtri

nos

nos pœnitebit aliquando; nec ab hujuſmodi ſuſcepto conſilio, etiam ſi tenue atque exiguum nacti ſimus ingenium, tenuis ſane fructus atque exiguus in nos redundabit. Notiſſima illa eſt, eademque veriſſima a bono Poeta unu verſu comprehenſa ſententia;

*Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

Diviſa in plura ſtudia debilitatur facultas; nec una pluribus par eſſe poteſt. Quantum uni ſtudio tribuet; tantum alteri neceſſario detrahet. Flumen vel amplum, ſi plures in rivos diducatur, navigia ſuſtinere non poteſt; aquula vero ſi diſtracta ſit, prorſus evaneſcet. Contra ſi eodem omnis contentio feratur & niſus, ſi in unum collecta vis omnis contrahatur, plus multo perſæpe efficietur a nobis, quam per noſtras effici vires poſſe ipſi unquam credidiſſemus. Non ſine cauſa illud etiam communi ſermone jactatur, nec minus vere dicitur; *Ab unius voluminis homine eſſe cavendum*, in quem ſi forte incidas, cogeris profecto obmuteſcere, & tamdiu eum audire, ab eoque doceri, quamdiu ille ab illo volumine ſuo non diſcedet. Tantum una in re contentio valet, & diuturna ac pertinax in uno ſeparatim ſtudio aſſiduitas.

XXXVII. Non idcirco tamen impedio, ne quibuſdam nimis eſſe moroſus videar & difficilis, quo minus ſive ad eligendam artem, cui nos potiſſimum demus, ſive ad cognitionem aliquam, ſive ad multiplicem eruditionem, ſive, indulgentius ut me geram, ad oble-

oblectamentum, ſive denique aliam quamcumque probabilem ob cauſam omnes a nobis artes, maxime a principio, inſpiciantur. Non repugno etiam quo minus plures ab iis, qui ſingulare quoddam, & ſupra communem ſortem, nacti ſunt ingenium, artes copulentur. Verum ut eo, quo cuncta referenda ſunt, & inſtituto ipſe meo nihil non referre ſoleo, rem adducam, dico in hoc ipſo moderationem quandam eſſe adhibendam. Dico nullo modo eos eſſe imitandos, qui levitate quadam deſultorum more ab una ad aliam tranſeunt diſciplinam; multo autem illos minus, qui variis obeundis nullo fine, ac perluſtrandis artibus, totam vitam errando peregrinandoque conſumunt, nuſquam quieti, nuſquam ſtabiles, ſemper exules, ſemper extorres, ubique advenæ, ubique peregrini. Adeantur, ne a propoſita ſimilitudine diſcedam, præcipuæ, ſi ita lubet, regiones, inviſantur celebriores portus, nobiliores urbes inſpiciantur; ſed errandi peregrinandique modus ſit, & tandem aliquando ab errore nos ipſi noſtro ac peregrinatione noſtram vel revocemus in patriam, vel unam e tot, quas adiverimus cognitionis cauſa, regionibus, quæ nobis aut ſalubritate cæli, aut ubertate ſoli, aut incolarum frequentia magis placuerit, optemus, ibique ſedem ſtabilem domiciliumque figamus.

XXXVIII. Verum non ante dicendi finem faciam, quam cum Encyclopædiæ fautoribus in gratiam redeam.

Sic

Sic enim placet; nec volo quemquam a me niſi probe conciliatum pacatumque dimittere. Encyclopædiam perinde iſti neceſſariam eſſe ducunt, quaſi ea ſublata omnis prope doctrina atque ſapientia de mundo tollatur. Nolim equidem tantum humano generi importare detrimentum. Abſit hoc a me, ut privatam opinionem meam publico ſive commodo, ſive utilitati anteponendam exiſtimem. Dabo igitur manus, Encyclopædiam recipiam; non eam contraham amplius, non circumſcribam; ſed totam, quanta quanta demum eſt, expanſis diſtentiſque, quam maxime potero, ulnis conabor amplecti. Ita omnis querela ceſſabit, omniſque inter nos diſſenſio, mutua diffidentium partium gratia, & conſpirante unam in ſententiam conſenſione animorum, componetur.

XXXIX. Una' olim fuit, ut jam diximus, Medica ars, Hippocrate illo Coo florente, & ſingulari præſtantis ingenii fama, & ſumno hominum bono medicinam faciente. Poſtea vero eandem tradunt ab Ægyptiis non diviſam ſolum, ſed in minutiſſimas partes conciſam, ac veluti in lacinias diſcerptam ſic, ut ſingulis prope morbis ſinguli Medentes aſſignarentur. Itaque alii renibns, alii inteſtinis, alii ſtomacho ſubveniebant; alii oculis, alii auribus, alii cerebro medebantur; erant, qui febrem tantum ab affectis corporibus abigerent; erant, quibus hoc ſolum incumberet oneris, ut lentiginem a facie, gravedinem a ca-

a capite, ſtrumas a cervicibus depellerent; ac denique, ne infinita morborum genera perſequar, ii opinor, non deerant, qui reduvias videlicet ſolas curarent. Perridicula enim vero hæc partitio fuit; niſi forte ex ea acutius inſpecta colligere velimus, quantum curæ Ægyptiis valetudo eſſet, qui maluerunt in aliquam vituperationem incurrere, quam omnia morborum genera cum propriæ valetudinis incommodo vel periculo omnibus curanda Medentibus aſſignare.

XL. Hac Ægyptiorum partitione commonitus non eam quidem, ſed aliam magis accommodam ac rationi conſentaneam deſcriptionem ſequar. Neque enim ego ſingulas artes ita dividam, ut ſingulis earum partibus ſingulos cultores attribuam, ſed genera tantum ipſa artium ſecutus, ea ſic aptius diſpertiam, ut unumquodque genus ſuos ſeparatim doctores habeat, quorum alii Theologiæ, alii Philoſophiæ, alii Mathematicæ, Juriſprudentiæ, Medicinæ, Rhetoricæ, Poeticæ, Grammaticæ alii peculiarem operam navent; neque vero alii aliis in artibus deſint, ſi quos alios aut privatarum rerum adminiſtratio, aut publicarum accuratio ad commune bonum utilitatemque requirit. Hoc pacto non in ſingulis hominibus, quod eſſe non poteſt, ſed in ſingulis civitatibus, tota exſtabit Encyclopædia ſic, ut, quemadmodum recepi, nulla ejus pars deſit, nulla ad civitatum ipſarum commodum atque ornamentum deſideretur. Fiet enim, ut ſi omnes ſuo fun-

fungantur munere, & in eam, quam aut ipſi ſibi delegerint, aut ab aliis delatam acceperint, artem, ſtrenuo incumbant, fiet inquam, ut diſtributis peræqua deſcriptione muneribus, in unum tot conſpirantibus ſtudiis, nihil ad privatum uſum utilius optari, nec ad communem requiri felicitatem conducibilibus poſſit. Fortunatæ civitates, ſiquidem cives omnes ſuum quique munus curarent, & ea, qua par eſt, aſſiduitate diligentiaque curarent. Verum, cum alii nihil agant, alii aliud a proprio munere agant, alii demum, quod agunt, remiſſe ac negligenter agant, ſumma hinc rerum perturbatio omnium ac perverſio exſiſtit, ac ipſa non raro everſio conſequitur.

XLI. Hujus, de qua dico, Encyclopædiæ quam expreſſam in præcipuis Europæ Academiis, hanc ſaltem adumbratam in hoc Romano Collegio intueri poteſtis effigiem. Nulla hic diſciplina non traditur, ſuique ſingulis diſciplinis ſunt deſtinati Doctores, ſui Theologiæ & *Dogmaticæ*, & *Poſitivæ*, & *Morali*; ſui Divinæ Scripturæ, Sacris Ritibus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſui, Dialecticæ, Phyſicæ, Mathematicæ, Metaphyſicæ, Ethicæ, Rhetoricæ, Humanioribus litteris ſui, ſui denique linguis Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, nihil ut amplius ad plenam perfectamque artium omnium complexionem requiri poſſe videatur. Quam ſtrenue, quanta aſſiduitate, quanta induſtria, quanta opinione doctrinæ, quanto denique cum bonarum artium, tum

præ-

præſertim Catholicæ Religionis incremento operam quique ſuam navent, tametſi ex hac tanta celebritate atque frequentia ſatis certo colligi videtur poſſe, ego tamen in oratione mea non pono, ſed judicio veſtro ſtatuendum permitto, quos noſtram hanc tenuitatem & qualemcumque publicis & privatis commodis inſerviendi curam nequaquam arbitror aſpernari.

XLII. En Encyclopædiam, quæ artes ſimul omnes nulla prætermiſſa complectitur, quæ eas alligat inter ſe, quæ orbem illum, quem iſti tantopere requirunt, plane abſolutum atque perfectum conſtituit, quæ neminem prægravat, quæ omnium accommodatur ingenio, quæ cujuſque attemperatur facultati, quæ haberi poteſt, quæ re ipſa exſiſtit, & quæ denique ampliſſimos & certiſſimos fructus parit. Hanc ego maxime ſalutarem exiſtimo, hanc neceſſariam duco, hanc vobis exhibeo, hanc ego ipſe in primis amplector, qui me hinc ſine cunctatione ad demandatum mihi munus ſedulo obeundum confero. In hoc aſſidue occupabor; hoc urgebo dies, ac noctes; hoc agam, quod mihi agendum eſt, & unice agam, illudque pro viribus enitar, ut erudiendis inſtituendiſque liberis veſtris meæ fidei commiſſis magis ac magis idoneus fiam, quibus nunquam deero; & omnia, quæ ipſis ſalutaria tum in litteris, tum præſertim in pietate eſſe cognovero, omni ſtudio, induſtria, diligentia me curaturam ſpondeo atque recipio.

DE CICERONIANA
# LECTIONE
AD AUDITORES SUOS

## *Oratio parænetica I.*

M. T. Ciceronis de Oratore ad Q. Fratrem libri tres, poſt Pariſienſem editionem in uſum *Sermi* Galliarum Delphini concinnatam, ſemel a nitidiſſimis atque emendatiſſimis Seminarii Patavini typis olim excuſi, nunc iterum iiſdem formis, quanta maxima adhiberi potuit diligentia, impreſſi prodeunt in lucem, vobiſque dedicantur, Optimi Adoleſcentes. Hos, & reliquos omnes, quibus Tullius Oratoriam artem complexus eſt, perſpicua interpretatione ſelectiſque adnotationibus explanandos ſuſcepit Jacobus Pruſtæus vir e Societate noſtra ſane doctus & eruditus. Nec vero non egregie operam ſuam poſuit & collocavit; effecit enim pro-

propo, ut vel ab ipſis adoleſcentibus, qui latinæ linguæ prorſus ignari non eſſent, etiam ſine Doctoris viva, ut ajunt, voce intelligerentur; cum nullum paullo obſcuriorem locum prætermiſerit, cui non aliquam lucem attulerit. Qua in re ita eruditioni ſervivit, ut etiam ſtuduerit brevitati; non omnia ex omni Antiquitate atque univerſa Philologia colligens, & per vim quodammodo lectoribus obtrudens; ſed ea tantum ex utraque modice ac parce delibans, quæ maxime ad rem facere, atque ad Auctoris ſententiam explicandam conducere videbantur.

II. Ipſos vero hoſce de Oratore libros (*a*) nihil eſt, cur vobis, Adoleſcentes Optimi, pluribus commendem, qui cum Ciceronis ſint, hoc eſt ejus hominis, qui, ut ait Quintilianus Inſtitutionum Oratoriarum lib. x. dono quodam providentiæ genitus fuit, in



(*a*) Prodierunt hi ipſi de Oratore libri in etruſcum ſermonem tam accurare converſi, (anno 1761. Mediolani) ut verſio hæc rectæ & caſtigatæ verſionis inſtar haberi poſſit. Doctiſſimus auctor utramquc linguam apprime callet, utriuſque vim penitus aſſequitur, inhæret Ciceronis ſententiæ, obſcurioribus locis lumen affert, utriuſque linguæ veneres ſic conjungit, ut ab eodem fonte peti a ſtudioſis harum linguarum poſſint; verſio denique hæc hujuſmodi eſt, ut qui ſive latinum exemplar, ſive verſionem etruſcam legat, utrobique Ciceronem miretur, ac pari voluptate afficiatur. Quare non eſt cur auctor *obtrectandi impunitatem ac licentiam* reformidet, quod cum Dionyſio Petavio S. Epiphanii Interpetre vereri ſe dicit. Quæ exquiſita Dionyſium Petavium in interpetrando diligentia ab obtrectatorum *impunitate ac licentia* tutata eſt, eadem hujus auctorem verſionis tutabitur. Hic eſt Joannes Antonius Cantova e S. I., de quo honorificam mentionem Parthenius noſter lib.6. Electricorum facit, ubi ejuſdem aliquot Ciceronis Orationum in etruſcum idioma verſionem inſigniter laudat; nos vero alias hujuſmodi verſiones cupidiſſime exſpectamus.

in quo totas vires ſuas Eloquentia experiretur, ſatis ſuperque hoc uno nomine unicuique veſtrum commendati eſſe debent. Quid enim vir hic ingenioſiſſimus & diſertiſſimus, aut dixit, aut ſcripſit unquam, quod non elegans, quod non politum, quod denique non in ſuo genere perfectum eſſet? Illi ipſi duo de Inventione libri, quanquam auctori ſuo minus probati, utpote quos ſibi adoleſcentulo inchoatos ac rudes excidiſſe, neque dignos provectiore ætate eſſe viſos, atque eo uſu, quem ex cauſis tot tantiſque, quas dixerat, conſecutus erat, ipſemet ingenue confeſſus eſt; tamen hujuſmodi ſunt, ut reliquorum, qui intercidiſſe putantur, jacturam triſtem ſane atque acerbam ſummopere conqueri ac dolere debeamus. Contra lætari nos ac gaudere ſane vehementer decet, quod hos de Oratore libros, quæ illos de Inventione reliquos eripuit, eadem adverſa fortuna nobis non inviderit. Etenim cum antea mutili multis partibus atque confuſi circumferrentur, neque integri uſquam recteque diſpoſiti apparerent, factum eſt, ut ſæculo quintodecimo Laude Pompeja e ruderibus effoſſi, in lucem, quales Cicero ediderat, ſummo Litterariæ totius Reipublicæ bono emerſerint.

III. Et ſane quid his libris excellentius? quid elegantius atque perfectius haberi, aut excogitari poteſt? Vere videor de Cicerone, iiſdem fere verbis, eadem certe omnino ſententia affirmare poſſe, quod

ipſe

ipſe de L. Craſſo diſertiſſimo Oratore pronunciavit, quodque etiam ego inter homines doctiſſimos ac ſapientiſſimos conſtare arbitror; Cæteros a Cicerone, cum aliquid mandaret litteris, ſemper omnes; his autem ſcriptis libris ipſum a ſe ſe ſuperatum. Quos ego libros ſi pulcherrimarum ac reconditarum rerum theſauros appellem, minus certe quam debeam, prædicem. Conferantur unum in locum præcepta omnia, quæ de arte Oratoria ſive a Græcis, ſive a Latinis ſcriptoribus litterarum monumentis conſignata ſunt, omnia certe in his multo copioſius atque uberius tractata reperientur; ut etiam facile appareat, quotquot poſt Ciceronem his ipſis de rebus ſcripſerunt plurima ex his uberrimis quaſi fontibus hauſiſſe, quæ in ſuos libros ac commentarios derivarent. Multa vir hic acerrimus ex Græcorum ſcriptis, qui peritiſſimi dicendi opifices habebantur, collegerat; multa Athenis ipſe coram ab iiſdem audierat; multo plura uſu atque exercitatione aſſecutus fuerat; plurima vero per ſe, ſummo quo erat ingenio præditus, & inuſitato quodam mentis acumine, viderat atque didicerat; atque hac tam varia rerum cognitione inſtructus tum demum ad hos conſcribendos libros animum cogitationemque adjecit. Quid? quod, ut ipſe teſtatur ad Atticum ſcribens (Epiſt. xxiii. lib. iv.) diu multumque ei in manibus fuerunt; ut illos ſæpius procuderit, ſæpius ad limam revocarit? Non igitur mirandum eſt ſi tales

evaſerint, quales eſſe debebant; qui etiam Auctori ſuo, libere de iis incorrupteque judicanti, quam ornatiſſimi & abſolutiſſimi haberentur; cujus ego præſtantiſſimi artificis de ſuo ipſius opere judicium, omnibus doctiſſimorum virorum vel ſententiis, vel opinionibus, quæ de his ipſis libris ſane graviſſimæ ac præclariſſimæ exſtant, jure antepono. Etenim is ſolus pulcherrimum hunc ingenii fœtum æſtimare poterat, qui illum & animo concipere, & conceptum mente, ac judicio conformatum in lucem edere potuit; ſolus noſſe, quantis laboribus, quam longis vigiliis præclariſſimum hoc elucubraverit opus, qui nihil ſibi prope reliqui fecit, ex multiplici rerum plurimarum ac maximarum ſcientia, qua completum pectus atque oneratum habebat, quod in ejus confectionem non contulerit.

IV. Atque hoc ipſum ne nobis quidem difficile cognitu eſt, ſi modo quantum quamque multiplex doctrinarum inſtrumentum in hos libros congeſtum ſit, diligenter animadverterimus. Nam, ut omittam præcepta dicendi, de quibus jam dixi, quam multa hic de Hiſtoria, de Poeſi, de Philoſophia, de Jure civili ſubtiliter & copioſe diſputantur! Locus ille (lib. II. num. LVIII. & ſequent.) de facetiis & jocis, qui modice ac prudenter ab Oratore adhibiti non ſolum nimiam orationis gravitatem relaxant, ſed etiam hominum inter ſe congreſſus ac ſermones quodammo-

do

do condiunt, quam ſubtiliter ab eo, quantaque cum dignitate tractatur! Quam ſollerter omnes quaſi ridiculi regiones peragrat! quam acute facetiarum genera diſtinguit! quam ſancte ac religioſe præcipit, ut *in jocando præſtemus ſemper ingenuitatem ac ruborem noſtrum, vitata omni & verborum turpitudine, & rerum obſcænitate*; ut *ne aut inſignem improbitatem ſcelere junctam*, aut rurſus *inſignem miſeriam rideamus*; denique ut *parcamus hominum charitati, nec quidquam temere dicamus* in eos, *qui vel propter dignitatem, vel propter probitatem maxime diliguntur*! Quæ omnia ex media Philoſophia deprompta nemo non videt, atque ex eo loco, ubi a Philoſophis, atque adeo ab ipſo Cicerone in ſuis Officiorum libris, de *Decoro* in jocis ſervando, egregie diſputantur, in hunc eſſe locum traducta; atque ita vitæ noſtræ partem multo potiſſimam ſanctiſſimis ſaluberrimiſque præceptis inſtitutam, atque ad omnem honeſtatem officiumque formatam.

V. Age vero, qualis tandem horum librorum ſtylus eſt? prorſus talis, qui cum rerum gravitate ac præſtantia mirifice congruat atque conſentiat. Sic Oratorem inſtituit, ut ipſe Orator ſummus videatur. Deus immortalis! quæ verborum elegantia! qui delectus, nitor ac ſplendor! qui totius orationis contextus, ornatus & copia! Nihil non venuſtum, nihil non limatum, nihil non acri ſtudio judicioque perpolitum.

litum. Omnia, & apta verbis, & illuſtrata ſententiis, & figuris diſtincta, & ſuaviſſimo quodam dulciſſimoque numero concluſa. Non hic quidem illud dicendi genus acre, vehemens & concitatum, quale in orationibus fere miramur, atque in iis præſertim, quibus aut Verrem exagitat, aut Piſonem inſectatur, aut in Vatinium, Clodium, atque Antonium invehitur; non hic commiſerationes illæ conqueſtioneſque, quibus curiam ac forum permiſcere totum conſueverat. Non enim iſtiuſmodi contentionem ipſius operis ratio poſtulabat, quin illa erat a docentis ac præcipientis inſtituto quam maxime abhorrens.

VI. Quanquam, ſi recte attendamus, iſta ipſa contentio omnino non deeſt; & quamvis Cicero his in libris in eo ſermonis genere verſetur, quem Græci *Didaſcalicum* vocant, qui ornatus quidem & comptus, ſed purus ac ſimplex eſſe debet; tamen rationem vir ingenioſiſſimus acutiſſime excogitavit, qua in eundem ſermonem concluderet, quæ tantummodo propria videbantur ſubſelliorum & fori. Quid cum initio libri primi eloquentiam laudat illis verbis; *Quid eſt tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exſiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit?* & reliqua; nonne ea dicit, quæ perinde nos moveant atque percellant, ac ſi de loco ſuperiore ad confertam multitudinem, concitandorum animorum cauſa, dice-

ce-

cerentur ? Nihil toto eo orationis tractu illuſtrius ac magnificentius afferri a quoquam poſſe eo in genere dicendi puto. Quid item miſerabilius ? quid flexanimum magis legi poteſt libri tertii exordio ? ubi Craſſi mortem acerbiſſime deflet ac deplorat, & ſubitum ac repentinum Clariſſimi Viri caſum cum funeſtiſſimo miſerrimoque totius pene Reip. occaſu conjungit. *O fallacem hominum*, inquit, *ſpem fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones! quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt*. Paucis vero interjectis; *Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia Senatum, non ſceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exſilium generi, non acerbiſſimam C. Marii fugam*, & reliqua. Adde illa, quibus totum hunc locum egregie concludit. *Ego vero te Craſſe, cum vitæ flore, tum mortis opportunitate divino conſilio & ortum & exſtinctum eſſe arbitror. Nam tibi pro virtute animi conſtantiaque*, & cætera, quæ ſuperioris ſententiæ rationem continent. Quæ omnia profecto plena luctus, plena mœroris ſunt, nec ſine lacrymis legi poſſunt.

VII. Attamen, quemadmodum dixi, aliud atque in orationibus, in his libris, dicendi plerumque genus eſt; non modo, quod ad præcipiendi rationem accommodanda erat oratio, verum etiam, quod Dialogorum con-

conſuetudini ſerviendum , & familiarium ſermonum ſimilitudo fuit atque imitatio ſuſcipienda. Quo in genere ſcriptionis nihil eſt, quod abſolutum magis ac perfectum requiras. Omnia ad artis præſcriptum directa & exacta; locus, tempus, occaſio opportune captantur. *Decorum* vero illud, quod eſt præceptum in Dialogo vel maximum, ita ſervat, ut ubiqne Romana dignitas, Romana majeſtas eluceat; ubique expreſſa quodammodo *Decori* ipſius effigies cernatur; ita eorum, qui loquuntur, orationis habitum quodammodo induit, ut non ipſum, ſed eos, qui ab ipſo inducti ſunt, loqui arbitreris. In Scævola gravitas, in Craſſo ubertas, in Antonio ſubtilitas, ſuavitas in Catulo, in Cæſare feſtivitas atque lepos, flagrans quædam in adoleſcentibus Sulpicio & Cotta audiendi diſcendique cupiditas; tum verecundus quidam in percunctando pudor ubique elucet; propriis denique quiſque notis inſignitus ac mirabiliter expreſſus eſt. Quare videtis, planeque, opinor, perſpicitis, Optimi Adoleſcentes, nihil huic operi deeſſe, quod ſive ad rerum copiam & varietatem, ſive ad orationis cultum atque elegantiam, addo etiam ad voluptatem & delectationem requirere poſſitis.

VIII. Jam ut conſilii mei rationem vobis exponam, qua ſum adductus, ut hos libros interpretandos ſuſciperem; in primis me ejus aurei vere libelli, quo ſtudiorum Societatis Jesu univerſa ratio continetur, movit

movit auctoritas, quæ cum externis ſapientiſſimis viris gravis viſa ſit, qui eam probarunt, in ſuaque gymnaſia induxerunt, profecto mihi multo graviſſima eſſe debuit; quo in libro, ubi Rhetori præſcribitur, hæc leguntur; *Pracepta etſi undique peti & obſervari poſſunt, explicandi tamen non ſunt in quotidiana prælectione, niſi Rhetorici Ciceronis libri*. Tantam igitur auctoritatem mihi omnino eſſe ſequendam duxi, & hos eo in gymnaſio libros retinendos exiſtimavi, cui jam inde uſque ab ipſius exordio adſcriptos fuiſſe conſtaret. Neque enim audiendos puto, qui hos tanquam nimis ſubtiles & acutos, ac propterea ad captum adoleſcentium minus accommodatos Rhetoricæ aditu atque veſtibulo prohibendos cenſent. Quid? terantur quotidie puerorum manibus graviſſimi illi ejuſdem Ciceronis Officiorum libri non minus certe ſubtiles atque ad intelligendum percipiendumque difficiles; hi vero iiſdem ætate provectioribus, neque certe ita rudibus humaniorumque litterarum expertibus prope de manibus excutientur? Non video quale in ſimili cauſa atque adeo meliore afferri diſcrimen poſſit. At vero inquiunt; illud etiam reprehendimus, quod pueris ſeveriora illa, & ducta e penitiſſimis Philoſophiæ fontibus, præcepta tradantur, quæ Officiorum libris continentur. Verum, ſi hoc eſt, prope de gymnaſiis omnibus exterminandus eſſet Cicero, qui nihil non graviter, non ſubtiliter, non acute, denique non phi-

philoſophice ſcripſit, qui quidem ita de ſe profitea-tur; Se *Oratorem* (Orat. num.III.) *ſi modo ſit*, *aut etiam quicumque ſit*, *non ex Rhetorum officinis*, *ſed ex Academiæ ſpatiis exſtitiſſe*. Et de Natura Deor. lib.I. num.III. *Cum minime videbamur*, inquit, *tum maxime philoſophabamur*, *quod orationes noſtræ declarant refertæ Philoſophorum ſententiis*. Qui vero ejuſdem epiſtolas legat, idem prorſus de illis affirmabit, in quibus omnia prope offenduntur plena gravitatis, referta conſiliorum, quæ certe minus puerili ætati ſunt ac levitati accommodata.

IX. Quid ergo eſt, quod, cum Ciceronis opera ſive pueris, ſive adoleſcentibus in ſcholis ediſcenda proponimus, ab ea ætate poſtulamus? An ut omnia intelligant, percipiant; penitus aſſequantur? Hoc profecto neque ejus, neque omnis ætatis eſt atque ingenii. Quotus enim quiſque reperietur etiam ex iis, qui eruditi haberi volunt, qui Ciceronis libros omnes pervolutarit, & ſiquidem id præſtiterit, admirandam ingenioſiſſimi hominis in dicendo vim ſcientia ſit ac ratione conſecutus? In tanti viri operibus ſane multis atque variis domicilium, ut ita dicam, collocandum eſt, ut tum demum is ex eorum lectione delectationis ſenſus percipiatur, qui non mediocris atque vulgaris, ſed præſtantis ac perfectæ intelligentiæ fructus eſt. A pueris autem atque adoleſcentibus, quid poſtulamus, cum eoſdem cogimus in unum

unum ferme Ciceronem mentis aciem obtutumque defigere? Non aliud profecto, præter latini ſermonis nitorem atque elegantiam, quæ peti maxime a Cicerone debet, niſi ut teneris eorum mentibus, cum philoſophicos illos libros interpretamur, ſpecies quædam inſideat honeſti, cum vero iſtos rhetoricos explicamus, Oratorem majus eſſe quiddam ſuſpicari incipiant, quam quod vulgo homines opinantur. Præclare in hanc ſententiam Quintilianus lib. I. Inſtit. Orat. c.VIII., *Optime*, inquit, *inſtitutum eſt, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet; quanquam firmiore judicio opus eſſet. Sed huic rei ſupereſt tempus; neque enim ſemel legentur*. Itaque a Doctoribus fere magnarum tantum rerum jaciuntur ſemina, quæ poſtea & diuturno ſtudio, & non intermiſſa aſſiduitate, quaſi mollita & ſubacta, accedente graviorum artium ſcientia, ipſiſque annis procedentibus, ſenſim adoleſcant, & tandem aliquando, cum ſe ætas jam firma corroboraverit, lætam ferant atque uberem veræ germanæque ſapientiæ frugem. Quid multa? Idem Cicero, qui affirmat, ſe libros hos Ariſtoteleo more ſcripſiſſe, atque in his omnem antiquorum, tum Iſocratis, tum Ariſtotelis rationem oratoriam eſſe complexum; ac proinde eos a communibus præceptis valde abhorrere; epiſtola tamen ad Lentulum data, quæ eſt ad Familiares nona libri primi, eidem Lentulo hos ita commendat, ut ejus filio fo-

re

re non inutiles arbitretur; adoleſcenti utique, ut ad hunc locum animadvertit Paullus Manutius, non viro. Auctore igitur Cicerone omnium profecto maxime idoneo, adoleſcentibus hi libri in manus tradi non ſine ingenti eorum utilitate poſſunt.

X. Atque hujus quidem utilitatis conſequendæ augendæque ſpes effecit, ut cum jam vetere inſtituto Tullianæ orationes explicarentur, earundem explicationem ab Rhetoricorum librorum interpretatione minime ſejungendam exiſtimarim; quæ eſt altera ſuſcepti a me conſilii, &, ut mihi perſuadeo, optima ſane ac graviſſima ratio. Nam, præterquamquod multo æquius atque utilius videri debet, ut a quo fonte eloquentiam, ab eodem etiam haurias præcepta eloquentiæ; ſæpe animadverti non omni ingenio illud dicendi genus forte ac concitatum, quale, uti ſupra obſervavimus, fere nobis exhibent Tullianæ orationes, peræque convenire. Alii ingenito quodam animi impetu atque ardore ad vehemens illud feruntur; alii vero, & fortaſſe plerique, ab eodem, non ſolum judicio ac voluntate refugiunt, ſed ſponte atque ipſa natura ad lene, ad quietum ac ſedatum ſe conferunt. Quod quidem, cum in priſcis Oratoribus, ſive Græcis, ſive Latinis, tum in doctiſſimis illis, atque omni laude præſtantiſſimis viris, qui ſæculo ſexto decimo floruerunt, obſervare eſt; quos ſane conſtat alios aliam iniviſſe viam, ac plane diverſam ſecu-

ſecutos eſſe rationem dicendi ; omnes utique laudandos, quandoquidem in ſuo quique genere eximii atque excellentes fuerunt ; quos tamen ſi conferas inter ſe, ita diſſimiles invenies, ut eoſdem in eo fere ſimiles reperias, quod ornatiſſima ſane, ſed maxime temperata oratione uſi ſunt. Non defuerunt quidem ex iis, qui illud aliud vehemens & concitatum dicendi genus adamarint ; ſed hi quam pauciſſimi exſtiterunt ; inter quos facile eminet Perpinianus noſter, cujus plena roboris atque ardoris oratio eſt ; quod non tam fervido ejus ingenio tribuendum exiſtimo, quam incenſiſſimo illi, quo vir ſanctiſſimus flagrabat, Catholicæ Religionis, quæ tunc maxime a nequiſſimis hominibus oppugnabatur, propugandæ ſtudio adſcribendum puto.

XI. Jam cum Cicero, optimus & dicendi & docendi auctor, iis, qui alios erudiunt, diſerte præcipiat, ( de Orat. lib. III. num. IX. ) ut quo ſua quemque maxime natura ferat, diligentiſſime videant ; nolui officio meo deeſſe ; vobiſque utramque ex uno Cicerone eloquentiæ quaſi formam proponere optimum judicavi ; ut quam quiſque ſibi maxime conſentaneam atque accommodatam noverit, eam amplectatur ; alteram quidem fervidam ac vehementem in orationibus ; alteram lenem ac blandam in his ipſis libris ; quorum tanta in utramque partem venuſtas eſt, ut qui eos imitatione fuerit aſſecu-

ſecutus, is plane eximius ac perfectus Orator habendus ſit. Date igitur operam, Optimi Adoleſcentes, ut hos libros aſſidue pervolutetis. Mihi ego certe in exponendo tanto auctore non deero; omnia plane, dilucide, enucleate, explicabuntur; & ſic ante oculos veſtros ponentur, ut etiam qui minus in intelligendo celeres ſunt & acuti, dummodo animum intendant, nihil non probe intelligere poſſint atque percipere. Veſtra igitur præcipua cura ſit, ut me hos libros interpretantem attente audiatis; mea erit, ut non cum profectu ſolum, ſed etiam cum voluptate audiatis. Atque hæc his nominatim de libris dicta ſint ſatis.

XII. Nunc ut generatim aliquid de tanti viri ornamentis atque virtutibus, quo ad Ciceronianam vos lectionem acrius ac vehementius inflammem, paullo fuſius ac liberius perſequar, quid eſt, quod aut a me, aut vero a quoquam tanto dignum ingenio, dignum ſapientia, dignum erudItione, eloquentia dignum pro ferri poſſit? Tanta enim hujus hominis poſt hominum memoriam & doctiſſimi, & eloquentiſſimi ſunt merita, ut ad eum pro merito laudandum ejus ipſius, qui laudatur, adhiberi deberet eloquentia, quæ ſola ejus laudibus par eſſe poſſet. Etenim quod nam unquam vel præconium tributum, vel grave teſtimonium clariſſimis ſive doctrina, ſive facundia viris impartitum aut legimus, aut audivimus, quod jure illi ac me-

merito tribuendum ſimiliter impertiendumque non putemus? Ea ipſa, quæ hoc ipſo in genere omnino ſingularia, de hujuſmodi viris, ac plane memorabilia ſuis ipſe paſſim collegit & complexus eſt libris, de Cetego, qui *Medulla Suadæ* ab Ennio vocatus eſt, de Pericle, cujus in labris Leporem ſeſſitaviſse ſcripſit Eupolis, de Xenophonte, cujus ore Muſæ feruntur locutæ, de Theophraſto, qui a loquendi divinitate nomen invenit, de Platone, cujus ſermo Jove ipſo dignus habitus eſt, de Demoſthene, quo ne Athenæ quidem ipſæ Atticæ magis eſſe potuiſſe dicuntur, ea inquam omnia uni Tullio mirifice congruunt atque conveniunt. In hoc uno viro & ſuavitas Iſocratis, & ſubtilitas Lyſiæ, & amplitudo ſcribendi Platonis, & loquendi divinitas Theophraſti, & acumen Hyperidis, & ſonitus Æſchinis, & vis Demoſthenis inſigniter eminent.

XIII. Ac ne Græcos tantummodo commemoremus, & Romanos doctrinæ atque eloquentiæ laude commendatiſſimos, qui ad Græcorum famam & gloriam quam proximæ orando ſcribendoque acceſſerunt, prætereamus, in eodem uno & eruditio Catonis, & gravitas Africani, & lenitas Lælii, & canorum ac profluens Carbonis, & vehementia in agendo Galbæ, & Scauri auctoritas, & Gracchi ubertas, & pellucens oratio Calidii, & concinnitas Tuditani, & pura latinitas Catuli, & feſtivitas Cæſaris, & ſubtilitas

Cottæ, & contentio Sulpitii, & juris peritia Scevolæ, & diſertum Antonii, & Craſſi magnificum orationis genus, & copioſa in omnem partem dicendi facultas Hortenſii admirandum plane in modum elucent. His adde, ne quidquam ad magnificentiorem tanti viri prædicationem commendationemque deſideres, Dialecticorum acumen, Philoſophorum ſcientiam, Juriſconſultorum peritiam, eruditionem Hiſtoricorum, & ſi qua ſunt alia, quæ ſapientem, ac diſertum hominem maxime ornant atque illuſtrant, quæ cum addideris, eique uni tribueris, non plus certe, quam debeas, celebraveris. Comprehendam paucis; quæ diviſa in aliis ſive eximiæ doctrinæ, ſive excellentis eruditionis, ſive inuſitatæ facundiæ, ſive cujuſque ſingularis ornamenta virtutis ſuſpicimus, in hoc uno collecta miramur univerſa.

XIV. Illud vero admirabile eſt in hoc homine, & ſupra quam dici aut credi poteſt, inſigne, inuſitatum, eique uni proprium ac ſingulare, ut, cum tot caracteres tam varios tamque diverſos unus complectatur, ita ſcite omnes componat inter ſe, tanto illiget artificio, ut ea ſecum conciliet, quæ convenire vix poſſe videantur. Cum Rhetoricos omnes ſive ad docendum, ſive ad delectandum, ſive ad movendum, percurrat locos, nuſquam offendit, nunquam aberrat; cum tot ac tantas in dicendo ſcribendoque exprimat diſſimilitudines, ſic tamen in tanta & di-

dicendi & ſcribendi varietate orationi moderatur, ut ſemper ſit ſimilis ſui, nunquam a ſe diſſentiat; ſic ſtylum numeroſque temperat, ut nunquam ſibi obſtrepat, nunquam non conſonet; ſic lumina orationis diſpenſat atque diſpertit, ut nunquam orationis luminibus ſuæ luminibus officiat ſuis; denique quocumque orationis genere utitur, quemcumque ſtylum arripit, quamcumque in partem ſe dat, quocumque ſe vertit, quam perſonam cumque ſuſcipit, unus ſemper & idem eſt Cicero.

XV. Omnino is fuit Tullius, qui omnes ſive Græcos, ſive Latinos ſcriptores actoreſque cauſarum aut vicit, aut certe æquavit. Habuit, quod omnes habuerunt; quod omnibus defuit, unus explevit. Perpolivit, quæ rudia in aliis invenit; quæ egregie inchoata reperit, ad abſolutionem adduxit atque perfecit. Mitto præcepta ad eloquentiam ſpectantia, quæ a Græcis quidem ſumpſit; ſed non ut exſcriptor, verum ut doctor, ut judex, ut corrector deſumpſit, in meliuſque conformavit. Eloquentia vero ipſa potuitne a quoquam ornari magnificentius? ditari copioſius? ſublimius extolli? quam ab eo, qui illam eo perduxit, quo pervenire ulterius omnino non potuiſſe videatur. Quas jejunas, ut ipſe de ſe fatetur, (Orat. num. xxx.) multiplicis & æquabiliter fuſæ orationis aures civitatis accepit, eas primus ad novum ac plane ſuum admirabile dicendi genus arrexit, ad illudque incredibilia Roma-

norum ſtudia convertit. *Dicerem*, inquit ipſe modeſte de ſe, (Orat. num. XXXVIII.) *genus hoc eloquentiæ eſſe perfectum, ſi ita judicarem, nec in veritate crimen arrogantiæ extimeſcerem*. Latinam porro linguam ſic expolivit, ut nemo luculentius, nemo limatius, nemo elegantius; ut hoc potiſſimum nomine præclariſſimum ei teſtimonium Julius Cæſar, politiſſimus ipſe in ſcribendo & elegantiſſimus Auctor dederit, (de Clar. Orat. num. LXXII.) qui illum *Latinæ principem copiæ atque inventorem* appellat, ob eamque cauſam *bene de nomine ac dignitate Populi Romani meritum* & affirmat, & prædicat. Nam quid de Philoſophia loquar? quam diligentiſſime excoluit; neque vero illam ſolum omnium & recte factorum & bene dictorum magiſtram, ſed illam etiam diſceptatricem alteram, ac diſputationum & concertationum amicam. Cum omni omnis Philoſophiæ & præſidio nudatos, & ornamento ſpoliatos Romanos animadvertiſſet, vir litterarum & patriæ amantiſſimus tantum abeſſe a ſuis civibus & præſidium, & ornamentum non tulit. Itaque illam e Græcia, ubi nata fuerat atque educata, omnium princeps Romam attraxit, primus Romanis tradidit, primus latinis litteris auxit & illuſtravit. Non enim ut ſapientiſſimus tantum & eloquentiſſimus Philoſophus ipſe diſſeruit, ſed vel de ſummis eloquentiſſimiſque Greciæ Philoſophis veriſſime & æquiſſime judicavit. Non eos audivit ut diſcipulus, ſed ut doctor

ctor ipſe ſummus doctores ipſos edocuit. Itaque multa in iis reprehendit, multa emendavit, multa de ſuo addidit, quibus effectum eſt, ut quæ laus ad illud uſque tempus uni Græciæ propria fuerat ac ſingularis, hanc poſtea cum Græcis Roma communem habuerit.

XVI. Et vero, unde nam factum putabimus, ut in tanto præclariſſimorum interitu operum Ciceronis opera, ſi non omnia, maxima certe ex parte noſtram ad uſque ætatem in tanta & ſæculorum intercapedine, & temporum litteris ac bonis artibus infeſtiſſimorum diuturnirate pervenerint? Dicemuſne vetuſtatem, rerum illam omnium confectricem edaciſſimam, conſulto ab iiſdem conſumendis abſtinuiſſe, quæ tot ac tanta præſtantiſſimorum monumenta ingeniorum prorſus abſumpſit atque delevit? Barbaroſne, quod de miræ altitudinis Obeliſco ſcriptum reliquit Plinius, (Hiſt. nat. lib. xxxvi. cap. ix.) quem urbe, ubi conſtitutus erat, exciſa, *tantæ molis reverentia* intactum ſervavit Cambiſes, *tanti* ſimiliter *viri reverentia* ejus operibus peperciſſe, qui tam multa, tam nullo diſcrimine peſſum dederunt, ut ad ea potiſſimum, quæ omni in genere, ſive ingenii, ſive artificii inſignia eſſent atque excellentia, ferro flammiſque perdenda cæco acti furore incitatique raperentur. Nihil horum poteſt dici.

XVII. Ac neque illud dici poteſt, paucos admo-

dum eo tempore, quo Cicero floruit, præſtantes exſtitiſſe doctrina & eloquentia viros, Romæ præſertim, quo relictis Athenis omnis prope ſapientia conceſſerat, & quo eam ipſe in primis Cicero arceſſiverat, quorum opera digna eſſent, quæ omnes infortuniorum caſus evaderent, & quæ ſummo ſtudio a majoribus privatim & publice cuſtodientur. Multi exſtiterunt & peracri ingenio, & eximia doctrina, & eruditione ſingulari, & exquiſitis litteris reconditiſque præſtantes, qui quam bellicam laudem Imperatores armis Romano conciliarunt imperio, eandem litterarum gloria cumularunt. Eloquentia ſane in primis ita Romæ viguit, ut nemo fere reperiretur ingenuus, qui non ſuam honeſtare adoleſcentiam orando vellet; nemo ingenio præſtans, qui non in forum deſcenderet, illudque non quaſi theatrum quoddam nobiliſſimis patefactum ingeniis conſtitutumque arbitraretur. Neque aliter eſſe debuit ea in urbe, in qua tot erant propoſita ad eloquentiam præmia, ut nuſquam gentium tam amplus ſive ad gratiam, ſive ad opes, ſive ad dignitates pateret aditus. Attamen cum tam multi clariſſimi Oratores illa ipſa in urbe floruiſſent, eorum lucubrationes prorſus antiquitas obruit, quorum nobis nec nomen, nec merita nota eſſent, niſi unius præconio Ciceronis & teſtimonio fuiſſent poſteritati commendata.

XVIII. Quam igitur cauſam excogitabimus, cur unius

unius prope hominis opera tandiu perennarint, ut ea neque vetuſtas conſumere, neque diuturnitas temporis abolere, neque cæca barbarorum rabies perdere, neque hæc conjunctim omnia impedimento eſſe potuerint, quo minus maxima ex parte ad noſtra uſque tempora perdurarint? Nulla hujuſce rei cauſa (non eſt cur aliam excogitetis) proferri verior poteſt, quam ſumma, inuſitata, ſingularis hujus ipſius hominis opinio ſapientiæ. Hac opinione factum eſt, ut quæ vir doctiſſimus ſcriberet, omnia certatim exſcriberentur, & incredibilis exemplorum copia incredibilem ipſam vetuſtatis vim inexpletamque ingluviem ſuperaret. Nunquam illa tantum abſumere valuit, ut non multo plus, quod conſumeret, aut ſupereſſet, aut certe hominum cura atque induſtria reficeret. An cenſetis ea tempeſtate, qua Cicero floruit, quemquam fuiſſe paullo litterarum ſtudioſiorem, qui præcellentiſſimi ingenii opera ſtatim deſcribenda non curaret, qui ea habere nollet, qui non legeret, qui non ſuſpiceret, ut hac ipſa de cauſa ea & habere nos, & legere, & ſuſpicere, & frui tanta diſcendi opportunitate poſſemus?

XIX. Quamobrem nolite putare, quod aliis fere uſuvenire ſcriptoribus ſolet, ut eorum *ſerum poſt funera nomen* tantummodo increſcat ac propagetur, hoc Ciceroni ſimiliter accidiſſe. Immo vero, cum viveret, omnibus prope miraculo fuit, omnium ad

ſe ſtudia convertit, omnium ad ſe attraxit admirationem. Ipſo vivente nomen ejus longe lateque percrebuit; neque vero ejus fama unius Latii finibus ſe continuit, ſed in Græciam feliciter enavigavit, & in omnem partem diffuſa, quo Romanorum arma penetrarunt, ipſa quoque pervenit. De palma eloquentiæ cum principibus Græciæ Oratoribus contendit, & eos ſi non omnes ſuperavit, vicit plurimos, æquavitque præcipuos. Demoſtheni quidem, quem ſummopere admiratus eſt, ipſe faſces ultro ſubmiſit; ſed ego ſingulari hoc hominis modeſtiæ tribuendum puto; neque enim video quid habuerit Demoſthenes, quod Ciceroni defuerit. Romanos vero Oratores, qui ante ſe exſtiterunt, ita perculit, ut prorſus afflixerit; ita obruit, ut eorum orationes paſſim neglectæ non ſolum non legerentur, ſed prope ne reperirentur quidem. Æquales porro ſuos omnes facile vicit, & infra ſe, ne ipſo quidem excepto ſummo Oratore Hortenſio, illo æmulo laudum & acerrimo ſuorum incitatore ſtudiorum, abjecit atque detruſit.

XX. Succeſſerunt quidem conſequentibus temporibus egregii ſcriptores; & alii alia ætate viguerunt & floruerunt; unus Cicero omnibus ætatibus, & viguit & floruit. Fuit tempus, cum Senecæ & Plinii vulgo maxime probarentur, & paſſim eloquentiæ ſtudioſis ad imitandum proponerentur. Sed eorum ſenſim fama defecit, & , ut multos ſemper exiſtimatores,

non

non ita multos ſemper habuit imitatores. Ciceronis opinio nunquam concidit, & quamdiu vera eloquentiæ ſpecies adamabitur, tamdiu ſtabit, nec unquam intercidet. Proxima nobis ætate novum quoddam dicendi genus plane abſonum & inconditum, neſcio qua perverſitate opinionis, inductum fuit, ut qui eloquentiæ ſtuderent, vel ipſum ſibi Tacitum, tanquam certum ad eloquentiam ducem ſequendum arbitrarentur. Quam perverſitatem opinionis notat ipſe Cicero in quibuſdam ſui temporis Oratoribus, qui Thucydidem, egregium illum quidem Hiſtoricum, ſed nequaquam Oratorem, dicendo conarentur exprimere, ac Thucydidii & eſſe, & haberi vellent. Verum hac ipſa, de qua dicimus, ætate Cicero primas tenuit, ſi non imitatione, certe apud omnes exiſtimatione. Quod quidem omnino ſingulare eſt perque mirum, & tanti viri excellentiæ unice tribuendum, ut quem paſſim Oratores, ſive pravo judicio, quod nollent, ſive neceſſitate, quod non poſſent, ſive quod receptæ dicendi conſuetudini, quæ invaluerat, & cui ſe accommodare Oratores plerumque ſolent, ſerviendum putarent, ſive alia quacumque de cauſa non imitarentur, eum admirarentur tamen.

XXI. Nunquam igitur tanti viri imminuta exiſtimatio fuit, nunquam defecit nomen. Non illud obruere antiquitas, non obterere invidia, non lacerare obtrectatio potuit. Altius ejus opinio ſapientiæ evaſerat,

rat, quam ut eo aſpirare peſtes hujuſmodi potuerint. Nec vero quæ ſuperior ætas tanti ingenii monumenta obruere non valuit, poſterior oblit terabit. Æternitas ipſa non ea intuebitur ſolum, ſed reverebitur, ſed admirabitur. Immortalitati ſcripſit Cicero, & ita ſcripſit, ut, quemadmodum majoribus eloquentia longe anteivit, ita minoribus eadem laude nunquam non præſtiturus ſit, quibus non ſolum aſſequendi ſui ſpem omnem ademit, verum etiam deſperationem quandam injecit. Mecum ridere ſoleo ſimplicem, ne dicam ſtultam nonnullorum credulitatem, cum recentes quoſdam Oratores perinde in cælum efferri audio, quaſi alter Cicero exortus eſſet. Exſpectatur jamdiu, & a multis ſæculis exſpectatur, dum novus hic eloquentiæ exoriatur ſol, qui Ciceronis famam obſcuret, & ſuum ſplendidiſſimis doctrinæ atque eloquentiæ radiis ſæculum illuſtret. Verum, quæ majores noſtros ſefellit exſpectatio, nos quoque, opinor, fallet. Tam longe abeſt, hanc ut ſpem fovere poſſimus, ut ſanior i potius conſilio omne ſtudium noſtrum eo dirigere debeamus, ut hunc, quantum poſſumus, imitemur; ad cujus ſimilitudinem ſi nobis aliquid poſt diuturnos labores & aſſiduam contentionem extundere contigerit, erit profecto cur lætemur, & nos non contemnendum laborum contentionumque noſtrarum cepiſſe fructum exiſtimemus.

XXII. Hæc illuſtria ſunt, ut videtis, Adoleſcentes Opti-

Optimi, hæc ſplendida, hæc magnifica, hæc denique hujuſmodi, quæ vos hujus tanti viri ſtudio incendere acriter debent, & veſtros ad ejus lectionem animos vehementer inflammare. Verum & mea de tanto viro exiſtimatio, & meus in vos amor ad majora me hortantur & excitant, quibus & vos acrius incendam, & animos veſtros vehementius inflammem. Negat tanta virtus vel illuſtribus, vel ſplendidis, vel magnificis ornari & celebrari laudibus. Novum, inuſitatum, ac plane ſingulare laudis deſiderat genus. Non patitur meus in vos amor quocumque incitamento me eſſe contentum, ſed ita mihi ad legendum tantum Oratorem incitandi eſtis, ut incitari acrius ac vehementius non poſſitis. Magna res agitur, Adoleſcentes Optimi, agitur profectus veſter, agitur de Ciceroniana lectione, quæ ad hunc ipſum profectum conferre maxime & poteſt & debet, ſine qua omnis prope mea in vobis erudiendis fruſtra impendetur cura, & veſter omnis in litteris addiſcendis inanis propemodum evadet labor. Attendite, quæſo, diligenter, ad ea, quæ reſtant, & animos mihi veſtros reficite.

XXIII. Poſitum igitur illud in primis ſit; Nihil effici omnibus in artibus, ac maxime in liberalibus, laude dignum a quoquam poſſe, nihil in ſuo genere, ſi non omnino perfectum, ſaltem quod ad perfectionem quandam accedat, niſi prius in animo noſtro forma quædam Optimi inſideat, ad quam ea, quæ cogitamus & ſcri-

bi-

bimus tanquam ad exemplar, quod a nobis, quantum aſſequi enitendo poſſumus, exprimatur, dirigantur. Hanc aſſidue formam, cum aliquid hujuſmodi ſive agimus, ſive molimur, debemus habere propoſitam, hanc attentius intueri, hanc intentius contemplari, in eamque unam omnem ingenii noſtri aciem obtutumque defigere. Hanc animo habuiſſe comprehenſam ſapientiſſimos quoſque, & ſcribendi laude commendatiſſimos viros dubitari non poteſt. Neque enim aliter ea efficere potuiſſent, quæ nos miraremur, & quæ tanquam exemplar nobis ad imitandum proponeremus: Ut enim in ſignis atque picturis excellens quidquam non poteſt exſiſtere, niſi excellens quiddam prius animo conceptum habeat artifex, cujus ad ſpeciem artem, ac manum dirigat ſuam; ſic noſtris in ſtudiis nihil poteſt exſiſtere perfectum, quod non ſit ad illam Optimi imaginem, & quoddam quaſi exemplar directum a nobis & conformatum.

XXIV. Verum hæc Optimi forma cum re ipſa non exſiſtat ſic, ut ea & oculis cerni, & manibus contrectari poſſit, ſed tantum in mente inſideat, & ſolum intimis quaſi ſenſibus animi videri queat, hac de cauſa difficile admodum eſt, ſic illa, quæ cogitamus & ſcribimus, ad eam Optimi formam exigere, ut inde perfecta quædam atque abſoluta imago exprimatur. Sapientiſſimi illi, de quibus paullo ante diximus, viri ſummo præditi ingenio cum eſſent, & acerrima

qua-

quadam cogitandi vi ac facultate pollerent, eam formam ſic animo complexi fuerant, ſive potius in animo ipſo ſic effinxerant, ut illam tanquam præſentem intuerentur; qua re fiebat, ut in eandem mentis aciem intendentes, ex ea, quæ vellent, non ita difficili negotio exprimerent. Multo ſecus evenire ſolet in nobis, qui nec tanto ingenio, nec tanta, quanta illi, cogitandi facultate præditi cum ſimus, non eſt mirandum, ſi ægre admodum ac difficulter in eam formam cogitata ipſi noſtra concludamus. Porro has rerum formas *Ideas* appellat Plato, quas affirmat non re, ſed intelligentia ſolum contineri, eaſque ante, quam quidquam ſuſcipiatur, ita vult habere nos animo conceptas, ut quidquid in quoque genere ratione efficitur, ad illas, tanquam ad perfectam ſui cujuſque generis, & numeris omnibus abſolutam ſpeciem, omnino ſit a nobis redigendum.

XXV. Jam ſi hæc ipſa forma Optimi, quam Plato exſiſtere re ipſa negat, quæ tantopere expetenda eſt, quæ prorſus neceſſaria, ſine qua nihil ullo in genere laude dignum, nihil fieri abſolutum poteſt, ſi hæc inquam forma re ipſa exſiſteret, ut & cerni ac tangi propemodum poſſet, eſſetne aliquid amplius, quod optandum nobis noſtris in ſtudiis expetendumque videretur? Non opinor. Age vero experiamur, num hanc ipſam formam re ipſa exſiſtentem invenire poſſimus, qua inventa nihil præterea ſit, quod ad noſtros uſus

uſus requiramus. Et Cicero quidem formam hanc in eloquentia nominatim, cujus amore flagrabat, inveniendi incredibili ſtudio tenebatur. Verum a ſe ſumma cura diligentiaque quæſitam inventam negat, quam quidem ſi reperire unquam ei aut uſquam contigiſſet, ſic illam fuiſſe manibus arrepturum affirmat, ut ne ipſa quidem ei perſuadere eloquentia potuiſſet, ut ſe dimitteret. Miror equidem virum intelligentiſſimum & acutiſſimum tam parum vidiſſe, ut quod ob oculos haberet, non cerneret; cæterum quam ipſe in aliis vel doctiſſimis & eloquentiſſimis viris perfectam eloquentiæ formam non invenit, in eo ipſo non eloquentiæ ſolius, ſed plurimarum certe rerum Optimi forma meo quidem judicio reperitur. Nam quid ſcripſit unquam vir hic ſummus, quod ſuo in genere perfectum non ſit, quod iſtam ipſam Optimi formam non exprimat, quod eam cernendam nobis contemplandamque non proponat? Invenimus ergo, quod Cicero ipſe invenire ſe non potuiſſe affirmavit, & in ipſo invenimus Cicerone. Habemus, quod exoptamus, quod maxime expetendum eſt, quod omnino ad uſus noſtros neceſſarium, ut de reliquo noſtra omnis culpa futura ſit, ſi ſemel inventam hanc formam Optimi non arripiamus, ſi arreptam non teneamus, eamque vitio noſtro nobis excidere de manibus elabique patiamur.

XXVI. Neque vero obſtat, quod non omnibus de re-

rebus, quæ cadere in omnem dictionem poſſunt, ſcripſerit Cicero, quo minus hujuſmodi forma, ad cujus ſimilitudinem, quæ ſcribimus, referamus, ab eo nobis omni in genere exhibeatur. Non omnibus ille quidem de rebus ſcripſit, ſed de plurimis ſcripſit, ſed in vario, ſed in muliplici genere ſcripſit, & ita ſcripſit, ut in eo quacumque de re ſcribendi nobis incidere poſſit occaſio, habeamus, quod imitemur, & propris quaſi caracteribns atque coloribus expreſſum intueamur. Vere mihi videor eſſe dicturus, de iſta Optimi forma, qua de nunc loquimur, quod Cicero ipſe (de Orat. lib. III. num. VI.) de oratione & dixit & ſenſit, quæ *ſive de Cæli natura loquatur, ſive de terræ, ſive de divina vi, ſive de humana, ſive ex inferiore loco, ſive ex ſuperiore, ſive ut impellat homines, ſive ut doceat, ſive ut deterreat, ſive ut concitet, ſive ut reflectat, ſive ut incendat, ſive ut leniat, ſive ad paucos, ſive ad multos, ſive inter alienos, ſive cum ſuis, ſive ſecum omnino una eſt, deducta rivis non fontibus, ut facile quaſcumque in oras diſputationis regioneſque* derivetur. Sic iſta Optimi forma eſt ea quidem varia & multiplex, pro varia & multiplici rerum dicendarum natura, atque habitudine; ſed ipſa quoque una eſt & eadem, & genus illud Optimi, quamcumque ad rem adduxeris, ſemper retinet, nec unquam amittit ſuum. Nec vero non eandem facilem ſimiliter experieris ac docilem.

lem. Quemadmodum enim oratio ad noſtrum arbitrium formatur & fingitur; ſic iſta ipſa forma arbitratu noſtro mutatur & vertitur, & ad omnem ſcribendi dicendique rationem facile accommodatur.

XXVII. Verum, quod incredibilem commodi atque utilitatis rationem habet, non ad hanc ſolum Optimi formam cogitata noſtra adducit Cicero; ſed etiam nobis ea ſuppeditat, quibus cogitata ipſi noſtra, optimo elocutionis genere expolita, perficiamus. Magnum quiddam eſt invenire quid dicas; ſed multo majus, atque haud ſcio an longe maximum habere in promptu, quemadmodum dicas. Hoc eſt, quod ea, quæ ſcribimus, illuſtrat maxime, hoc eſt, quod infantem ab eloquenti diſcriminat, & hoc eſt, quod aut ab uno Cicerone, aut certe ab eo copioſius, quam ab aliis habere poſſumus. Illud enim intereſt inter alios auctores, recentiores præſertim, & Ciceronem, quod cum ſummopere animadvertendum eſt, tum ſingularem plane in modum Ciceronianam lectionem commendat. Illi nimirum ea ſolum dicunt, quæ dicunt ipſi; Cicero vero, ſi modo recte eum legere noris, & queas intelligere, non ſolum ea dicit, quæ dicit ipſe, ſed ea etiam quodammodo dicit, quæ tu dicturus es, quacumque tibi de re dicendum ſit. Video hoc dum contractius dicere volui, dixiſſe fortaſſe obſcurius, ac vereor ne perinde intelligatur, atque ego ipſe cogitans ſentio. Dicam planius atque diſtinctius.

XXVIII.

XXVIII. Ea eſt Ciceronis eloquendi copia, facultas, ubertas; ea rerum prope omnium, quæ cadere in quodcumque dictionis genus poſſunt, exponendi ornandique vis, ut tibi large effuſeque ſufficiat, unde habeas, quo animi tui ſenſa & cogitata omnia facile poſſis efferre, & quocumque velis ornare modo atque expolire. Contra vero ea reliquorum fere auctorum exilitas, jejunitas, egeſtas eſt, ut ſe tenuitate ſua vix ſuſtentent, ac propemodum ne ſuſtentent quidem. Quamobrem cum ipſi ſint egentiſſimi, non habent, quo alienam ſublevare inopiam poſſint; tantumque abeſt, ut queant alicui commodare ſua, ut potius neceſſe habeant ab aliis ea, quibus ipſi indigent, mutuari. Itaque aut idem, atque illi, quod pudet, dicas neceſſe eſt; aut aliud omnino dicas oportet, quod nullam commodi rationem habet.

XXIX. At multo ſecus ſe res habet in Cicerone; Vir hic cum longe ditiſſimus, & copioſiſſimus ſit, neminem a ſe inanem abire patitur, nihil non liberaliſſime confert, nihil non affluentiſſime defert, nulla ad omnes uſus non adjumenta ſufficit, nulla non ornamenta ad omnem inſtructum apparatumque ſuppeditat. Et ſane quem fontem non intermiſſa aquarum ſcaturigine ſaluberrimarum profluentem, quem amnem exuberantium undarum copia redundantem cum Tullianæ orationis flumine comparandum putabimus? Non, ſi cum ipſo Nilo, qui totam alluit ac fœcundat Æ-

gyptum, comparationem inſtituerimus, diſertiſſimi viri copiam ubertatemque aſſequemur. Neque vero theſaurus reperietur ullus, tam multa pretioſa veſte confertus, adeo gemmis auroque ſtipatus, qui cum Ciceronianis opibus aliqua ſaltem ex parte conferri poſſit. Non bibliotheca, quæ uni anteponenda ſit Tullio, cujus nobis volumina omnium prope inſtar bibliothecarum eſſe debent, a quibus non ſolum rerum copiam, quam ſufficere bibliothecæ poſſunt, ſed quam bibliothecæ ſufficere non poſſunt, illam habemus Optimi formam, ſine qua copia ipſa tantum abeſt ut proſit, ut obſit potius.

XXX. Excogitate ſi poteſtis, Adoleſcentes Optimi, aliquod dicendi genus, quandoquidem in uno aliquo omnis noſtra includi dictio neceſſario debet; nullum profecto invenietis, cujus præclara vir eloquentiſſimus atque illuſtria vobis exempla non ſuppeditet. Unus omnes dicendi formas arripuit, unus expreſſit, unus perfecit. Idem vehemens, idem lenis, idem temperatus, & medium quiddam tenens. Orationi moderatur, eamque mire variat, & pro rerum tractandarum modo ad omnem rationem fingit ac format; magnificus in laudando, acerbus in vituperando, acer in reprehendendo, ſubtilis in diſputando, commotus in agendo, gravis in amplificando, feſtivus in jocando, in ornando expoliendoque copioſus. Ad perſuadendum autem movendumque quod attinet, poteſtne quid-

quam

quam optari ad imitandum exprimendumque perfectius? Pertentat ſenſus, & eos incredibili voluptate perfundit atque demulcet; nihil ut blandius in aures influat, nihil ut altius menti inſideat. Permovet affectus; ſedatos concitat, concitatos ſedat atque componit. Permiſcet animos; eoſque ſuum ad arbitrium poteſtatemque flectit ac verſat. Multa narrat, & quæ narrat, dilucide narrat, veriſimiliter narrat, accommodate ad fidem faciendam conciliandamque narrat. Docet quæ vult, & argumentis exquiſitis, certis, invictis docet. Dedocet idem, cum cauſa poſtulat, & eodem tempore te quemadmodum alios doceas aut dedoceas, edocet. Diſputat anceps interdum in utramque partem miro artificio, & hujus ipſius ancipites artificii vias rationeſque demonſtrat. Denique quod ponit, aperte proponit, acute dividit, preſſe definit, apte diſponit, ſcienter probabiliterque concludit.

XXXI. Nam quid præterea de toto ſingillatim genere orationis, de cultu, de elegantia, de virtutibus omnibus eloquar, aut dicam? Nihil in eo exile, nihil humile, nihil obſoletum, nihil abjectum; ſed omnia grandia, ſplendida, illuſtria, magnifica. Quis unquam tam excellenter, quam hic, de horridis nitide, de obſcuris illuminate, de jejunis plene, de aſperis leniter, de ſeveris hilariter, de rebus omnibus definite, explicate, appoſite, luculenter, abundanter aut ſcripſit, aut dixit? Eandem rem attenuat, am-

amplificat, extollit, affligit, incredibili varietate, nulla legentium ſatietate. Quidquid dicit, exprimit verbis propriis, aptis, ſignificantibus, rem demonſtrantibus. Quidquid expolit, ornat cultu, elegantia, venuſtate, concinnitate. Quidquid illuſtrat, diſtinguit figuris exſtantibus, agentibus, acribus, inſignitis. Quid ſententiarum copia, vis, gravitas, veritas? quid dictorum acumen, jucunditas, feſtivitas, lepos? quid verborum ipſorum devinctio, ambitus, comprehenſio, concluſio? quid numerorum ſuavitas, concentus, ſonus? quid his ipſis in rebus mira quidam varietas, diſtinctio, diſcriminatio? nihil ut ſit compoſitione aptius, elegantia concinnius, jucunditate dulcius, ſuavitate conditius. Quid reliqua, quæ recenſeri a me facile poſſunt, quæ ſunt innumerabilia, quæ legenti diſertiſſimum hunc Oratorem paſſim occurrunt, ut quidquid nullo delectu legas, eo nihil excogitari melius, nec dici ornatius potuiſſe videatur. Jam vero nonne hæc omnia, eam vim habent, ut ſummopere ſcribentem adjuvent, ut orationis inopiam incredibilem ditent in modum ac locupletent, ut, quod apparatus quidvis vel lautiſſimus poſcat, effuſiſſime conferant, commodent, largiantur, ut denique neminem a Ciceroniana lectione non probe inſtructum atque ornatum ad omnem uſum opportunitatemque dimittant?

XXXII. Verum nullum exitum haberet oratio, ſi

omnia,

omnia, quæ ad ſcribendum adjumenta ab uno peti Cicerone poſſunt, ſingulatim hic perſequi velim. Præcidam. Cicero acuit linguam; procudit ingenium, copiam alit, verba ſufficit, ornamenta tradit, ſcripta perpolit, cogitata perficit, & ad illam, de qua diximus, Optimi formam adducit. Qui Ciceronem crebro legat, ſi eum natura adjuvet, ſi recte inſtitutus ſit, ſi diſcendi ſtudio flagret, ſi doctrinam afferat, ſi aliquem uſum, moremque exercitationemque ſcribendi habeat, nihil non efficiet, nec vero non perficiet. Labetur natura ipſa duce, quæ in omnibus ſua ſponte Optimi abſolutionem amat & ſentit, in ea ipſa, quæ in quaque re ſunt optima, ut propemodum, ne ſi velit quidem, non poſſit non optime vel dicere, vel ſcribere. Naturam vero ipſam maximopere Ciceroniana lectio adjuvabit, qua fiet, ut impetu mentis ſimili feratur in ea ipſa, quæ Cicero mandaſſet litteris, ſi ei eadem de re ſcribendum fuiſſet. Denique, ne quid requirendum præterea optandumque ſit, Cicero non ſolum, quemadmodum demonſtravimus, quidquid uſus poſtulat, tradit, & affatim tradit, ſed ita tradit, ut quæ ab eo acceperis, perinde tua ac propria futura ſint, quaſi ea aliunde non habuiſſes; contra atque aliis in auctoribus uſuvenire ſolet, qui nihil fere, ut diximus, cuiquam tradunt; a quibus ſi tu aliquid ſumpſeris, aut id ipſum fateri cogaris, aut ſi neges, furti arguare.

XXXIII. Ne vero hæc nimis a me fortaſſe exaggerata arbitremini, convertite pauliſper animum, Adoleſcentes Optimi, ad ſapientiſſimos illos, & omni laude commendatiſſimos viros, qui, in Italia præſertim noſtra, ſæculo ſexto decimo tanta copia floruerunt, & voſmetipſi quantum illis Ciceroniana lectio & attulerit adjumenti, & contulerit ornamenti, judicate. Ecquem cenſetis ex illis extitiſſe, qui Ciceronem impenſe non amarit, qui aſſidue non legerit, qui unum ſibi ad imitandum tanquam optimum abſolutiſſimumque exemplar non propoſuerit? Ex uno Cicerone & eloquentiam, & elegantiam, & vim, & gravitatem, & leporem, & virtutes dicendi omnes ſibi ſumendas eſſe exiſtimarunt; &, quod caput eſt, ex eodem uno, quod eorum opera ſatis aperte declarant, illam, de qua diximus, Optimi formam exprimendam cenſuerunt. Quam egregie de *Conſolatione* Sigonius, de *Gloria* Oſorius, de *Jurisprudentia* Muretus, de *Ratione ſcribendi* Brandolinus, de *Republica* Vida, de aliis hujus generis argumentis alii illa ætate viri doctiſſimi ſcripſerunt? prorſus ita, ut in ipſa Ciceronis veſtigia incurriſſe manifeſte appareat. Plurima in eorum operibus Ciceronis effigies cernitur, quam exprimere non potuiſſent, niſi eum quotidie ante oculos poſitum habuiſſent.

XXXIV. Quod ſi hæc vobis habere minus admirationis videntur, propterea quia ſunt hujuſmodi, quæ

non

non ſane multum diſtent ab iis, de quibus Cicero ſcripſit, quid de illis ſentiendum putabitis, quæ ab aliis ſapientiſſimis ejuſdem ætatis & eloquentiſſimis viris diverſo prorſus in genere eleganter luculenterque ſcripta ſunt? Hiſtoriam certe non ſcripſit Cicero; quam ne attigit quidem; attamen & Bembus, & Maffejus, & Mariana, & Gratianus Hiſtoricis omnibus vel clariſſimis unum Ciceronem anteponendum cenſuerunt. Maluerunt in hiſtoria conſcribenda hunc imitari, quam aut Salluſtii, aut Livii, aut Taciti imitatione cenſeri. Nec vero ſi quidam Hiſtorici, ut ætate hac noſtra Guido Ferrarius, & Caſtruccius Bonamicus ſtyli elegantia commendatiſſimi, Cæſarem imitati ſunt, hoc impedit, quo minus eos Ciceronianos appellem. Sic enim ſcripſit Cæſar, ut Cicero ſcripſiſſet, ſi animum ad ſcribendam hiſtoriam adjeciſſet. Quæ cauſa fuit, cur ego Cæſarem Hiſtoricis omnibus prætulerim, quem una cum Cicerone vobis interpretandum ſuſciperem. Quid tam parum conjunctum cum iis, in quibus verſatus eſt Cicero, quam illa, quæ ſcriptis perſecuti ſunt ſuis, & olim Hieronymus Fracaſtorius, qui de *Aſtronomia*, de *Sympathia*, de *Antipathia*, de *Contagionibus*, & *Contagioſis morbis*, & omnium recentiſſime Joannes Baptiſta Morgagnius, qui de *Rebus Anatomicis* egregia ediderunt volumina. Quid tam disjunctum a Ciceronianis argumentis, quam ea, quæ tractanda ſumpſerunt, & Melchior Canus, qui

de *Locis Theologicis*, & Hieronymus Oſorius, qui de *Nobilitate Chriſtiana*, & Hieronymus Platus, qui de *Bono Status Religioſi* ſcripſerunt; quæ qui legat, ut diſſimilia a Cicerone in rebus inveniet, ita ſimilia in ſcribendi ratione deprehendet; adeo in iis ubique cultus, ubique latinæ elegantia dictionis enitet, adeo Ciceroniana eloquendi forma & venuſtas elucet.

XXXV. Quid denique tam abhorrens a cognitione hominis Ethnici, quam ea, quæ ad Catholicam fidem & Chriſtianam pertinent Religionem? Atqui his ipſis de rebus egregium confecit volumen Julius Pogianus, quo volumine totius Catholicæ Religionis ſummam complexus eſt, qui *Cathechiſmus Romanus* appellatur. Mitto ſacrarum Enarratores Scripturarum, & Benedictum Pererium, & Paulum Sadoletum, &, quem jam tertio nominamus, Hieronymum Oſorium, qui res impeditiſſimas Ciceroniana elegantia feliciſſime expediverunt. Hos ego omnes ſapientiſſimos & eloquentiſſimos viros, alioſque horum ſimiles, quos conſulto prætereo, & ſtudioſos Ciceronis, & diſcipulos, & alumnos jure appellandos exiſtimo. Petrum vero Joannem Perpinianum præterire quî poſſum? ſummum plane ac perfectum Oratorem, qui contra ſui temporis Hæreticos dixit, & luculentiſſime dixit, ut ejus orationis vim Hæretici ipſi ferre non poſſent, quod fremitu & vociferationibus, quibus dicentem conſueverant interpellare, ſatis indicabant. Quis, ſi non do-

ctri-

ſtrinam, oratorios ei nervos ſuffecit? quis illum ad novum pugnæ genus inſtruxit? quis arma tradidit, quibus contra nequiſſimos homines ſtetit intrepidus, niſi unus Cicero? ad cujus ſe eloquentiæ formam vir doctiſſimus & ſanctiſſimus finxit. Nos quoque, ſi hoc addere citra oſtentationem licet, pro noſtra mediocritate atque infantia, cum de Arte Critica ageremus, aliquid hoc ipſo oratorio Ciceronianæ imitationis in genere efficere conati ſumus. Quid effecerimus, quandoquidem amicis ſuadentibus atque impellentibus, ea, quæ tum diximus, edemus, edita cum erunt, lectores judicabunt. Hæc ipſa, quæ nunc dicimus, quæ vobis perſuadere pro viribus contendimus, niſi forte nimium nobis ipſi blandimur, a Ciceronis veſtigiis prorſus fortaſſe non aberrant.

XXXVI. Quid multa? Veteres illi ſanctiſſimi ac doctiſſimi Eccleſiæ Patres a Ciceroniana lectione non abhorruerunt. Mitto Lactantium, qui tam egregie ac luculenter ſcripſit, ut Chriſtiani Ciceronis nomen proprium ſibi fecerit ac ſingulare. Qui aliquid de Hieronymo, de Auguſtino, de Cypriano, de Paulino legerit, non dubito quin mecum ſentiat, & ſatis Ciceronem illis fuiſſe notum, & fortaſſe etiam familiarem fateatur. Certe eorum, qui interciderunt excellentium Ciceronis de *Republica* librorum fragmenta non haberemus, niſi ea Auguſtinus in ſuis de *Civitate Dei* præclariſſimis voluminibus perſcripta reliquiſſet. Ambroſius

ſius vero ad *Officiorum* Ciceronis ſimilitudinem ſuos de *Officiis* conſcripſit libros, nec a Religione, quam profitebatur, nec a ſacra, qua inſignitus erat, dignitate alienum hunc tantum & legere & imitari auctorem exiſtimavit.

XXXVII. Non hic ego quidem ullam cum homine Ethnico, & ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus comparationem inſtituere cogito; (*Nam quæ ſocietas luci ad tenebras*) ſed illud tantum colligi volo, ſanctiſſimorum exemplo virorum ab ea lectione non eſſe refugiendum, quam tanta, quanta oſtendimus, commoda conſequuntur. Quod in Latinis Patribus, idem in Græcis licet animadvertere, quos plane conſtat Platonem, Iſocratem, Demoſthenem legiſſe, in iiſque pervolutandis eloquentiæ ſuæ rudimenta poſuiſſe. Nec vero eſt, cur hic quiſquam, ſuo fortaſſe judicio ſapiens & prudens, ſed meo valde ineptus & imperitus vereatur, ne hujuſmodi lectio a lectione Patrum nos avocet, eamque inſuavem reddat aut minus jucundam. Dicam id, ego ipſe experiens quod ſentio, non quod aliquid in me reſideat auctoritatis, ſed tamen, quod ſentio dicam. Si quando me, cum per otium licet, a Cicerone ad Patres confero; tametſi Ciceronianæ elegantiæ aſſuetas, & Tullianis circumſonantes numeris aures afferam, tamen lectione Patrum mirifice capior atque delector. Quamvis non utrobique idem latinæ ſit nitor linguæ, quæ ſtatim ab obitu

Ci-

Ciceronis infuſcari cœpta eſt; quamquis ſuum quique Patres ac proprium in ſcribendo caracterem habeant, atque hunc a Ciceroniano valde diſſimilem, non offendor tamen neque commoveor. Miror utrobique eloquentiam, miror vim, &, quod præcipuum eſt, utrobique ſententiarum veritatem gravitatemque demiror. Aſſidua Optimi lectio in uno genere, in diverſo Optimi genere faſtidium non gignit, ſed potius legendi cupiditatem acuit, quæ rerum viciſſitudine & commutatione mirum in modum delectatur.

XXXVIII. Me igitur auctore, ſuaſore, impulſore Ciceronem, Adoleſcentes Optimi, aſſidue legite, ſine intermiſſione pervolutate, nunquam de manibus deponite. Nullius apud vos tanta ſit auctoritas, quæ aliquid hac in re ponderis habeat, quæ ab ejus lectione vos avocet atque avertat. Video hoc maxime tempore patriæ linguæ ſtudium, externorum hominum exemplo, apud Italos vigere quam maxime, invaleſcere quotidie magis; contra vero ſtudium latini ſermonis ſenſim imminui, languere, ac propemodum exſtingui. Pauci jam ſunt, qui latine ſcribant, & eleganter ſcribant. Ego vero patriam excoli linguam ſummopere cupio, ſed latinam in primis volo, quæ tantum Italiæ noſtræ decus contulit, quæ tantum momenti ad omnem doctrinam conferre poteſt, & quæ denique, ſi recte judicare volumus, non externa nobis cenſenda eſt & peregrina, ſed patria, ſed domeſtica,

ſtica ; ſed noſtra exiſtimanda . Quod ſi quis veſtrum etruſco ſermone delectatur , & Bembos ; & Caſas , & Ptolemæos legere amat , legat illos per me licet ; imitetur etiam , ſi ita libet , non impediam ; ſciat tamen quidquid in iis , aliiſque etruſco ſermone commendatiſſimis viris & copiæ , & venuſtatis , & elegantiæ in ſcribendo intelligentes mirantur , in illos a Ciceroniana lectione redundaſſe . Quod adeo verum eſt , ut & verborum ambitu , & ſententiarum electione , & toto orationis filo ad Ciceronem quam maxime accedant ; & ita accedant , ut meo quidem judicio latinis potius Oratoribus , quam etruſcis adcenſendi eſſe videantur . Quare ſi illos aſſequendi , aut etiam ſuperandi cupido vos tenet , breviorem indicabo viam ; Latinos ſcriptores legite , & Ciceronem præſertim , ex cujus lectione illa ipſa , quam vultis , etruſca dictio nitida & elegans ſponte ſua , ac prope neceſſario conſequetur .

XXXIX. Excolatur igitur , non repugno ; italicus ſermo ; ſed latina lingua apud Italos primas teneat , ſecundas etruſca . Exteræ nationes hac in re , quo malint , utantur conſilio ; non eſt , cur eas imitemur , quæ potius a nobis ſumere his in rebus , quæ imitentur , exempla debent . Noli te hoc , quod dico , contemnere , nec parvi eſſe momenti exiſtimare . Eo , ut ego ſentio , res iſta ſpectat , ut ſenſim veteres latini ſcriptores vobis de manibus excutiantur . Fiet enim ut vel ignoratione

lati-

latinæ linguæ eorum intelligentia prorſus intercipiatur, vel non intima ejuſdem linguæ perceptione reddatur perdifficilis, & , remotis hoc modo politioris doctrinæ magiſtris, ignorantia ad extremum conſequatur.

XL. Itaque ſi in ſtudiis profectum veſtris, ſi elegantiam ſermonis, ſi ſapientiam, ſi eloquentiam quæritis, ſi denique illam Optimi ſpeciem, quam vobis propoſui, ac pulcritudinem adamaſtis, hanc in Cicerone expreſſam intuemini, in illum aſſidue oculos intendite, ab illo nunquam dejicite, & jam nunc illum ſuſpicere, & , quantum eniti poteſtis, imitari aſſueſcite. Pro certo habeto te Ciceroniana lectione nihil veſtris ſtudiis utilius, nihil profectui veſtro conducibilibus eſſe poſſe, quæ quidem ſi vel ſola vos delectabit, magni hoc cujuſdam profectus indicium erit. *Ille ſe*, ſic enim veriſſime ſcriptum reliquit Quintilianus, *multum profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placuerit*.

XLI. Sed finis ſit. Effudi vobis omnia, Adoleſcetes Optimi, quæ congeſta jamdiu in animo habebam, quæ geſtiebant erumpere, quæ continere non poteram. Æſtus, ac fervor mentis, & vero meus etiam in vos amor me abripuit, & plura coegit dicere, quam conſtitueram, ſed ea opinor, ſi Doctori veſtro morem gerere, atque obtemperare volueritis, futura vobis maxime ſalutaria. Boni enim Doctoris, & auditorum ſuorum profectus amantis eſſe exiſtimavi ea tanquam certo

certo profutura diſcipulis proponere ſuis, quæ proprio ipſe prior edoctus experimento ſibi valde profuiſſe intellexerit.

DE

Edita hæc oratio Romæ fuit jam inde ab anno 1751., nunc iterum multo auctior editur. Cum primæ editionis exemplar Raymundus Cunichius legiſſet elegantiſſimam ſtatim ad Auctorem epiſtolam dedit, quæ cum viri doctiſſimi de Parthenio noſtro non tam benevolentiæ, quam judicii teſtimonium ſit, hic eam ſubjiciendam exiſtimavimus.

*Raymundus Cunichius Joſepho Mariano Parthenio S. P. D.* „ Ita mihi quæ cupio contingant, ut nullius jamdiu libri lectione æque ſum delectatus, ac lucubratiunculæ hujus tuæ, quam a te ipſo, ut apparet, relictam, poſtridie, nihil tale cogitans, in pluteo poſitam animadverti; ſumpſi in manus, legi ſemel, iterum, tertio, *Deus immortalis! quæ verborum elegantia! qui delectus, nitor, ac ſplendor!* noſti cætera, vel ſi es oblitus, facile quinta in pagella reperies. Magis proprie nihil dici poteſt, quam quæ ibi a te dicuntur. „ Curabo, ut ab iis etiam legatur, qui mihi dant operam; qua ex re duplex conſequetur utilitas; altera, quod ad eam opinionem, in quam eos adducere conatus ſum de præſtantia horum librorum, permultum accedet, cum viderint eoſdem a te tali viro tantopere commendari; altera vero, quod illorum induſtriam acui neceſſe erit, cum perſpexerint quantum vir ingenioſus, ubi acre quoddam ſtudium, & ſcribendi aſſiduitas acceſſit, hoc in genere poſſit efficere; tantum profecto, ut inter imitatorem, eumque ipſum, quem imitatur, vel nihil, vel certe adeo non multum interſit, ut id nonniſi pauci, iique doctiſſimi poſſint judicare. Mihi certe dum Tullium tuum, neque enim noſtrum dicere audeo, adoleſcentibus tradis, ita ipſe Tullianus viſus es, eique in tota inveniendi, diſponendi, eloquendi ratione ſimilis, ut ſi hæc poetice ſcriberem, dicturus fuerim;

*Illum ipſum Elyſia digreſſum valle, tuas, dum*
*Hæc ſcribis, ſedes indugredi ſolitum,*
*Et chartam & calamum, digitoſque & denique totum*
*Furtim ſuavidico ſpergere nectare opus.*

„ Deſino. Etenim vereor, ne hæc ipſa videantur præter *Decorum*, quod eſſe ais in dialogo tu quidem, ſed idem de epiſtola dixiſſes, præceptum vel maximum. Habes quid ego de Commentariolo tuo ſentiam, ex quo ipſo quantas tibi gratias agendas putem, facile intelligere potes. Vale. Hanc cum ſcripſit epiſtolam, juniores Rhetoricam noſtros Cunichius docebat.

# DE VIRGILIANA LECTIONE AD AUDITORES SUOS

## *ORATIO PARÆNETICA* II.

Petiſtis a me, Adoleſcentes Optimi, ut quemadmodum Ciceronis de Oratore libros perſpicuis commentariis illuſtratos vobis edendos curavi, ita non minus perſpicuis illuſtratum commentariis edendum vobis Virgilium curarem. Æqua ſane atque honeſta poſtulatio, quæ eo ſpectat, ut Poetarum omnium facile principem & expeditius intelligere, & legere avidius poſſitis. Quod cum ego ad profectum in litteris veſtrum maxime conducere intelligo, tum boni Doctoris, & diſcipulorum ſuorum amantis eſſe arbitror, omnino vobis hac in re morem gerere, & juſta petentibus, & præclara cupientibus. Etenim quam non intermiſſam optimorum

auctorum lectionem vobis neceſſariam eſſe video ; tam ab eadem deterreri vos , atque adeo prorſus avocari ſentio iis difficultatibus , quæ in pervolutandis veterum ſcriptorum libris ſane plurimæ & graviſſimæ occurrunt . Ac ne quid diſſimulem ; nihil eſt fortaſſe , in quo negligentiam ego veſtram , quanquam omnino culpa non vacatis , minus accuſare poſſim , quam ſi minime vos totos veterum ſcriptorum lectioni dedatis. Nam quid aut Ciceronem , aut Virgilium , aut alium quemlibet ex veteribus illis longe doctiſſimis ac probatiſſimis auctoribus legas ? quid eos quotidie in manibus habeas ? nunquam ab iis oculos dimoveas ? ſi quæ oculis uſurpas, ratione & cognitione non aſſequaris. Inuſitati profecto cujuſdam tormenti genus eſt , legere quod non intelligas , nunquam oculos ab eo libro dimovere , ex quo vix unius aut alterius ſententiæ labore improbo ac pertinaciſſima contentione intelligentiam extundas . Hoc certe cum a nemine poſtulandum ; tum vero multo a vobis minus , quorum ingenium , ut præfervidum atque inſtabile , ita omnis fere laboris eſt ac moræ impatiens , ut quod non continuo aſſequatur , aut ejus curam prorſus abjiciat , aut aſſequi unquam ſe poſſe omnino deſperet .

II. Lectione vero , difficultate intelligentiæ intercepta , quid eſt , quod ego a vobis ſperare poſſim ? quid , quod efficere vos in litterarum cognitione poſſitis ? Quemquamne ſine lectione doctum eſſe poſſe ? quem-

quemquamne eruditum ac plane ſapientem ? Sapientiſſimus habitus eſt M. Cato, & merito quidem. Nihil enim illi defuit ejus doctrinæ, quæ ea ætate ab homine litterarnm ac ſcientiæ cupido parari poterat. Verum ſic totus in libris evolvendis fuit, ut eos etiam ſecum deferret in curiam, ex iiſque aliquid, dum Senatus cogeretur, ediſceret. Cum vero in bibliotheca ſederet librorum multitudine circumfuſus, tanta aviditate lectioni ſe dabat, ut *quaſi helluo librorum*, ſic enim de illo ſcriptum reliquit Cicero (de Fin. lib. III. num. II.) *videretur*. Uſque adeo noſtris in artibus lectio neceſſaria eſt, ut ne doctiſſimi quidem viri ea carere omnino potuerint; cui quidem lectioni ſi adoleſcentes inſtarent aſſidue, ſi libros de manu non deponerent, quanto citius ac felicius in bonarum artium ſtudiis proficerent; cum autem hoc minime faciant, nequaquam mirandum eſt, ſi aut nihil omnino, aut parum, aut certe tardius proficiant.

III. Itaque aggreſſurus ad explicandum Virgilium, in eam ſtatim curam animum intendi, ut ex tanta admirandi hujus Poetæ Interpretum gente, unum aliquem uſui veſtro magis accommodatum eligerem. Videbam Interpretes alios obſcurioribus aliis Virgilii locis lumen adhibuiſſe, non autem omnes omnibus; rurſus eos, qui arduam ſane atque operoſam difficilia omnia interpretandi loca provinciam ſuſcepiſſent, diviſos eſſe in claſſes duas; alios eruditos quidem in

Virgilium univerſum material edidiſſe commentarios, ſed ita copioſos ac prolixos, ut grandibus opus ipſi ſuum complexi voluminibus fuerint; alios contra exiles adeo & conciſos, ut illud, quod ſapienter in Arte Poetica monet Horatius, non ſatis præcaverint; *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio*. Carolus Ruæus, vir e Societate noſtra de liberalibus diſciplinis optime meritus, ſe hoc animadvertiſſe, in præfatione, quam commentario in Virgilium præfixit ſuo, ipſemet teſtatus eſt. Itaque illud ſibi propoſuit, in eoque præcipue elaboravit, ut, quantum aſſequi induſtria poſſet, utrique incommodo occurreret. Et ſane, quod propoſitum habuit, prope modum, ſi eum præſertim cum aliis Interpretibus conferas, aſſecutus judicari poteſt. Nam perpetua interpretatione, & brevibus æque ac perſpicuis adnotationibus rem ita perfecit, ut nihil, quod explanationis indigeret, prætermiſerit, & Virgilium totum luculentiſſime illuſtrarit. Sed tamen ejus opus in aliquanto grandiorem molem excrevit, ac majus evaſit, quam ut ad ſcholas ab adoleſcentibus commode deferri queat, &, quod gravius eſt, a tenuioribus minimo poſſit impendio comparari.

IV. Unus tandem mihi ſeſe obtulit, in quo illa eſſent omnia, quæ ego ad uſum veſtrum accommodata in Interprete requirebam, & eruditio, & brevitas, & perſpicuitas, qui nihil eorum, quæ difficilia ſunt, præteriret, nihil non aperte, clare ac dilucide expla-

planaret. Nicolaus Abramus hic eſt, vir item e Societate noſtra doctiſſimus, cujus præclara in litterariam Rempublicam merita multo notiora ſunt, quam ut illa a me commemorari hoc loco neceſſe ſit. Hic igitur vir egregius quam laxum & copioſum ediderat in Ciceronem, tam contractum ac breve in Virgilium edidit commentarium, ita tamen, nihil ut perſpicuitati brevitas, nihil perſpicuitas officiat brevitati; quas duas inter ſe res longe difficillimas miro quodam artificio ita componit, ut nihil neque contractius, neque planius, neque vero luculentius fieri potuiſſe videatur. Habetis igitur in Abramo Interpretem, qui cum animum ad hanc ſcribendi rationem adjecit, vobis potiſſimum laboravit, vobis prodeſſe voluit, cujus non ſolum erga vos plane egregiam voluntatem amare, ſed meam etiam in eodem eligendo curam aſpernari profecto non debetis. Iſta ratione profectui veſtro ſummopere proviſum eſſe arbitror, omnemque in poſterum vobis excuſationem ereptam, ſi minus Virgilianæ vos totos lectioni dedatis. Quid enim ad faciliorem expeditioremque tanti auctoris intelligentiam conducibilius eſſe poteſt, quam ſi ad vivam & diſertam Doctoris vocem, muta quidem, ſed non minus diſerta Interpretis vox accedat.

V. Verum, quorſum & optimi Interpretis labor, qui omnibus conſuluit, & veſtri Doctoris cura evadet, quæ ad omnes pertinet, ſi non omnes, qui huc fre-

quentes liberalium ſtudiorum cauſa convenitis, ad iſtam ipſam, quam vobis maxime commendatam volo, Virgilianam lectionem aliquam ſaltem poeticæ artis cognitionem afferatis. Quomodo tantum Auctorem non dicam intelligere, ſed vel legere modo aſſidue ii poterunt, qui in tanta poeticæ artis ignoratione verſantur, ut ne prima quidem ejus elementa didicerint. Quo loco non diſſimulabo, quod jam inde ab eo tempore animadverti, quo duodecim ante annos hoc ipſo in Romano Collegio humaniores litteras docui; Poetica nimirum ſtudia fere hic ab adoleſcentibus contemni ac negligi, ut nonnulli ad Rhetorem audiendum accedant, qui metricæ artis prorſus ignari ne pauca quidem ſoluta verba certo ſyllabarum vinculo inter ſe colligare ſciant atque adſtringere. Cautum utique eſt iis ſapientiſſimis legibus, quibus Societatis ſtudiorum ratio continetur, ut diſcipuli nimirum omnes, qui noſtra gymnaſia celebrant, in fingendis carminibus exerceantur, & ut ne quis ex eo numero facile eximatur. Muneri profecto ſuo non deſunt neque ſinguli Doctores, neque Collegii hujus Præſides vigilantiſſimi, & illarum ipſarum legum ſeveriſſimi vindices. Sed quid illis adoleſcentibus facias? qui quam perverſam de rebus opinionem ſemel arripuerint, eam pervicaciſſime retinent; nec quidquam audire volunt, quo de prava ſemel arrepta ſententia dimoveantur. Iſtine, ut monitis pareant? iſtine ut Poeſi ſtudeant? ut

ut ſe Poetarum lectioni dedant? Contendunt nimirum, una eſſe in oratoria arte laborandum, in unam incumbendum, unam addiſcendam. Cauſantur ſe ad poetica ſtudia minime eſſe factos, ac propterea nolle tempus ea in arte, in qua ſe nihil profecturos ſciant, inutiliter collocare, illa præſertim in urbe, in qua nullum a poeticis ſperari ſtudiis emolumentum poſſit. Hæc iſti; quos ego in præſentia ſua ipſorum in opinione reliquendos potius, quam argumentis convincendos exiſtimo. Experientia enim didici iſtos fere eſſe deſides, ineptos, leves, garrulos, otioſos, qui, quantum ex præſentibus de futuris conjicere licet, nec Oratores unquam, nec Poetæ evadent, nec vero cives Republicæ utiles, ſed fortaſſe etiam, ſi aliquam ejus partem attigerint, pernicioſi.

VI. Ad vos potius orationem converto meam optimæ ſpei adoleſcentes, qui dociles eſtis, qui monitis obtemperatis, qui in ea omnia ex majorum inſtituto ſapientiſſime decreta incumbitis ſtudia, quæ excolenda vobis, ut maxime utilia, & ad profectum in bonis artibus veſtrum apprime conducentia proponuntur. Sic igitur habetote; Neceſſariam omnino eſſe ad eloquentiam, cui potiſſimum ſtudetis, & facilius comparandam, & excellentius aſſequendam Poetarum, atque in primis Virgilii lectionem. Hoc doctiſſimorum virorum exemplo confirmatur, a quibus conſtat maxima a Poetis & doctrinæ præſidia, & elo-

quentiæ adjumenta eſſe petita. Ac vero ſi latinam in primis linguam, ſine qua eloquentia nulla eſt, ſpectemus, ea certe non minus peti ab Oratoribus, quam a Poetis & poteſt, & debet. Audiatur Cicero, auctor ſane hac in re omnium lucupletiſſimus, qui diſerte ſcriptum reliquit; (de Orat. lib. III. num. X.) *Omnem loquendi elegantiam expoliri quidem ſcientia litterarum, ſed tamen augeri plurimum legendis Oratoribus & Poetis.* Idem alibi inculcat ſæpius, & fere ſemper ita Oratores ac Poetas in præcipiendo conjungit, ut lectionem Oratorum numquam a Poetarum lectione ſejungat. Poetarum ſermo linguam fingit, elegantiam orationi venuſtatemque conciliat. Translatis frequenter utuntur Poetæ, quæ modice ab Oratore adhibita tanquam ſtellæ totam notant & diſtinguunt orationem. Ex Poetarum lectione pura ſenſim emergit latinitas, quæ in Poetis maxime elucere debet, & ſine qua ne carminum quidem numerus, & lepos, & concinnitas probarentur. Poeticorum denique ſuavitate numerorum ille in verborum coagmentatione efficitur concentus, quo dulcius nihil eſſe poteſt, atque jucundius.

VII. Ad eloquentiam vero quod attinet, tametſi nullam ei cum Poeſi rationem eſſe prima ſpecie exiſtimari poſſit, & quam maxime gravitas Oratoris a Poetarum licentia abhorrere videatur; auctore tamen eodem ipſo Cicerone, & omnibus recte de eloquentia ſentientibus, Oratoribus cum Poetis ſumma co-

cognatio eſt, ac ſemper fuit. Certe Cicero, ut ipſe de ſe profitetur, Poetas amavit valde, lectitavit aſſidue, ex eorumque lectione non minus voluptatis cepit, quam utilitatis. Tantum vir eloquentiſſimus Poetis legendis profecit, ut ex iiſdem oratoriam ipſam facultatem ſuam creviſſe plurimum affirmare non dubitaverit. Notus eſt vobis fortaſſe locus, ubi Poeſim ac Poetas copioſe laudat; ſed non prætermittendus tamen; mirifice enim id ipſum, quod dico, confirmat. *Quæres*, inquit, *a nobis cur tantopere hoc homine*, Archia nimirum egregio Poeta, *delectemur? Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convicio defeſſæ conquieſcant. An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor me his ſtudiis eſſe deditum; cæteros pudeat, ſi qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum lucemque proferre*. Hæc Cicero de Poeſi atque Poetis ornate more ſuo & luculenter. Poeſi igitur delectatus eſt Cicero, vos eadem non delectabimini? Cicero Poetas legit, vos ab eorundem lectione abhorrebitis? Facultas oratoria Ciceronis Poetarum ſi lectione crevit, quid nobis faciendum putabimus, quibus certe non tanta quanta illi, ſed

admodum circumſcripta ad eloquentiam facultas obtigit? Sive igitur quis veſtrum latini ſermonis elegantia capiatur, ſive eloquentiam ſibi præcipue comparare ſtudeat, Poetas adeat neceſſe eſt, unde puri ſermonis exſiſtit venuſtas, & illa ipſa, quæ potiſſimum expetitur, effloreſcit eloquentia.

VIII. Cum Cicerone mire conſentit Quintilianus, auctor & ipſe hac ipſa in re graviſſimus & locupletiſſimus, qui Inſtitutionum Oratoriarum lib. I. cap. VIII. vult pueros ordiri lectionem a Virgilio atque Homero. *Interim*, inquit, *ſublimitate heroici carminis, animus aſſurgat, & optimis imbuatur*; & lib. X. cap. I. allata Theophraſti auctoritate in eandem ſententiam hæc habet; *Ab his*, Poetis videlicet, *& in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus, & in perſonis decor petitur*. Paucis, oppido, verbis totam oratoriam artem, & omnem eloquentiæ vim vir doctiſſimus complexus eſt. Auctore igitur Quintiliano, *& in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas* petenda nobis a Poetis maxime eſt, qui divino quaſi ſpiritu afflati, non tam ipſi, quam, ut ita dicam, quædam in ipſis reſidens loqui Divinitas videtur. Legendis ſimiliter Poetis eodem ipſo auctore, & *mens optimis imbuetur*, *& ſublimitate heroici carminis aſſurget animus*, & præfervidi quidam ac peracres *ducentur ſpiritus*, ſine quibus omnis languescit oratio; ac denique illud, Oratorum maxime

xime proprium, ſublime atque illuſtre loquendi conſequetur genus, quod tantum ſupra vulgarem ſermonem erigitur, quantum ſupra reliquorum infantiſſimorum hominum vulgus Orator eloquens ac diſertus effertur. Quod autem ſpectat ad illos *in affectibus motus*, in quibus concitandis excellere Orator maxime debet, quis eſt, qui dubitare poſſit, quin certiſſima eorundem ratio concitandorum a Poetis præcipue addiſcenda ſit, qui fere in iis permovendis toti ſunt, ac plane admirandi.

IX. Atque ut ſingillatim de Virgilio, cujus nomine inſcripta noſtra hæc oratio eſt, loquamur, quidquamne primum ejus ſermone caſtigatius? quidquamne ejus carminibus elegantius? quidquamne latinius eſſe poteſt? qui aurea Auguſti ætate floruit, qui latinam ipſam linguam perfecit, qui perpolivit, qui, quam oratoriæ dictioni abſolutionem Cicero contulit, hanc poetico ſermoni impertivit, cujus denique ore latinæ ipſe Muſæ, quod de molli Xenophonteo ſermone ſcriptum eſt, locutæ dici poſſunt. Nam quid deinde ejus de eloquentia dicam aut prædicem? Nihil certe huic homini defuit eorum, quæ Oratorem maxime illuſtrant, atque commendant. Si unum excipias Ciceronem, in quo, uti demonſtravimus, ſumma ſunt omnia, quæ eminere in Oratore maxime debent, primæ Virgilio unanimi intelligentium omnium conſenſu ſententiaque deferuntur. Quanquam ſi Macrobii ſententiæ ſubſcribere ve-

limus,

limus, Virgilium eloquentia Ciceroni non parem modo, ſed ſuperiorem etiam dicemus. Verum hic quidem nimium ſtudio erga tantum virum progreſſus eſt ſuo; attamen ex hoc ipſo quanta ſingularis eloquentiæ Virgilio deferenda ſit laus, colligi poteſt, cum vir doctiſſimus non defuerit, qui eloquentiæ ipſius parenti illum anteferre non dubitarit.

X. Et ſane, ſi illuſtria ornandi expoliendique exempla quærimus, poteſtne quidquam ornatius proferri atque expolitius toto eo eloquentiſſimo tractu, quo Georgicorum lib. II. Italiam magnificentiſſime laudat, ac ſupra reliquas totius terrarum orbis regiones & ſalubritate cæli, & amœnitate ſoli, & ubertate frugum, & magnitudine paſtionum, & commoditate fluminum, & opportunitate marium, & frequentia oppidorum, & illuſtrium virorum copia erigit atque extollit?

*Sed*, inquit, *neque Medorum ſilvæ, ditiſſima terra,*
*Nec pulcher Ganges, atque auro turbibus Hermus;*
*Laudibus Italiæ certent; non Bactra, neque Indi,*
*Totaque Thuriferis Panchaia pinguis arenis.*

*Hæc loca*, & quæ ſequuntur illuſtria, grandia, magnifica ac plane Oratoria & ſplendore verborum, & numerorum ſono, & copia rerum, & gravitate ſententiarum. Nec vero oratorium minus, atque adeo in flexanimæ orationis genere, in quo potiſſimum triumphat eloquentia, admirandum eſt etiam magis, quod in fine libri primi Georgicorum legitur, ubi Cæſaris mortem acerbiſſime deflet, quo extincto *Sol*

*Sol caput obſcura nitidum ferrugine texit,*
*Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.*

Nihil toto hoc admirando tractu tragicum magis, nihil ad concitandos affectus accommodatius legi poteſt. Vides hic omnia, unius hominis exſtincti deſiderio, ad luctum, ad mœrorem, ad lacrymas eſſe converſa; omnia ad ſummam quaſi rerum omnium deſperationem excidiumque delata.

XI. Illa vero deſcriptio peſtis, quæ armenta corripuit, *totamque ab origine gentem exſtinxit*, quam in fine libri III. Georgicorum fuſe perſequitur, expecto dum ab aliquo ſive Oratore, ſive Poeta tetrioribus exprimi coloribus, atque evidentius depingi queat. Horret animus, cum equi jam *morte ſub egra* leguntur

*Diſciſſos nudis laniantes dentibus artus.*

Refugit mens, cum In lucem

*Stygiis emiſſa tenebris*
*Pallida Tiſiphone morbos agit ante metumque,*
*Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.*

Deſcriptionem autem illam, quæ lib. III. admirandi ejuſdem operis occurrit, quem tandem gradum aut oratoriæ aut poeticæ excellentiæ obtinere dicam? Deſcribitur hic frigidiſſima regio, gelu ac nivibus obſita, ubi nix

*ſeptem aſſurgit in ulnas,*
*Æraque diſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt*
*Indutæ, cæduntque ſecuribus humida vina;*

*Et*

*Et totæ ſolidam in glaciem vertere lacunæ ,*
*Stiriaque impexis induruit horrida barbis .*

*Semper hyems* , ſemper cauri ſpirantes frigora , nunquam paullo hilarior ſolis facies , ſed pallor , ſed caligo , ſed umbræ . Cernis incolas defoſſis in ſpecubus latitantes , agentes otia ſub alta terra , integras ulmos advolventes focis , & reliqua non minus horrida .

*Interea toto non ſecius aere ningit ;*
*Intereunt pecudes ; ſtant circumfuſa pruinis*
*Corpora magna boum ; confertoque agmine cervi*
*Torpent mole nova , & ſummis vix cornibus exſtant .*

Hæc hujuſmodi ſunt , ut ea ſi tu paullo intentius legas , tibi iiſdem propemodum nivibus obſeſſus eſſe videare , ac prope non toto corpore inhorreſcas & contremiſcas.

XII. Cum vero ſe ad temperatum dicendi genus confert , neſcio an hoc ipſo in genere admirabilior etiam , & ſe ipſo major ſit ; ( experti quid ego dicam , & quo jure dicam , opinor , intelligunt , ) ut cum

*Admiranda tibi levium ſpectacula rerum*
*Magnanimoſque duces totiuſque ordine gentis*
*Mores & ſtudia , & populos , & prælia* dicit .

Apum proprietates elegantiſſime , & venuſtiſſime exequitur , & perinde perſequitur , ac ſi de bene morata ac recte conſtituta Republica loqueretur . Nihil hoc libro elegantius , nihil venuſtius , nihil pictius fingi aut excogitari poteſt . *In tenui* quidem *labor* , inquit ipſe,

*At* certe *tenuis non gloria , ſi quem*

Nu-

*Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.*
Etenim rebus per ſe minimis conferre dignitatem, & cum dignitate afflare leporem ac venuſtatem dici non poteſt quantam acerrimi ingenii vim requirat, quamque exquiſitum non a Poeta minus, quam ab Oratore poſtulet artificium. Hæc aliaque hujuſmodi, quæ in Virgilio paſſim occurrunt, eam vim habent, uti videtis, ut his incredibilem in modum ipſa alatur augeaturque eloquentia, & prorſus ita, ut ad illam comparandam nullum, ſecundum Ciceronem, quam a Virgilio majus habere ſubſidium atque adjumentum poſſitis.

XIII. Verum ſunt alia majora, quæ Virgilii ſtudio vehementius incendere vos debent, ad ejuſque lectionem acrius inflammare. Erigite, erigite, Adoleſcentes Optimi, animos menteſque veſtras, cum Poeſim vobis proponi auditis, cum Poetas vobis, ac Virgilium præſertim legendum exhiberi videtis. Magnum quiddam Poeſis eſt, & longe majus, quam ut vos ſuſpicari poſſitis. Poetas *ſanctos* appellat Ennius, propterea quia, ut inquit Cicero, (pro Arch. num. XII.) *quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur*. Multa quidem fabularum integumentis involvunt Poetæ, ſed in hoc ipſo ſapiens eorundem elucet conſilium. Non enim, ut falſo imperiti opinantur, propoſitis fabellis inanem hominum captare ſive admirationem, ſive voluptatem voluerunt;
quod

quod ſi feciſſent, inepti prorſus atque inutiles exiſtimandi eſſent. Verum longe aliam in hoc ipſo, quam quæ vulgo putatur, rationem Poetæ ſecuti ſunt. Philoſophiam nimirum illam humanæ vitæ & recte inſtitutionis magiſtram potiſſimum ſpectarunt, cujus ſaluberrima nobis præcepta more ſuo fabulando inſinuarent. Non aliud enim Poetæ atque Philoſophi docent; ſed quod Philoſophi aperto, hoc tecto quodam modo Poetæ docent, & non minus certe utiliter, & fortaſſe etiam ſalutariter docent. Nam quæ fingunt Poetæ, ut ab imperitorum hominum oculis, qui nihil cernunt, niſi quod corporeis ſenſibus admovetur, remotiora ſunt, ita noſtram in ind agando diligentiam magis acuunt, qua re fit, ut rejectis illis, quibus obnubitur veritas, involucris atque integumentis hominum animi & acrius percellantur, & ſalubrius erudiantur.

XIV. Atque ut a Virgilio ne diſcedamus, quid eſt, quod in hoc poeticæ, ſive potius philoſophicæ præceptionis genere optare poſſimus, quod ab eodem non habeamus? de quo mea quidem ſententia multo rectius ac verius, quam de Homero ſua in Arte Poetica ſcripſiſſet Horatius,

*Qui, quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,*
*Plenius & melius Cryſippo & Crantore dicit.*

Philoſophus enim ſummus teſte Auguſtino Virgilius fuit, & Philoſophus Socraticus fuit. Hauſit ex uberrimis Socraticis fontibus, qui ea ætate & puriores & ſa-

& ſalubriores habebantur, quæ in ſua ſcripta ad rectam morum inſtitutionem conformationemque derivaret. Itaque in iis nihil occurrit, quod honeſtum non ſit, nihil, quod pudicas offendat aures, nihil, quod verecundiam lædat, ut totus nullo offendiculo decurri ab adoleſcentibus Virgilius poſſit. Illa ipſa, quæ pro argumenti ratione minus pudice tractari videbantur poſſe, ita tractat, ut pudori ac verecundiæ maxime ſerviat. Tantum abeſt, ut hæreat in luto, ſi quod obvium in ſcribendo habuit, ut illud potius mira quadam dexteritate ac felicitate vitarit. Quare jure ac merito appellatus vulgo *Parthenius* fuit, quam ei appellationem longe honorificentiſsimam, & Donatus, & Servius, & Auſonius tanquam propriam ac ſingularem tribuerunt. Verecundiæ vero laudem ei meritiſſimo tribuunt & Plinius, & Quintilianus, & Seneca, & Gelius, ut hoc potiſsimum nomine adoleſcentibus, quorum ætatis præcipuum verecundia ornamentum eſt, commendatiſsimus eſſe debeat.

XV. Atque hac ego quidem & *Parthenii* appellatione,& pudoris ac verecundiæ commendatione Virgilio tributa commonitus, ſive potius commotus neſcio an quidquam gravius ad Poetarum, ſive Græcorum, ſive Latinorum, ſive etiam, ne hoc diſsimulem, Italorum licentiam procacitatemque caſtigandam hac ipſa & appellatione, & commendatione afferri poſsit. Quanquam eoſne, qui in deteſtanda hujuſmodi licen-

tia

tia atque nequitia verſati ſunt, eoſne ego Poetas appellabo? iine Poetæ nomine dignandi erunt, qui Poeſim ipſam turpiſsime dehoneſtare non ſunt veriti, qui vel ipſum ejus finem ignorarunt, quem honeſtiſſimum eſſe conſtat, & in ipſa honeſtate conſtitutum? Si hos Poetas appellabimus, qui a nobis corruptores, qui perductores nominabuntur? Hic vero me ex iſtiuſmodi Poetis unus importune illo ſuo interpellare non dubitabit verſiculo?

*Laſciva eſt nobis pagina, vita proba.*

Quid? cui tandem hoc probabis? cui hoc perſuadebis? cum nullum ſit laſcivienti pagina certius vitæ improbitatis indicium. Ten' potuiſſe probe vivere, & turpiter ſcribere? quaſi vero turpitudo ſcribendi a turpitudine vitæ ſejungi poſſit. In eo ipſo turpis convincitur vita, in quo eam conaris a turpitudine vindicare. Neque enim ulla vitæ actio, uti certe ſcriptio eſt, turpis eſſe poteſt, quin ſimili labe vita ipſa contaminetur. Verum eſto; iſta tu, quæ componi non poſſunt, ut affirmas, compoſueris; an ſimiliter eadem copulaturos arbitraris; qui tua probra ac decora legent, quibus peſtiferum tu virus carminibus inſtillas tuis, quorum in animos quo blandius, eo exitialius tu te inſinuas, quos denique ad omnem turpitudinem erudis atque inſtitutis? Apage ſis cum iſta tua perperam excogitata diſſociandi, quæ ſeparari non poſſunt, ratione. Hæc te non abſolvit, ſed condemnat;

nat ; hæe incautos in errorem inducit ; hæc mores perdit atque corrumpit , hæc denique eo tendit , ut plures , uti turpiter ſcribendi , ita nequiter vivendi ſocios habeas atque imitatores .

XVI. Quo loco non poſſum , quin vos , Adoleſcentes Optimi , non commoneam ſolum , verum etiam obſecrem atque obteſter , ut , quam poteſtis maxime, ab horum lectione Poetarum refugiatis . Nullum enim , mihi credite , fortaſſe periculum , quam ab his , pudori veſtro certius imminet . Compellabo vos illis ipſis graviſſimis verbis , ex veteri Archytæ Tarentini oratione deſumptis , quibus Tullianus ille ſenex ( Cato maj. num. XII. ) duos nobiliſſimos affatur adoleſcentes ; *Nullam* , inquit , *capitaliorem peſtem , quam corporis voluptatem , ſcitote hominibus a natura datam ; nullum ſcelus , nullum malum facinus eſſe , ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat ; cumque homini nihil præſtantibus mente ſit datum , huic divino muneri ac dono nihil eſſe tam inimicum , quam voluptatem . Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſterc* . Huc uſque ſive Cato , ſive Archytas & graviſſime & veriſſime . Hanc porro exitialem ac peſtiferam voluptatem vobis inſpirant minus honeſti Poetæ , quæ quidem animos ſemel veſtros ſi corripuerit , pro certo habetote non ſolum de virtute, ſed etiam de rectiſſimis omnibus ſtudiis actum prope eſſe & conclamatum.

XVII. An vero tanti aut ſermonis elegantia, aut lepos, aut hujuſmodi deliciæ, quibus capi adoleſcentes facile ſolent, æſtimabuntur, ut jactura pudoris ac verecundiæ facienda ſit? Nemo hoc vobis perſuadeat, quod ſuaderi ſine flagitio non poteſt. Quod ſi nonnullorum hujuſmodi Poetarum lectio neceſſaria exiſtimetur, ſecernantur quæ pudica, quæ honeſta ſunt, quæ tuto legi poſſunt; reliqua vero abjiciantur, & longe ac procul a veſtris oculis amoveantur. Video hoc ipſum a ſtudioſis diſcendi adoleſcentibus ſine periculo fieri non poſſe; ſed periculum hoc eorum antevertit cura, qui in expurgandis ab omni fœditate veteribus Poetis pudori veſtro conſuluerunt. Matthæus Radærus vir e Societate noſtra doctus & eruditus a Martiale labes omnes verecundiæ inimicas abſterſit. Joſephus Juvencius vir item e noſtra Societate, egregius veterum Poetarum Interpres, idem præſtitit in Horatio, in Ovidii Metamorphoſibus, in Juvenale ac Perſio. Utinam vir hic ingenuorum adoleſcentium bono, & bonarum artium incremento natus idem etiam in omnibus omnium veterum Poetarum operibus præſtitiſſet. Noviſſime vero Sanchezius de Luna ex eadem Societate Catullum, Tibullum & Propertium in uſum ſtudioſæ juventutis ab omni labe purgavit.

XVIII. Hos ego vobis, quandoquidem de Interpretum neceſſitate atque utilitate jam inde ab initio egimus, maximopere Interpretes commendo, qui facile

tile parari poſſunt, qui veterum ſcriptorum intelligentiam incredibiliter adjuvant, qui pudorem veſtrum ab omni periculo vindicare, atque in tuto conſtituere præcipue ſtuduerunt. Caute igitur in via admodum lubrica incedite. Proſpicite vobis, conſulite pudori veſtro. Nolite omnes temere Poetas legere, quorum quam neceſſaria, ut oſtendimus, lectio eſt, tam periculoſa, ſi delectus non habeatur, probis moribus eſſe ſolet. Legite probos, removete improbos; videte ne eorum lenociniis, quibus in fraudem illicere vos conantur, capiamini. Obturate exemplo Ulyſſis aures veſtras, nec hujuſmodi Syrenarum non alia de cauſa blandientium, niſi ut certius noceant, cantus excipite. Circæa iſta ſunt pocula, a quibus ſi labra non removeatis, in beſtias, & in illam quidem, quæ omnium ſordidiſſima eſt, convertemini. Denique minus honeſtos Poetas tanquam ſyrtes & ſcopulos vitate, ad quos ſi impingere contingat, certiſſimum pudoris veſtri naufragium conſequetur. Atque hæc hac de re dicta ſint ſatis; quanquam in re ſummi graviſſimique momenti nihil eſt, quod ſatis eſſe videatur.

XIX. Sed ad Virgilium, unde noſtra digreſſa eſt oratio, revertamur. Habetis in eo Poetam egregium, admirandum, Poetarum omnium facile principem, &, quod præcipuum eſt, Poetam habetis caſtum, pudicum, verecundum, uno verbo *Parthenium*. Multa hic reſta-

men omnia confecter, illuſtria in primis ac luculenta virtutum Virgiliana præcipue Æneis eam attente legentibus exempla ſuppeditat. Elucet in Ænea, qui primas in Poemate partes ſuſtinet, magnanimitas, fides, conſtantia, religio, pietas, quarum virtutum non adumbratam, ſed expreſſam in tanto Heroe imaginem intuemur. Eminet in Turno indoles generoſa, animus honeſtæ gloriæ appetens, & contemptor ſui. Miſerandum ſane ac luctuoſum de ſe ſpectaculum exhibet Dido, ſed docet quemadmodum a principio minus rectis animi noſtri permotionibus conſtanter ac fortiter obſiſtamus. Et quandoquidem ad vos potiſſimum, Adoleſcentes Optimi, noſtra hæc inſtituta a nobis oratio eſt, quis veſtrum tam humili atque abjecto animo erit, qui propoſitis Pallantis, Niſi, atque Euriali, eximiis præclaræ virtutis exemplis, tanquam admotis lateri calcaribus ſe ad imitationem incitari non ſentiat? Audiatur Donatus clariſſimus ille Virgilii Interpres, & Hieronymi in Rhetoricis præceptionibus Doctor, qui in uno Virgilio virtutum prope omnium perfectum abſolut umque *Magiſterium*, & quidem ad omnium ordinum atque ætatum diſciplinam referendum agnoſcit; *Habet*, inquit, *multa Virgilius, quæ diſcant patres & filii, vir & uxor, imperator, & miles, civis optimus & patriæ cultor. Magiſterio ejus doceri poſſunt, qui ſe ad Dei cultum conferunt, qui*

*illæſas amicitias amant, & quales debent eſſe homines, quorum præſidia neceſſitate poſtulantur.*

XXI. Quod ſi Æneæ abdita ac ſubterranea Inferorum loca una cum Sybilla penetranti addere nos comites voluerimus, erit profecto, ut multa diſcamus, quibus a vitiis, quæ virtuti opponuntur, revocemur. Hic vero, ut a Sybilla non *omnia pœnarum percurri nomina* potuerunt, ita nequeunt a me omnia vitiorum genera recenſeri, quibus illæ pœnæ meritiſſimo inferuntur. Hoc tantum dicam nihil eo libro, qui eſt Æneidos ſextus, eſſe utilius, nihil ſalubrioribus præceptis eſſe refertius. Nullum fere in eo crimen, nullum facinus prætermittitur, cui propria ac ſingularis pœna non aſſignetur; hæc autem tanto excogitata judicio, ut ex ipſa pœnæ atrocitate magnitudo & turpitudo flagitii dignoſci poſſit. Illud vero hoc loco animadverſione digniſſimum eſt, qnod non temporariæ ſceleſtis hominibus infliguntur pœnæ, ſed nullo fine circumſcriptæ ac ſempiternæ. *Sedet*, inquit diſerte, *æternumque ſedebit Infelix Theſeus*; nec minus diſerte, *Immortale jecur Tityi* pœnarum æternitatem, atque aperte docet. Quam in ſententiam illa diſerta quoque atque aperta Ciceronis ſunt in fine ejus, quam primam habuit in Catilinam, ejuſque nefariæ conjurationis ſocios orationis, ubi ad Jovem converſus; *Omnes*, inquit, *inimicos bonorum, hoſtes patriæ,* la-

*latrones Italiæ , ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate conjunctos æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactabis* . Uſque adeo ſuppliciorum æternitas ſceleſtis hominibus reſervata , quam impii nunc quidam homines , aut negare omnino , aut in dubitationem conantur adducere , quo & licentius peccent , & ſi qua ratione poſſint , quod mereri ſe vident , a ſe amoliantur , atque expaveſcere deſinant , uſque adeo inquam hæc ipſa æternitas teſtatiſſima eſt , ut vel ab ipſis Ethnicis *in umbra mortis ſedentibus* , & in rebus Catholicæ Fidei prorſus caligantibus non fuerit ignorata .

XXII. Quare , ut videtis multo copioſiſſimam plurimarum ac ſaluberrimarum rerum ſegetem Virgilius ſufficit , quæ a nobis inter exponendum , ſi non demetenda omnis , ſaltem carpenda ſit , qua non ſolum veſter in litteris profectus augeatur , ſed veſtra præcipue alatur pietas , quæ cum ad omnia utilis , tum præcipue ad illum ipſum profectum maxime conferre poteſt , & debet . Nolite igitur ineptis quibuſdam hominibus præbere aures , qui vos a Poetarum lectione objectis inanibus argumentis avocare contendunt . Plurima iſti jactant , quæ aut falſa omnino ſunt , aut aliquam tantum adumbratæ veritatis ſpeciem habent . Facile eſt popello multa venditare , qui nulla fere ratione ducitur , & ſolo veritatis ſimulatæ obtentu capitur . Facile eſt , imponere inconſultis adoleſcentibus , ſi ea præſertim proponantur , quæ eo ten-

dant, ut laborem, a quo maxime refugiunt, aut prorſus amoveant, aut certe non parum imminuant. Nec vero minus facile eſt quidquid velis, perſuadere iis, qui aut nunquam ad hos ſapientiæ ludos acceſſerunt, aut ſi acceſſerint, nihil hinc, ſuo ipſorum vitio atque culpa, niſi unam ignorantiam deportarunt. Vellem importuni ſuaſores iſti hic adeſſent; vellem hanc cathedram aſcenderent; vellem ego adſtare auditor, & mecum una, non adoleſcentes, quos nullo negotio poſſis dicendo pervertere, ſed idoneos harum rerum æſtimatores adſtare. Audirem cupidius quid tandem afferrent, quamobrem recte conſtitutorum diſciplina ſtudiorum inſtitui in melius; iſtis auctoribus, emendarique deberet. Exſpectarem avidius, dum aliquid novi, atque ad hanc diem inauditi depromerent, quod tantum haberet ponderis, ut poetica ſtudia ab omnibus totius Europæ Academiis, in quibus & diſcipulorum copia & magiſtrorum excellentia vigent ac florent, eſſent exterminanda. Verum huc adducti atque adeo attracti obmuteſcerent credo, aut certe multum de nimia illa, qua ſola valent, loquacitate remitterent.

XXIII. Ego ſane nihil tam odi, quam ſe alienis nonnullos immiſcere ſtudiis, de eorumque conſtituendorum ratione diſputare, ad quæ nunquam ſerio animum adjecerint, nec vero unquam in iiſdem quidquam profecerint. Phormionis hos ego illius ſimiles judico, qui caſtra cum nunquam vidiſſet, Hannibali tan-

tanto Imperatori, qui tot annos de imperio cum Populo Romano omnium gentium victore certaſſet, de re militari præcepta dare auſus eſt. Ingens ſane impudentia; ſed horum certe multo major. Phormio ille nobilis Peripateticus cum eſſet, & apud ſuos ſumma doctrinæ opinione floreret, poterat non inſcite aliquid de rebus ad militarem diſciplinam ſpectantibus fortaſſe diſſerere. Contra vero iſti nulla ullius doctrinæ commendatione probabiles de iis artibus diſputant, quas ignorant omnino; cum autem nullam unquam artem didicerint, nihil ſciunt, ex quo aliquam ſaltem vel pertenuem de reliquis capere artibus conjecturam poſſint.

XXIV. Si quis veró ex iſtis paullo eruditior forte vobis occurrat, qui Platonem a ſua, quam conſtituit civitate, Poetas omnes exulare voluiſſe contendat; ſcitote hoc eſſe falſum, nec Platonem Poetis unquam fuiſſe inimicum. *Totum Platonem*, Lacerda noſter inquit, Virgilii Interpres omnium longe eruditiſſimus & locupletiſſimus, *totum Platonem legimus, & nihil tale reperimus*. Exulare quidem a ſua civitate malos ac pernicioſos Poetas Plato voluit, ſed bonos ac ſalutares tantum abeſt, ut ab eadem removerit, ut in eandem ultro receperit atque adſciverit. Neque enim credibile eſt tantum virum, cum ejus ſermones referret, qui Apollinis Oraculo totius Græciæ ſapientiſſimus eſt judicatus, neſciſſe bonos atque utiles

utiles Poetas a malis atque exitialibus diſtinguere, ut nullo diſcrimine Poetas omnes capitali afficeret pœna, exilioque mulctaret. Hac vero adhibita ſapientiſſimi viri diſtinctione, quam nos etiam adhibuimus, cum vobis bonos tantummodo atque honeſtos Poetas legendos obtulimus, non video quare poetica ſtudia negligi ab ingenuis adoleſcentibus debeant, ex quibus ſumma illa, quæ hactenus perſequti ſumus, commoda conſequuntur.

XXV. His pravis & importunis de medio ſuaſoribus hoc modo remotis, qui dum unam vobis oratoriam artem, cui ſoli, contempta Poeſi, ſtudeatis, opponunt, imprudentibus & male credulis profectum in utraque intercipere conantur; quid reliqum eſt, niſi ut tum ad oratoria, tum ad poetica ſtudia ſerio incumbatis, Ciceronem atque Virgilium legatis aſſidue, nec alterum ab altero ſeparetis, & me duce, immo vero Virgilio & Cicerone certiſſimis ducibus ad utramque laudem, tum poeticam tum oratoriam enitamini.

Pluribus egit Parthenius cum Typographo Patavino, ut novam Abrami in Virgilium Commentarii editionem ſuſciperet; ſed cum illo convenire de pretio non potuit. Cæterum Commentarium hoc tale eſt, quale deſcribitur in hac oratione, ac plane dignum, quod iterum & eo ſæpius in uſum ſtudioſæ juventutis recudatur.

DE RATIONE

# DOCENDI ET DISCENDI

## AD AUDITORES SUOS

## *ORATIO PARÆNETICA* III.

MUlta dixi ſuperioribus orationibus, ex quibus, Adoleſcentes Optimi, quem Doctorem, quam veſtri cupidum, quam diſcipulorum ſuorum tum in litteris, tum in pietate profectus amantem habituri ſitis, facile potuiſtis agnoſcere. Sed quoniam cognoſcere me, ut eſt in veteri proverbio, non nævo aliquo, aut crepundiis, ſed toto corpore mihi velle videmini; me vobis indicabo totum, nec celabo quidquam eorum, quorum cognitionem veſtra maxime intereſſe arbitrabor, quo & mihi docenti operam impenſius detis, & vehementius, in id, in quo eſtis, ſtudium incumbatis. Exponam rationem docendi meam, qua hactenus in tradenda Rhetorica

torica uſus ſum, & utar in poſterum. Non hic ego quidem novam docendi methodum inducam, atque ab illa, quæ magiſtris Societatis tenenda proponitur, abhorrentem. Mihi ſane nimis arrogans viderer, ſi de me tantum confiderem, ut quæ majores, ſapientiſſimi & prudentiſſimi viri, ſummo conſilio conſtituerunt, & quæ jam duorum certiſſimo ſæculorum judicio, & communi utilitate probata ſunt, illa auderem vel omnino pervertere, vel aliqua ſaltem ex parte immutare. Ab ratione igitur noſtrorum inſtituta ſtudiorum non recedens, ea hic tantummodo exponam, quæ me uſus plurimus docuit, & multo diuturnior, quam voluiſſem, in laborioſiſſimo ærumnoſiſſimoque erudiendorum adoleſcentium munere exercitatio. Atque hæc ego quidem ſi vobis, ut confido placere cognovero, erit profecto, cur mihi gaudeam; erit, cur bene de vobis omnibus ſperem. Multum enim refert, qua ſit apud diſcipulos ſuos præceptor exiſtimatione; plurimum vero, ſi ipſa præceptionis ratio, iis ipſis, quibus adhibenda eſt, valde probetur. Expoſitis, quæ ad meam potiſſimum inſtitutionis rationem ſpectabunt, ea breviter ſubtexam, quæ veſtro præſtare vos magiſtro decebit, cujus fruſtra ſuſceptus omnis erit in vobis erudiendis labor, ſi veſtra non acceſſerit opera, ſine qua cum omnibus in rebus, tum in noſtris præſertim ſtudiis omnis omnino profectus eſt deſperandus.

II. Cum hoc in gymnaſium ingredior, & hanc in ca-

cathedram aſcendo, multa ſtatim occurrunt, quorum oblata ſpecie mirifice capior atque delector. Capior primum dignitate atque amplitudine loci, quæ non ſane parum & docentem allevant, & non minimum etiam ad diſcendum conferunt. Neſcio enim quomodo loci dignitas atque amplitudo animos erigit, alacritatem inſpirat, & rebus ipſis, quæ tractari ab Rhetore ſolent, tametſi per ſe amplæ ſunt atque illuſtres, majorem tamen quandam & dignitatem conciliant & amplitudinem. Circumfero oculos, & cerno imagines, quæ pulcro ordine diſpoſitæ, non tam ornamento parietibus ſunt, quam intuentibus admirationi. Expreſſos imaginibus vultus habitumque contemplor; ex ipſis inſignibus, quibus quæque imago diſtinguitur, Romanorum Pontificum effigies agnoſco. Docet inſcriptio illos, adoleſcentes cum eſſent, gymnaſium hoc celebraſſe, & quo quique tempore huc inſtitutionis cauſa ventitarint, demonſtrat. Recenſeo eorum numerum, & ad novem exſtitiſſe reperio. Illuſtre profecto ac prorſus ſingulare decus, & quod neſcio, an cuiquam litterario ludo unquam contigerit, aut poſſit contingere in poſterum, ut ex eo uno tot viri in omnium ſanctiſſima præcellentiſſimaque dignitate conſtituti prodierint. Ex ſummorum Pontificum numero, qui gymnaſium hoc illuſtrarunt, eorum prope innumerabilium colligo numerum, qui ſimiliter hic bonis artibus eruditi, ipſi quoque ad ampliſſimos honores evaſerunt.

III.

III. Nec vero cathedra hæc ipſa, in qua ſedeo, mihi non exhibet, quod mecum ipſe recolens magna afficior voluptate. Summorum enim in omni doctrinæ genere virorum memoriam commovet, qui in ea Doctores ſuo quique tempore ſeſſitarunt. Occurrunt menti ſtatim Bencii, Turſellini, Valtrini, Donati, Gallutii, Stradæ, aliique quam plurimi, & lætor ab his tantum huic gymnaſio acceſſiſſe ornamenti. Quanquam eorum doctrinam atque eloquentiam cum mihi propono, me mei pudet ipſius, qui in illorum locum ſuffectus nullo modo cum illis neque doctrina ſim, neque eloquentia comparandus. Ille vero præſertim animo obverſatur meo Romanæ lumen eloquentiæ, Petrus Joannes Perpinianus, de quo tot ac tanta, eaque præclariſſima doctiſſimorum hominum Manutii, Corradi, Mureti, & aliorum exſtant teſtimonia, qui omnium proxime ad Tullianam eloquentiam facundia acceſſit ſua. Itaque lætor tales ac tantos habere me deceſſores; ſed, quemadmodum dixi, verecundor etiam. Quanquam ex hoc ipſo animos ſumere licet, & conniti, ne ſucceſſor tam illuſtribus omnino indignus deceſſoribus conſtitutus eſſe videatur. Ex magiſtrorum porro excellentia facile eſt conjicere, quales eorum exſterint diſcipuli, qui tantos in ſtudiis ſuis nacti ſunt duces ac magiſtros.

IV. Denique ad vos, Adoleſcentes Optimi, oculos converto meos; affuſam tot ingenuorum turbam circum-

cum-

cumſpicio ; omnium veſtrum in me unum ora vultuſque converſos video. Placet ordo ſubſelliorum ; ſtipata ſubſellia perplacent ; tanta celebritate frequentiaque delector. Studium vero illud in primis diſcendi veſtrum me recreat incenſum & flagrans, quod, quamvis decurſu temporis elangueſcat, ac propemodum extinguatur, in exordio tamen a pleriſque adoleſcentibus ardens afferri ſolet. Accipio interim, quod mihi a vobis datur, & me, ſperans meliora, conſolor.

V. Jam vero ab hac delectatione, qua ſtatim, atque huc pedem infero, afficior, ad quandam de mei laboris exitu, & de cujuſque veſtrum in arte Rhetorica profectu capiendam conjecturam progredior. Et quis tandem, mecum tacitus ajo, ex tanta diſcipulorum multitudine, quam inſtituendam Rhetoricis præceptionibus ſuſcipio, aut Orator probabilis, aut Poeta bonus evadet? Equidem cum mihi injunctum ſit munus, ut alternis annis Oratoriam & Poeticam artem edoceam; dabo utique operam, ne meo officio deſim; cui quidem, ut aliquo par eſſe modo poſſem, non vigiliis, non laboribus peperci ullis, atque inde uſque ab ipſa adoleſcentia elaboravi, ut harum, quas doceo, artium omnino ignarus nec eſſem, nec haberer. Verum mea hæc qualiſcumque in his ſtudiis a me comparata facultas, & in meo obeundo munere alacritas, efficiet quidem, ut mei functio muneris futura mihi facilior ſit, ſed non certe prorſus artium,

tium, quas traditurus ſum, difficultatem imminuet. Diligentia mea, & ſedulitas veſtra, quam vos mihi præſtituros eſſe confido, difficultatem quidem allevare poterit, tollere omnino non poterit.

VI. Et ſane, ſi ipſa ars in primis oratoria conſideretur, ſtatim ex eorum, qui in ea, non dicam excellentes, ſed aliquo modo probabiles evaſerunt, incredibili paucitate, ſumma hujus artis colligitur, & mihi continuo incredibilis proponitur difficultas. Si vero deinde Cicero hujus ipſius artis magiſter longe doctiſſimus atque experientiſſimus audiatur, tantum abeſt, ut animos addat, ut potius deſperationem injiciat. *Majus* inquit (de Orat. lib. I. num. V.), *hoc quiddam eſt*, eloquentia nimirum, *quam homines opinantur, & pluribus ex artibus ſtudiiſque collectum*. Requirit idem præterea (de Orat. lib. I. num. XXV.) ad hanc comparandam *celeres ingeniorum motus, & ad excogitandum acutos, & ad ornandum uberes, & ad memoriam firmos ac diuturnos*. Quæ quidem, ut videtis, magna ſunt, & paucis admodum a natura large effuſeque donata. Nec minor in arte Poetica, immo vero multo etiam fortaſſe major objicitur difficultas. Non enim Poeſis *celeres illos* ſolum *ingeniorum motus*, de quibus paullo ante Cicero, ſed præterea *inflammationem quandam animorum, & quendam quaſi afflatum furoris* poſtulat, ſine quibus adjumentis tum Plato, tum Democritus quemquam negant bonum evadere Poetam poſſe.

VII.

VII. Jam vero hæc ego attente conſiderans, mihique ſerio proponens, non poſſum, quin non vehementer perturber atque commovear, & de felici induſtriæ meæ in utraque arte tradenda ſucceſſu propemodum deſperem. Etenim oratorii illi *acerrimi ingeniorum motus* a Cicerone neceſſario ad eloquentiam requiſiti, in quo tandem veſtrum a me reperientur? Quis ex vobis *inflammationem illam animorum & divinum quaſi furoris afflatum* ad artem mihi Poeticam afferet? Quæ quidem cum pleroſque deficiant, quid demum fiet? quid conſequetur? quorſum recident labores mei? qui fruſtra ſuſcepti merito judicari poterunt, ſi eo diſcipulos omnes meos coner perducere, quo vix unus & alter, pauciſſimi certe pervenient.

VIII. Nolim, Adoleſcentes Optimi, eo me rem jam inde ab initio allocutionis hujus meæ exiſtimari adduxiſſe, ut hæc oratio mea ad vos deterrendum magis, quam ad cohortandum inſtituta eſſe videatur. Verum nolite animum deſpondere, ſed accipite reliqua, & judicium paulliſper veſtrum ſuſtinete. Apollonium ferunt Alabandenſem exſtitiſſe quendam, qui cum Rhetoricam mercede doceret, apud ſe diutius eos eſſe non patiebatur, de quorum in ea, quam tradebat, arte excellentia deſperaret. Quare, ne tempus fruſtra in iis erudiendis conſumeret, alios ad alias artes, in quibus aliquid proficere ſuo judicio poſſent,



Digitized by Google

eos dimittere ſolitus erat atque amandare. Hunc ego imitari ſi vellem, cito rem omnem tranſigerem, & a tanta auditorum multitudine, qua circumfundor, ac pene opprimor, facili me negotio expedirem. Paucis retentis, reliquis alio aliis dimiſſis, momento temporis tantæ celebritati ſuccederet vaſtitas, tantam frequentiam exciperet ſolitudo.

IX. Ego vero neque Apollonii hujus, neque Rhetorum idem cum eo ſentientium conſilium unquam probavi, ut qui ad aliquam aliqua in arte excellenlentiam pervenire non poſſunt, ſit continuo de eorum qualicumque iis ipſis in artibus, ad quas ediſcendas accedunt, progreſſu deſperandum. Sunt in unaquaque diſciplina ſui quodam modo gradus, ſummi, medii, infimi, in quibus, pro ſuo quiſque ingenii modo, ſi ad ſummum evadere nequeat, poſſit non indecore conſiſtere. Optandum quidem eſſet, ut omnes omnibus in artibus excellentes evaderent. Quanquam, ſi recte judicare volumus, ne hoc quidem ad commune commodum optandum eſſet. Nam, præterquam quod excellentia nullo tum in pretio haberetur, Reipublicæ utilior mediocrium, ſed idoneorum opera plerumque eſſe ſolet, quam excellentium, qui fere plus eidem ornamenti conferunt, quam utilitatis. Itaque bono animo vos eſſe jubeo; quantum in me eſt, dimitto neminem, omnes retineo, amplector omnes, quo tandem cumque ingenio ſint,

niſi

niſi forte eo prorſus deſtituantur, nullus ut omnino ex iis ulla nec induſtria, nec aſſiduitate ſperari profectus poſſit. Quid igitur? Pleroſquene ego patiar apud me tempus inaniter terere, atque operam inutiliter in his ſtudiis, in quibus non admodum proficient, collocare? Nequaquam. Eſt, eſt inquam docendi ratio, quæ proſit omnibus, quæ neminem excipiat, & quæ cujuſque ingenio attemperetur.

X. Ac primo quidem ob eam ipſam difficultatem, quæ maxima in duabus artibus, ut ſupra indicavi, oratoria atque poetica oſtenditur, non id mihi potiſſimum in vobis inſtituendis proponam, ut ſummos aut Oratores, aut Poetas vos efficiam; neque vero ſummos tantum, ſed, ut inferius etiam deſcendam, ne Oratores, ac Poetas quidem. Quid ergo? Quæ præcipua tui muneris ſunt, negliges? Minime ſane. Dicam planius, atque apertius ſententiam declarabo meam. Sic igitur habetote. Ego quidem non perinde vos inſtituam, quaſi tota in artibus oratoria & poetica vobis conſumenda ſit vita, atque hac una ratione patriæ ac civibus veſtris utiles evadere debeatis. Male quidem, mihi credite, ſi ita me gererem, pleriſque veſtrum, male publico, male privato commodo conſulerem. Curabo equidem, ut, ſi qui ad excellentiam in utraque arte aſpirant, modo ea afferant, quæ neceſſario requiruntur, iis ne deſim, mihique laudi atque honori ducam, ſi e meo ludo, & præſtantes

Oratores, & eximii Poetæ prodierint. Itaque nihil eorum, quæ ad has ipſas artes pro dignitate tradendas neceſſaria eſſe cognovero, præteribo. Sed tamen, iterum dico, parum omnium veſtrum utilitati me proſpicere arbitrarer; ſi eo tantum curas omnes meas contentionemque dirigerem, ut aut ſummum Oratorem, aut egregium Poetam inſtituendum mihi formandumque proponerem. Habenda eſt a bono præceptore ratio omnium, omnium commodis ſerviendum, omnibus laborandum; & illud maxime providendum, ne cum aliquibus proſit, reliquis noceat; noceret autem ſi ſecus, atque ego contendo, ſe gereret.

XI. Et ſane, ſi rei utilitatem ex uſu metiri velimus, quid certi tandem emolumenti nunc ex Rhetoricæ artis excellentia percipi vulgo poteſt, ut ei unice ſtudendum ſit? Jamdiu illa Romani Regina fori, & domina animorum, quæ tot olim ac tantas hac ipſa in urbe tragœdias excitabat, Eloquentia conticuit. Nunc lites non jam amplius voce & actione, ſed tantum ſcriptis tranſiguntur & tabulis; quietis & pacatis nunc judicibus utimur, non ut olim, commotis & concitatis; tantumque Patroni cauſarum accipiunt, quantum ratio & æquitas patitur, non quantum vi, ac vetere illa expugnatrice judiciorum oratione extorquetur. Siquid adhuc oratoriæ hujus vis & contentionis remanet, id ſolum in ſacris Oratoribus perſeverat. Atque hoc ego quidem eloquentiæ genus mi-

minime negligam, ejuſque formam iis, ſi qui forte ſacri, ut vocant; *Concionatoris* munere functuri ſunt; ex ipſo Cicerone expreſſam exhibebo. Cæterum vetus illa latina Eloquentia obmutuit, & prope in deſuetudinem abiit, neque amplius ei honores illi, quos olim conſequebatur ampliſſimos, ſive ad decus, ſive ad gratiam, ſive ad opes; proponuntur. Idem de Poeſi, & multo dici verius poteſt, quæ, tametſi a nonnullis delectationis cauſa nunc colitur, nullum tamen fere commodum atque utilitatem ſuis cultoribus parit. Algent miſeri Poetæ, & tremunt; nec quidquam eis Platonica illa & Democritica *inflammatio animorum* prodeſt, quo algorem excutiant ſuum, tremere deſinant, ac tandem aliquando calefiant. Male id quidem, atque immerito, ſed uſu tamen ita evenire quotidiana experientia docet atque confirmat.

XII. Atque hic nolim, Adoleſcentes Optimi, perinde vos hæc interpretemini, quaſi iis contraria ſint, quæ nos ſuperioribus orationibus perſecuti ſumus, atque ita accipiatis; ut & oratoria & poetica ſtudia impune a vobis negligi poſſe exiſtimetis. Non hoc ego dico; neque vero ex his, quæ modo a me dicta ſunt; id recte colligi poteſt. Aliud eſt ſive ad oratoriam, ſive ad poeticam artem ſic incumbere, ut Oratores ſummi, & egregii Poetæ evadatis; (quanquam hoc ipſum maximo in lucro ponendum eſſet, ſi vos tales evadere contingeret, quales be-

ne multi in utraque arte evaſerunt, qui hoc ipſum gymnaſium celebrarunt) verum aliud eſt perinde his artibus ſtudere, quaſi tota in iis conſumenda eſſet vita, & ad illarum excellentiam enitendum; aliud harum ipſarum artium ſtudia omnino negligere. Ex Oratoria arte & Poetica multa, ut oſtendimus, ad omnem vitæ uſum ac neceſſitatem peti adjumenta poſſunt, quæ nemo ſanus debet aſpernari. Itaque ſi quis nequaquam poſſit excellens Orator, neque eximius Poeta evadere, non idcirco æquum eſt eundem ſumma, quæ ex illarum artium ſtudio redundant, emolumenta contemnere. Adhibenda quidem ab idoneo Doctore his in artibus tradendis quædam circumſcriptio eſt, quæ proſit omnibus, ſed nequaquam diſcipulis conceditur eâdem, quæ ad communem utilitatem inſtituitur, ad propriam perniciem abuti. Debetis igitur utrique ſtudio ſedulo ac diligenter operam dare, & magnam mihi habere gratiam, qui in vobis erudiendis ea circumſcriptione uſurus ſim, quæ ad omnium referatur utilitatem, quæ animum infirmioribus addat, quæ neminem a qualicumque profectu ſecludat.

XIII. Accipite nunc in quo tota boni Doctoris conſumi diligentia debet, & in quo potiſſimum ejus ratio vertitur inſtitutionis, quæ profutura ſit omnibus. Dicam de mea, quam hactenus adhibui, & maxime utilem expertus ſum ac ſalutarem. Alii Doctores de

ſua

ſua viderint; neque enim quam illi in docendo rationem teneant, rectane ſit, an perverſa, mihi nunc inquirendum eſſe, neque laborandum exiſtimo. Caput in primis, ac ſuper omnia, caput, inquam, diſcipulorum gnavo atqne induſtrio præceptori cudendum, ac procudendum eſt. In hoc maxime Doctor incumbat oportet, in hoc præſertim elaboret, in hoc induſtriam, diligentiam, curam omnem, ſi prodeſſe omnibus generatim velit, adhibeat neceſſe eſt. Hoc ſi obtinebit, non erit quod præterea ab eo requirendum ſit; ſuo muneri cumulatiſſime ſatisfaciet, nec ulla re magis prodeſſe auditoribus poterit ſuis. At in quo hæc capitis, ut ita dicam, elaboratio potiſſimum conſtituetur? In eo præcipue, meo quidem judicio, ut Doctor optimarum in multiplici genere rerum quandam quaſi formam diſcipulorum animis, quantum eniti dicendo poteſt, conetur imprimere, quæ ſic impreſſa permaneat, ut nunquam effluat, nunquam elabatur, & ex qua, cum uſus poſtulabit, quidquid libuerit, iidem facile poſſint exprimere. Hoc eſt quod ego dico caput cudere, procudere, elaborare; & hoc eſt inſtitutionem ita moderari ac temperare, ut omnium commodis ſerviatur, & illa omnium ingeniis accomodetur. Hoc autem, ſi ego aſſequar, & vos a me auferetis, cætera, mihi credite, vobis propemodum ludus erunt. Liberum ab hujuſmodi inſtituti one unicuique veſtrum erit, ſe ad quamcumque ſive diſciplinam,

nam, ſive ad quodlibet munus conferre, nec vero non confidi poterit fore, ut & in illa pro ingenii modo proficiat, & hoc pro ejuſdem ingenii habitudine, aliqua ſaltem tolerabili ratione tueatur.

XIV. Age vero, quibus tandem inſtrumentis in hac capitis elaboratione, quam difficili, tam neceſſaria utemur? Non aliis fere niſi Cicerone atque Virgilio. His duobus veluti malleis (rectiſſime enim interdum in minimis rebus maximarum comparationes rerum inſtituuntur; neque vero ſi quid humilius dictum videtur, minus idcirco ſimile judicari debet) his igitur duobus veluti malleis, quidquid iſthuc opificii eſt, conficiendum nobis erit perficiendumque. Multa tum de Cicerone tum de Virgilio ſuperioribus jam orationibus dixi, ſed non minus multa reſtabant, quæ a me dici potuiſſent, ſi omnia perſequi voluiſſem. Ea eſt horum auctorum, ſi eos probe Doctor intelligat, ſi recte interpretetur, vis, ea copia, ea in omne prope genus artium diffuſa facultas, nihil ut illi non ſufficiant, quod ad hanc capitis elaborationem conferre poſſit. Nequaquam nuda, quod plerique auctores faciunt, præcepta tradunt, quorum cognitio vulgaris eſt ac pene puerilis; ſed res ipſas ex præceptis elaboratas ſic exhibent, nihil ut majore ſit artificio & expolitione diſtinctum. Multiplices res tractant, & rerum, quas tractant, demonſtrationem quandam afferunt, quam intimis ſenſibus alte imprimunt, penituſque defigunt, unde ea, quam appel-

appellamus, emergit *evidentia*, quæ incredibilem in modum illam commovet vim imaginum effectricem; qua animus noſter acerrime percellitur, & cujus tam frequens ac neceſſarius omnibus in ſtudiis atque artibus uſus eſt. Ita porro per omnes humanæ vitæ actiones vagantur ac ſerpunt, nihil ut ad eas omnem ad honeſtatem conformandas, ſi quædam excipias, quæ a Chriſtiano Doctore in hominibus Ethnicis corrigenda ſunt, accommodatius poſſit excogitari. His accedit, quod hominis naturam omneſque humanas affectiones ſic introſpexerunt, ut pauci admodum altius in illas intimiuſque pervaſerint. Poſtremo nullarum non prope rerum aliquam cognitionem tradunt; neque earum ſolum, quæ abditæ, ſunt atque in Philoſophorum arcanis retruſæ, ſed illarum etiam, quæ in uſu verſantur quotidiano, & a communi ſenſu non abhorrent. His ſubſidiis Doctor adjutus nihil, ut videtis, non habet, quod ad veſtram ſive doctrinam, ſive inſtitutionem, ſive etiam ad uſum conferre poſſit, quibus vos poſtea ad omnem, quæcumque poſſit vobis incidere, occaſionem utamini.

XV. Neque vero ad id obtinendum neceſſe habet Doctor omnia prope, quæ duo hi Clariſſimi viri, in ſua quique arte principes, ſcriptis mandarunt, ſuis ediſcenda diſcipulis proponere. Qua in re egregie falluntur Doctores illi, & non ſine maximo auditorum ſuorum detrimento falluntur, qui magnum quiddam

ſe

ſe præſtitiſſe arbitrantur, cum plures Ciceronis orationes, & totum pene Virgilium uno anno decurrerint. Atque hi quidem Doctores mihi videntur aut, quos interpretantur, auctores non intelligere, aut adoleſcentium, quos erudiunt, captum non ſatis habere cognitum, aut, quod veriſimilius puto, utrumque ignorare. Multa occurrunt in his auctoribus, quæ perlabi celeriter a magiſtro neque poſſunt, neque debent. Multa ſunt iteranda ſæpius, inculcanda frequentius, verſanda in omnes partes, donec probe a diſcipulis percipiantur; ſæpe in uno loco diutius immorandum eſt, & non raro eſt eodem ſæpius revertendum. Una aut altera Ciceronis oratio, unus aut alter Virgilii liber incredibilem magiſtro plurimarum & maximarum rerum copiam, ſi eam diſcipulorum utilitati eruere calleat, ſufficiet, unde & alantur ingenia, & componantur mores, & omnis actio vitæ recte atque ordine inſtituatur.

XVI. Itaque ego, ſive Ciceronem, ſive Virgilium ita interpretandum vobis exponendumque ſuſcipiam, ut una alterave Ciceronis oratione, uno alterove Virgilii libro interpretationem meam circumſcribam. Id enitar primum, omnia ut dilucide explicem, omnia prope oculis ſubjiciam, nihil ut diſſimulem, prætermittam nihil, & quod præcipuum eſt, in intimam ſive Ciceronis, ſive Virgilii intelligentiam pervadam, eoque mecum una vos prope manu deducam. Ad hunc finem

nem ſingula orationis membra diſpiciam, in ſententias ſubtilius inquiram, quæ ſit ſententiarum veritas, quæ gravitas, qui nexus, qui ordo, quæ conſecutio omni adhibita perſpicuitate vobis exponam. Nec vero verba ipſa negligentur a me, ſed eorum vim, elegantiam, leporem, delectum, comprehenſionem perſequar, ut qui latino ſermone delectantur, latinæ loqui pure eleganterque condiſcant. Si attentas mihi aures præbueritis, perficiam profecto, ut ea, quæ dicam, omnes intelligant. Siquæ ſententiæ aut ſubtiliores, aut obſcuriores occurrent, ita eas adhibitis illuſtrabo comparationibus, ita eaſdem alio atque alio efferam modo, ita in omnem verſabo partem, ut ad illas percipiendas tantummodo ſimilem hominis eſſe ſufficiat. Semel, iterum, tertio eandem rem inculcabo; nec quieſcam, donec probe ab omnibus intellecta ſit atque percepta. Uno verbo omnia comminuta, manſa, & probe contrita, veluti nutrices in os infantis, ita in animos ego veſtros conabor ingerere.

XVII. Hæc utilia ſunt, ut videtis, & apprime tum ad communem, tum ad ſingularem profectum conducentia. Refert enim plurimum, qua ſit in rebus exponendis perſpicuitate præceptor. Verum in rerum ipſarum tractatione illa potiſſimum inſtitutio conſiſtit, quæ omnium attemperetur ingenio, quæ futuris uniuſcujuſque veſtrum uſibus accommodetur, & ex qua illa demum, quam præcipue quærimus, capitis

pitis elaboratio conſequatur. Itaque inter exponendum curabo, ut non tam rerum varietate attentos vos teneam, quam earundem tractatione vos erudiam: Multa igitur ex multiplici eruditione; multa ex hiſtoria, multa ex ipſis, in qua verſamur, inſtitutis civitatis, multa ex conſuetudine vitæ, multa ex diverſis muneribus, quæ provectiori ætate alia aliis obire continget, ſive Juriſconſultus, ſive Medicus, ſive Paterfamilias futurus ſit, ſive quam aliam ſuſcepturus in Republica perſonam, multa denique multis de locis colligam, & qua potiſſimum ratione in unoquoque vitæ genere ſe quiſque gerere debeat indicabo. Nec vero rerum ipſarum, quæ interpretanti occurrent, naturam præteribo, ſed indolem inſpiciam, vimque perpendam, & vel ad infima quæque cujuſque artis opificia deſcendam, unde exempla depromam, ſimilitudines comparem, & multa hujuſmodi mihi ſubſidia conquiram, quibus non tam veſtræ ſatietati ac faſtidio occurram, quam veſtræ potiſſimum eruditioni atque utilitati ſerviam.

XVIII. Mitto hoc loco ea commemorare; quæ communia eſſe debent gnavis omnibus atque induſtriis Doctoribus; nimirum ut ingenia diſcipulorum crebris exercitationibus ſubigantur ac fatigentur: Non ego quidem huic induſtriæ parcam, nec vos certe momento temporis ceſſare patiar; ad ſcribendum, & ad ſine intermiſſione ſcribendum vos adigam. Neque

vero

vero deerit æmulatio, qua tanquam admotis quibuſdam calcaribus ſegniores incitentur. Æmulationem excipiet laus, quæ animos veſtros erigat, & diſcendi cupidos amore ſapientiæ vehementius inflammet. Verum hæc miſſa facio, propterea quia, ut dixi, communia eſſe debent omnibus magiſtris, ut, qui ea negligant, ne magiſtri quidem nomine dignandi ſint.

XIX. His igitur omiſſis, quæ ad peculiarem meam docendi rationem non pertinent; rerum tractationi proximus utilitate ſuccedit ſeverioris uſus Criticæ, quam ego potiſſimum adhibebo. Hæc eodem, quo rerum tractatio, tendit; ad illam nimirum, quam præcipue intendimus, capitis elaborationem. Immo vero tantum momenti ad hunc finem obtinendum in ea poſitum eſt, ut omnem propemodum rem hæc conficiat ex ſententia. Itaque ego Ctitica utar, & ea quidem ſeveriori, non ſolum in auctorum interpretatione, ſed in veſtrorum præſertim cognitione ſcriptorum. Quod ad auctores attinet, ut eorum ſcribendi virtutes magis ac magis eluceſcant, & oculis veſtris ſubjiciantur, quo eas & mirari, ut par eſt, & facilius imitari poſſitis; quod autem ad vos ſpectat, ut vitia ſcribendi veſtra vobis nota fiant, quo ea, quam poteritis plurima, hoc in gymnaſio ponatis, neque vobiſcum, cum ab eodem diſcedendum erit, deferatis. Itaque ſollerter in ſcripta unius cujuſque veſtrum inquiram, ea ad acrem cenſuram

vocabo, animadverſionibus non parcam; animadverſionum autem mearum probabilem rationem reddam, ut, quæ reprehenſa erunt, emendetis, atque in poſterum vitare aſſueſcatis. Nec vero poteſtatem defendendi, opponendi, ſciſcitandi non faciam, nec quieſcam, nec quieſcere vos patiar, donec veſter evictus ratione animus conquieſcat.

XX. Jam qui hæc crebro iteret, qui inculcet, qui in his immoretur, non video quare illam, quam ego capitis elaborationem appello, obtinere non poſſit. Non enim fieri poteſt, quin eandem qui ſæpius incudem tundat, aliquid tandem extundat. Atque hæc ſunt, mea quidem ſententia, quæ hominem poliunt, unde illud *Politus e ſchola*; hæc faciunt, ne quis communis ſenſus, ne humanitatis expers, ne rudis omnino ſit, ne propria in patria hoſpes ac peregrinus, ne denique inutilis ſive publicis uſibus, ſive privatis omnino evadat. His ego aſſequar, ut, ſi quempiam hirſuto cortice atque aſpero truncum acceperim, ſi non probe dolabra lævatum ac perpolitum, ſaltem non ita, ut mihi traditus fuit, rudem, atque aliquo tolerabili modo formatum e meo ludo, edomitumque dimittam. Itaque fiet, ut, cum demum, abſoluto Rhetoricæ curriculo, alius alio diffluet, ſic abeat, ut ſive ad graviores diſciplinas addiſcendas, ſive ad publica, ſive ad domeſtica munia obeunda ſe conferat, quantum cujuſque facultas patietur, ſi non prorſus idoneus, ſaltem non omnino ineptus reperiatur.

XXI.

XXI. Nec vero mea hæc diſcipulos erudiendi ratio eventu caruit ſuo. Quo loco ſilentio non prætermittam, quod mihi haud ita pridem accidit, cum gregarium militem, & meum aliquot ante annos in Rhetorica auditorem obvium forte habuerim, qui cum me peramanter ſalutaſſet; Magnam, inquit, habeo tibi gratiam ejus diligentiæ, quam in me tuis Rhetoricis præceptionibus inſtituendo adhibuiſti. Ego vero hac ſubita interpellatione occupatus, cum aliquantiſper hæſiſſem, quaſi in gregario milite ſi non male, ſaltem parum decore meam operam collocaſſem, idque ipſe animadvertiſſet; Bono animo ſis, addidit, neque tu male operam collocaſti tuam, neque me pœnitet operam apud te poſuiſſe meam. Scito enim ob illum ipſum qualemcumque, quem ratione docendi tua profectum in Rhetorica feci, me inter ejuſdem militiæ ſocios quam maxime unum excellere; Mihi honeſtiora munia demandantur; ſi quid a militibus ad duces, ſi quid a ducibus ad milites renunciandum, ſi quid perſcribendum, mihi uni committitur; itaque ſpero fore brevi, ut ad altiorem gradum in militia aſcendam, nec ita multo poſt, meo in ordine, ad ſummum evadam. Uſque adeo ſi recte opera collocatur & bene labor impenditur, neque hic incaſſnm recidit, neque illa non magnos atque uberes fructus parit.

XXII. His ego, quæ hactenus expoſui præcipue intentus nolite exſpectare, dum curas meas alio de-

detorqueam, & diligentiam veſtram in plura ſtudia diſtrahi ſinam, quibus excolendis, ſi vita ſuppeditabit, & quod amplectemini vitæ genus patietur, ſuum erit tempus, & idonea præbebitur opportunitas. Non me latet hoc præſertim tempore ſtudio Antiquitatis teneri quam maxime adoleſcentes. Sed hæc ſtudia, mihi credite, neque omnis ætatis, neque omnis ingenii, neque hujus noſtræ præcipua ſunt inſtitutionis. Hæc ſtudia pro certo habetote ſubtiliſſima eſſe, eorumque cognitionem multo difficiliorem, quam ut vos intelligere, aut ſuſpicari poſſitis. Non enim decantata aliquot Cæſarum nomina habere ſufficit, nec ea poſſe joculariorum more in digitis diſtribuere, ut ſibi quis Antiquarii dignitatem ſtatim vindicet, ac nomen uſurpet. Summa ad Antiquitatem perveſtigandam linguarum Grecæ & Latinæ cognitio requiritur; Hiſtoricorum omnium veterum lectio & pertractatio neceſſaria eſt; Hiſtorici ipſi examinandi, expendendi, & non raro corrigendi ſunt. Ad hæc accedat oportet memoria tenax, quæ lecta cuſtodiat; emunctæ nares, quæ ſagaciter, quidquid Antiquitatem olet, odorentur, vis prope illa venaticorum canum acuta, quæ veſtigia feræ non dicam impreſſa, ſed vix adumbrata perſequatur. Ingenio denique acerrimo opus eſt, & ſubacto longo uſu atque exercitatione judicio. Multa ante, quam quidquam de quaque re ſtatuatur, componenda ſunt inter ſe, in utramque partem diu

diu multumque expendenda, & tum demum hæſitantanter ferenda ſententia, interponendumque judicium. Quare, opinor, videtis, ſtudium Antiquitatis non omnium congruere ingenio, ut præcipuas ſibi magiſtri curas vindicare debeat. Hoc vero non impedit, quæ hujuſmodi notitiæ ad auctorum, quos interpretabor, intelligentiam neceſſariæ erunt, quominus vobis a me ſuppeditentur. His contenti eſſe debetis, & in eo præſertim vos mihi formandos fingendoſque præbere, in quo & meæ ſumma vertitur inſtitutionis, & veſter potiſſimum profectus continetur.

XXIII. Expoſui vobis, Adoleſcentes Optimi, rationem docendi meam. Atque hanc ego quidem teſtificationem jam inde uſque ab eo tempore, quo mihi inſtituendorum in litteris Adoleſcentium munus demandatum fuit, me debere publico ſum arbitratus; ut & omnibus de mea in diſcipulis erudiendis diligentia plane conſtaret, & vos de meo in unumquemque veſtrum ſtudio certi eſſe poſſetis. Quare hanc mihi lætor oblatam eſſe opportunitatem id ipſum enunciandi, quod tandem aliquando aperte declarandum erat atque expromendum. Qui bene agit publicum judicium non reformidat, & qui recta conſcientia ducitur, nihil optat magis, quam ut ſua conſilia omnibus pateant, & luce palam evulgentur. Certe diſcipulos ego meos ita fidei meæ commiſſos ſemper exiſtimavi, ita recepi, ut plane intelligerem mihi

de eorundem inſtitutione non Deo ſolum, ſed hominibus etiam rationem eſſe reddendam. Reliquum nunc eſt, ut inſtitutum hoc docendi meum, quod alii, quos habui diſcipulos, & qui de me a vobis interrogati pro me reſpondere poterunt, ſalutare experti ſunt, ſalutare vos etiam experiamini.

XXIV. Dixi hactenus de me, reſtat modo, ut aliquid breviter ſubtexam de vobis; hoc eſt ea, quæ veſtro præſtare magiſtro vos deceat, exponam. Hic vero, quid cenſetis me a vobis in primis requiſitutum? Non aliud ſane; *Niſi ſtudium*, (de Orat. lib. I. num. XXX.) *& ardorem quendam amoris; ſine quo cum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod nos expetimus, nemo unquam aſſequetur*. Nam quid illis diſcipulis facias? quem ab iis profectum ſperes? quos ita animo erga liberalia ſtudia affectos videas, ut ad gymnaſium tanquam ad priſtinum aliquod attrahendi, aut ad triremem aliquam adigendi ſint. Si qui ſunt hujuſmodi hoc in numero diſcipuli, eos ego non retineo, non amplector; abeant per me licet, patet janua, proficiſcantur. Nam, præterquamquod nullus ſperari in litteris ab eis profectus poteſt, omnem gymnaſii pervertunt diſciplinam, & maximo aliis ne proficiant impedimento ſunt; non privata ſolum, ſed, meo judicio, publica etiam animadverſione coercendi. *Studium* igitur in primis & *ardorem amoris* mihi afferte; quam etiam in ſententiam Socra-

cratem illum ſolitum ajunt dicere (de Orat. lib. 1. num. XLVII.) *Perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis ſatis eſſet concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendæ percipiendæque virtutis; quibus enim id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe quam bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam*. Uſque adeo in ſtudio atque ardore cognoſcendæ percipiendæque doctrinæ ſumma tum rectæ inſtitutionis, tum omnis profectus continetur.

XXV. Hunc ardorem excipiat docilitas quædam oportet, quæ vos magiſtro veſtro morigeros, faciles & conſentientes reddat. Doctor a docendo dicitur, unde vocabulum docilitatis emergit, quæ virtus maxime commendat adoleſcentes. Si de me bonam aliquam opinionem imbibiſtis, ſi me diligere vos, mihique profectum veſtrum cum in pietate, tum in litteris maxime cordi eſſe perſuaſum habetis, non eſt, cur mihi parere in omnibus, quæ ad veſtram inſtitutionem pertinent, recuſetis. Volo igitur vos attentas mihi præbere aures ſic, ut eas nulla mea dicta prætervolent. Novi ego ingenium veſtrum, & experientia ſatis ipſa me docuit, ita diſcipulos partim natura, partim conſuetudine prava eſſe comparatos, ut docentem magiſtrum, & præcepta inculcantem ſua facile deſerant, alioque mente dilabantur; & quod gravius eſt, colloqui inter ſe, & conferre capita incipiant, non ſine maximo ſcholaſticæ diſciplinæ detri-

mento, quæ una ſi deſideretur, pro certo habetote omnia, quæ impendi veſtræ inſtitutioni a quolibet Doctore poterunt vel præſtantiſſimo ſapientiſſimoque peritura. Auditor ab audiendo dicitur; audire autem non condiſcipulos, a quibus nihil eſt, quod diſcatur, ſed bonus magiſtrum diſcipulus ſuum debet. Ferunt urſam catulos ſuos informes edere; editos autem lingua formare. Ut igitur urſæ lingua catulos fingit ſuos, ſic vos præceptoris veſtri fingere lingua debet. Patiatur unuſquiſque ſuo fungi Doctorem officio; ab eodem ſibi culturam adhiberi ne renuat. Sine cultura nihil efficitur; neque ullum ſolum adeo per ſe ferax eſt, quod, ſi ab agricola deſeratur, ſenticetum non evadat. Subigi ingenium, ut terra debet, novari, iterari debet. Subactio autem eſt, ut ait Cicero; *Auditio, Lectio, Litteræ*.

XXVI. Ne longius procedat oratio, omnia, quæ muneris veſtri ſunt, uno complectar vocabulo, quod ab ipſo Cicerone mutuabor. *Cum*, inquit, (de Orat. lib.II. num. XXXV.) *ad inveniendum in dicendo tria ſint; acumen, deinde ratio, quam licet, ſi volumus, appellemus artem, tertium diligentia; non poſſum equidem non ingenio primas concedere; ſed tamen ipſum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Diligentia, inquam, omnibus in rebus plurimum valet. Hæc præcipue colenda eſt nobis; hæc ſemper adhibenda; hæc nihil eſt, quod non aſſequatur*. Et ſane, ut me attente

tente audiatis, ut omnia mea dicta excipiatis, ut nullum vobis excidere verbum patiamini, *diligentia eſt*. Ut quæ audiſtis vobiſcum ipſi recolatis, ut memoriæ veſtræ, ne elabantur, penitus mandetis, *diligentia eſt*. Deinde ut vos lectioni totos dedatis, ſine qua nemo doctus, nemo eloquens poteſt evadere, *diligentia eſt*. Ut ſitis in ſcribendo aſſidui; ut curam & cogitationem in ea, quæ ſcribitis, intendatis, *diligentia eſt*. *Inter ingenium quidem & diligentiam perpaullum loci reliquum eſt arti; ars demonſtrat tantum, ubi quæras, atque ubi ſit illud, quod ſtudeas invenire; reliqua ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſſiduitate, labore, complectar uno verbo, quo ſæpe jam uſi ſumus, diligentia; qua una virtute omnes reliquæ virtutes continentur*. Hæc Cicero, qni uno *diligentiæ* vocabulo omnes officii veſtri partes complexus, quam mihi, ſi quid in bonarum artium ſtudio proficere vultis, exhibere operam debeatis, luculentiſſime declaravit.

XXVII. Poſtremo ut finem dicendi faciam quemadmodum ego, ut dixi, inſtitutionem, quam vobis adhibebo, non plura in ſtudia diducam, ſic vos, quam mihi præſtare debetis operam, nolim plura in ſtudia diſtrahere. Multum quidem legite, quandoquidem in lectione tantum, quantum oſtendimus, momenti ad omnem doctrinam reſidet, ſed non multa legite. Ciceronem præſertim atque Virgilium, ut am-

ambos, de quibus ſeparatim prioribus allocutionibus multa diximus, nunc in hujus exitu allocutionis, conjungamus, Ciceronem, inquam, atque Virgilium præſertim legite. Hos mihi

*Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

Imitemini Charontem illum Orci portitorem, qui, ut eſt apud Virgilium, (Æned. lib. VI. ver. CCCXV.) innumerabili eorum circumfuſus turba, qui Acherontem tranſmeare avebant,

*Nunc hos, nunc accipit illos;*
*Aſt alios longe ſubmotos arcet arena.*

Librorum, qui nunc nullo numero imprimuntur, turba prope innumerabilis vos etiam circumſiſtet, atque obſidebit; tendet quodammodo manus, ſeque legi enixius flagitabit; nova proferet, inaudita pollicebitur, ſpecioſos titulos, quibus vos ad legendum pelliciat, oſtentabit. Vos autem videte, etiam atque etiam rogo, ne magnificis pollicitationibus, ne ullis capiamini inſidiis; nolite præbere aures, precibus nolite flecti. Habetote delectum; *Nunc hos, nunc illos*, ſed præcipue *Nunc hunc, nunc illum*, Ciceronem nimirum atque Virgilium in manus ſumite; hos legite, in hos ingenii aciem intendite; ab his oculos ne dimovete, & reliquam importunam librorum turbam longe a vobis ſtudiiſque veſtris ſubmovete. Erit tempus, quo illi legantur; nunc quod inſtat agendum, & ſerio agendum eſt.

DE

DE ITALORUM

# IN LITTERIS PRINCIPATU

AD FLORENTINOS

## ORATIO I.

NEſcio qua perverſitate opinionis factum eſſe dicam, Florentini, ut hac præſertim ætate in Italia mos invaluerit, & invaleſcat quotidie magis, quem bene multi noſtrorum hominem ſecuti omnia prope domeſtica ſuperbe faſtidiunt, atque externa tantummodo avide nimis ac ſtudioſe conſectantur. Quotus enim quiſque nunc eſt, qui inſolentis hujus rerum domeſticarum faſtidii morbo non laboret, qui externa non prædicet, externa non miretur. Atque hic quidem morbus in dies ſenſim gliſcens ac ſerpens multorum jam animos ita corripuit, judiciumque pervertit, ut non ineptire ſolum, ſed propemodum inſanire videantur. Hoc in lanificiis paſ-



Digitized by Google

ſim animadvertere licet, hoc in ſericis cujuſquemodi operibus hoc in omnibus denique artificiis, in quibus una fere peregrinitas nunc placet, una probatur, una quovis pretio emitur. Magnum quiddam a quibuſdam nunc exiſtimatur poſſe ſe in barbaricis, ut ita dicam, opibus oſtentare. Itaque non ſine ſtomacho videas iſtos in cultu corporis atque ornatu ſe totos ad externorum hominum formam habitumque fingere, ut tum demum ſibi placeant, cum ſuos apud æquales jactare poſſint; Amictum, quo induti ſunt, annulum, quem in digitis habent, pulverem ad capitis levandam gravedinem, machinam ad dimetienda temporis intervalla, fictitias ad calvariæ integumentum comas, ipſos ſoccos & calceos, omnia denique ab imo ad ſummum habere ſe a longinquis advecta regionibus & comportata? Quid? quod his non contenti pene linguam dediſcunt patriam; neſcio quid exoticum, ſono quodam ac preſſu vocis, in loquendo affectant; nec vero incedere, ac propemodum movere pedem audent, niſi inceſſum ipſum ad palæſtritarum externorum præcepta inſtitutionemque moderentur. Ac ne iſta, quæ ſatis inepta ſunt, nimis ſtomachemur, eo uſque iſti progrediuntur, ut alieno malint veſci guſtu, quam patrio; itaque voluptarium maxime ſenſum externorum condimentorum lenociniis valetudini plerumque noxiis, ac ſæpe exitialibus accommodare non dubitant atque ſubjicere. Horum ego

ho-

hominum levitatem omni eſſe orationis gravitate redarguendam & acrius caſtigandam ſi dicam, nemo, opinor, mihi jure poterit ſuccenſere. Objectum quondam, cum Italica gravitas maxime Italis cordi eſſet, objectum inquam, & magno in crimine objectum fuit homini Italo, quod populi Romani externa in regione Prætor cum eſſet, abjecta toga, in publicum ſoleatus cum pallio purpureo tunicaque talari prodire non erubuerit. Illud quoque hoc ipſo genere, quod Græci Πρέπον, nos *Decorum* appellamus, & *cum in factis ſæpiſſime*, (Orat. num. XXII.) *tum in dictis valet, in vultu denique, & geſtu, & inceſſu*, illud, inquam, memorandum eſt, quod Socratem dixiſſe ferunt; Si oblati nimirum ſibi calcei fuiſſent Sycionii, iis, quamvis habiles ad pedem eſſent, ſe tamen omnino non uſurum; neque vero alia de cauſa, niſi quia *non eſſent viriles*. Verum aliud quiddam longe gravius ac pernicioſius, in quo utilius inſtituatur atque ſalubrius, ſpectat oratio mea, quam ut in hujuſmodi levitate caſtiganda immoretur. Etenim, quod in omnibus, & vel maximis etiam in rebus, quæ minimis fere exordiis prætexuntur; evenire ſolet, ab his initiis ſenſim gradus ad majora factus eſt, &, quo fortaſſe a principio nemo cogitaſſet, eo uſque, hoc eſt ad ipſa liberaliſſima ſtudia, nobiliſſimaſque diſciplinas progreſſum. Et ſane una prope nunc tranſalpina, aut tranſmarina eruditio in Italia probatur, noſtræ litteræ fere deſipiunt, noſtri ſcriptores paſſim

paſſim deſpuuntur; addiſcuntur certatim externæ linguæ; externornm hominum libri ſummo ſtudio conquiruntur, magno pretio comparantur, vulgo pervolutantur, quorum copia incredibilis pene totam occupavit Italiam. Non hæc a me fingi, neque perperam hoc loco commemorari, ut occaſionem de noſtris dicendi litteris captem, atque hinc ad oſtendendum Italorum in iiſdem principatum mihi aditum patefaciam, non hæc inquam a me fingi quenquam arbitror exiſtimare, niſi forte ſit hic propria in patria hoſpes ac peregrinus, aut ea non videat, quæ omnium propoſita oculis aperta ſunt ac manifeſta. Jam vero qui patriæ caritate ducatur, qui communem exiſtimationem diligat, qui traditam a majoribus in litteris dignitatem tueri velit, is profecto in re ſummi graviſſimique momenti remiſſus eſſe non poterit ac diſſolutus. Ego ſane palam atque aperte profiteor; Me non ita communem erga patriam eſſe affectum, ut hæc homo Italus & domeſticorum ornamentorum in primis amans præterire omnino poſſim ac diſſimulare. Date igitur mihi hanc veniam, Florentini, ut quod hac de re ſentio, paullo liberius expromam, & vobiſcum, quos a me hac ipſa non arbitror in re diſentire, communicem. Neque vero hic ego vos, recepto apud Oratores more, rogabo atque obteſtator, ut me attente ac benevole audiatis. Res enim, de qua acturi ſumus, ſatis ipſa per ſe audientiam mihi

ve.

veſtram, benevolentiamque conciliat. Agitur, ut videtis, ipſarum bonarum artium incolumitas, quæ ſi Italis deſtituantur cultoribus, ſummum in diſcrimen adducuntur; agitur Italici nominis ſplendor, qui ſenſim imminuitur atque obſcuratur; agitur denique hujus ipſius urbis dignitas, in qua nunc primum dico, & veſtra ipſa, apud quod dico, exiſtimatio, quam cum magnam in omnibus rebus, tum præſertim in omni doctrinæ genere ſummam vobis majores veſtri reliquerunt; quæ quidem omnia uti me ad accuratius dicendum, ita vos ad audiendum attentius erigere debent atque excitare.

II. Dixi ab infimis ac vulgaribus opificiis, inſolenti rerum domeſticarum faſtidio, ad liberales paullatim artes nobiliſſimaſque diſciplinas fuiſſe progreſſum; ut quemadmodum externa opificia prope jam ſola nunc in Italia probantur, ita una fere hoc tempore adventitia ab Italis doctrina, tanquam peregrina aliqua merces, maxime expetatur. Ac primum illud quidem, quod ad opificia ſpectat, noſtris aliquo eſſe modo hominibus fortaſſe ignoſcendum poſſim concedere. Quanquam, ſi hoc ipſum recte perpenditur, Italiæ rationibus valde incommodum invenitur, ex qua tanta quotidie pecuniæ vis exportatur, & in externas regiones importatur, quo fit, ut exteri noſtris impenſis locupletentur, noſtri vero ad majorem in dies inopiam redigantur. Sed tamen primum il-

lud,

lud, quemadmodum dixi, noſtris aliquo modo hominibus ignoſcendum poſſim concedere; alterum vero, quod ad liberales attinet diſciplinas, in quo non opes nec fortunæ aguntur, quibus facile pati poſſumus ab aliis nationibus vinci ac ſuperari, ſed communis agitur dignitas atque exiſtimatio, contendo nullo eſſe modo iiſdem condonandum. Res enim hæc, quæ negligi prima ſpecie videtur poſſe, non ſolum non eſt negligenda, verum etiam omni, qua fieri ratione poteſt, antevertenda, atque omnino providendum, ne ſuccreſcat in dies magis, ac latius ad commune Italiæ noſtræ dedecus propagetur. Eo enim meo judicio pertinet, noſtrarum ut litterarum, quæ tantum nobis ornamenti contulerunt, dignitate ſenſim abjecta, litteræ ipſæ apud nos aut omnino concidant, aut certe non amplius a noſtris hominibus impenſe, ut olim, ac vehementer excolantur.

III. Ne vero hoc aut minus credibile, aut nimis a me exàggeratum exiſtimetis, quæſo pauliſper animum cogitationemque veſtram ad eam, qua litteræ tum apud nos, tum apud exteras gentes, quas aliqua doctrinæ opinione floruiſſe accepimus, ſuccreverunt, rationem convertite, tum facilius colligetis, ob eandem ipſam e contrario rationem (contrariorum enim contraria ſunt conſequentia) litteras imminui ſenſim debere, ac demum, niſi opportune ac tempeſtive provideatur, omnino aboleri. Quibus enim

quæ-

quæque res, in lucem edita nutrimentis alitur atque augetur, iiſdem etiam conſervatur; quæ ſi deficiant, ipſam quoque deficere rem, atque omnino intercidere neceſſe eſt. Hoc in ipſa natura vulgo obſervari poteſt, quæ in tanta, quas gignit, varietate rerum, ſuum quibuſque congruens alimentum, quo ſuſtententur, nunquam non provida ſubminiſtrat, quod ſi caſu aliquo intercipiatur, eaſdem continuo videmus extingui, ac prorſus interire. Quam enim neceſſarium, ſi adſit, aliquid eſt, tam exitiale, ſi deſideretur, eſſe ſolet. Porro hoc idem licet in ipſis quoque litteris animadvertere, quæ quibus principiis exortæ ſunt, iiſdem vigeant oportet; & unde primum incrementa ceperunt, inde perennitatem etiam ac perpetuitatem repetere neceſſario debent.

IV. Multum quidem in artibus liberalibus ſive inveniendis, ſive conſervandis, ſive etiam ad ſummam amplitudinem provehendis hominum ingenium valuit, ſine quo, & eo quidem acerrimo, nihil effici laude dignum cum nulla in re, tum noſtris præſertim in ſtudiis poteſt. Multum etiam ad hoc ipſum ingenioſiſſimorum hominum induſtria, multum contentio animi, multum labor contulit; ſed ingenium ipſum vel acerrimum quibuſdam indiguiſſe arbitror adjumentis, ſive potius incitamentis, ſine quibus nec ingenium quidquam valuiſſet, nec homines induſtriam adhibere, nec contendere animum, nec tantum, quantum tan-

ta

ta res neceſſario requirebat, fere laborem voluiſſent. Ego vero in ſumma hujuſmodi ſive adjumentorum, ſive incitamentorum copia, quibus tanta perfici res neceſſario debuit, vel principem cenſeo obtinere locum, vel certe inter præcipua numerandum eſſe domeſticorum ac popularium ſtudium. Hoc tanquam acri quodam admoto ſtimulo animus hominibus additus, hoc fortes ad ardua quæque alacrius ſuſcipienda incitati, hoc ingenioſi ad liberales vehementius artes excolendas provehendaſque compulſi.

V. Et ſane ſi liberalium artium originem repetere ultimam, & earundem incrementa conſiderare voluerimus, reperiemus non alia fere ratione, niſi hac ipſa, quam ego dico, & primum inventas, & deinde auctas, & tum demum ad ſummam fuiſſe dignitatem amplitudinemque provectas. Atque ut de Græcis tantum ac Latinis loquar, quos plane conſtat in omni doctrinæ genere ſupra reliquas nationes tenuiſſe principatum, dici non poteſt, quantum litteratis hominibus faverint, quo ſtudio, qua benevolentia eos complexi, quibus fuerint laudibus proſecuti. Neque vero ſolum cum apud utramque gentem magnos jam litteræ progreſſus effecerant, & earum lux longe lateque diffuſa omnium oculos perſtringebat; ſed in ipſis etiam exordiis, cum adhuc obſcuræ erant, & iis ille nondum, quo poſtea mirum in modum illuſtratæ ſunt, dignitatis ſplendor acceſſerat.

Ete-

Etenim, cum nihil ſimul & inventum & perfectum ſit, tametſi litteræ a tenuiſſimis, ut cæteræ res, exortæ principiis ſeſe paullatim erexerint; illa tamen principia, quamvis tenuiſſima forent, contemni nequaquam debuerant, quippe quæ incredibiles erant proceſſus, & incrementa maxima habitura. In iis enim aliquod veluti ſemen reſidere putandum erat, quod tametſi exiguum & minimum, ac prima ſpecie contemnendum, tamen ſi popularium favor, & domeſticorum ſtudium tanquam cultura aliqua atque irrigatio acceſſiſſet, dubitari non poterat, quin magnos eſſet atque uberrimos fructus ſuo tempore pariturum.

VI. Atque ut de artibus, quæ mei inſtituti ſunt, potiſſimum loquar, an putatis Oratores ante Demoſthenem, & Ciceronem ea fuiſſe eloquentia, quam poſtea in altero Athenæ, in altero Roma ſuſpexit? Minime ſane. Veteres Oratores in priſca illa Latinæ eloquentiæ quaſi infantia quantum poterant, tantum & ingenio, & voce, & actione contendebant; non aſſequebantur tamen, ut ſtrigoſi non eſſent, exſucci, exangues, ſine nervis, ſine lacertis, nullo cultu, nulla venuſtate, nulla elegantia, nulla eloquentia, indiſerti omnino ac propemodum elingues. Verum in tanta eloquentiæ inopia tantum abfuit, ut a popularibus ſuis infantiſſimi homines contemnerentur, ut etiam ſumma cum approbatione audirentur, & ſummis laudibus efferrentur. Hinc effectum eſt, ut progrediente tempore animum ſu-

ſumerent, atque una cum animo & ſuccum, & ſanguinem, & vires, & nervos, & lacertos acquirerent. Paullatim formata vox; ſenſim & actio crevit & oratio; voci firmitas, venuſtas actioni, gravitas & copia acceſſit orationi, & illa demum extitit eloquentia, quam ad ſummam abſolutionem Demoſthenes & Cicero perfectionemque adduxerunt.

VII. Quod in eloquentia animadvertimus, hoc ſimiliter poſſumus obſervare in Poeſi. Poetæ, qui ante Homerum & Virgilium ſcripſerunt, tales erant, quales eſſe neceſſario, ut inquit Ennius, debebant;

*Cum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,*
*Nec dicti ſtudioſus erat,*

agreſtes nimirum, abſoni, abſurdi, neſcio quid pingue, horridum, atque inconditum ſonantes. Hoc tamen non oberat, quominus ſummo apud populares ſuos in pretio haberentur, ſuſpicerentur, commendarentur. Eorum carmina canebantur apud Græcos, ut ab Homero colligitur, in Phæacum, & in Procorum ſolemnioribus epulis; & apud Latinos in epulis item a ſingulis convivis cantitabantur, ut ſcriptum reliquit in Originibus Cato. His laudibus alta ac provecta tum in Græcia, tum in Latio Poeſis fuit. Hoc modo paullatim ſe poeticus ſtylus perfecit ac perpolivit, donec & in Græcia Homerus & in Italia Virgilius exorti ſunt, qui Poeſim ita procuderunt ac limarunt, nihil ut hoc in ſcribendi genere neque perfectius neque

que politius non dicam inveniri, ſed ne excogitari quidem poſſit.

VIII. Nimirum ita eſt, uti dico; & ratio, & exempla confirmant; nihil bonis artibus ac diſciplinis popularium favore atque aſſenſu exſtitiſſe ſalutarius, contra vero nihil iiſdem domeſtica eſſe poſſe vituperatione infeſtius atque exitialius. Fingite enim primos illos ſive Oratores, ſive Poetas, ſive alii cujuſvis doctrinæ generi addictos viros a domeſticis fuiſſe ſuis ac popularibus deſpectos, tunc profecto fuiſſet etiam de artium ipſarum incremento atque abſolutione deſperandum. Nemo voluiſſet iis artibus operam dare, quas paſſim una cum cultoribus ſuis contemni animadvertiſſet; nemo in iis proprium periclitari ingenium, in quibus ſibi famæ jactura eſſet ſubeunda. Viderunt hoc in primis Romani ſummo, quo erant præter cæteras gentes mentis acumine præditi, & hoc ipſum ne accideret, omni ſtudio diligentiaque providerunt. Non enim aliam ego ob cauſam volumen illud de Originibus ſuum ſcripſiſſe Catonem puto, niſi ut clarorum virorum, qui in Romana Republica præ cæteris floruerunt, memoriam renovaret ac proderet, &, propoſitis illuſtribus tot illuſtrium majorum exemplis, minores ad omnem laudem ac decus novo incitamento provocaret. Cicero vero patriæ in paucis amantiſſimus, quantum domeſticorum ſuorum præconiis indulſit! Documento eſt opus illud, quod *Brutus* inſcribitur, quo in opere Latinos

omnes Oratores, qui ante ſe exſtiterunt, non ſine prædicatione recenſuit, *Multumque*, ut ejus verbis utar, (Orat. num. VII.) *tribuit Latinis, vel ut hortaretur alios, vel quod amaret ſuos*. Idem acriter reprehendit Ennium, (de Clar. Orat. num. XVIII.) qui de ſe nimis glorioſe ſentiens illos ipſos, quos ſupra attulimus, verſus ſcripſerat, quaſi omnium princeps *Muſarum ſcopulos ſuperaſſet*, nec ante ſe ulli exſtitiſſent, qui in verborum ac *dictorum* ſtudio elaboraſſent. Longius etiam patria provehi ſe caritate ſivit Orator ille longe diſertiſſimus apud eundem Ciceronem (de Orat. lib. I. num. XXX.), qui magna Forum Romanum dignitate cum teneret, hoc probabiliorem Romano Populo orationem ſuam fore judicavit, ſi nullam externæ eruditionis ſignificationem daret, & Græcos ſcriptores ne noſſe quidem exiſtimaretur.

IX. Hoc ſe modo geſſere Romani, (nam Græci fortaſſe nimium patriæ ſtudio progreſſi ſunt) qui cum ingenio & prudentia cæteris gentibus longe præſtiterint, ab illis potiſſimum omnibus in rebus, & præcipue in iis, quæ ad bonarum artium incrementa pertinent, peti a nobis exempla debent. Hac illi, quam ego dico, ratione ad ſummam cum in armis gloriam, tum in litteris famam pervenerunt, quorum præclara nos inſtituta ſecuti, ſi minus in armis, quam amiſimus gloriam, recuperemus, ſaltem, quam a majoribus tranſmiſſam accepimus, in litteris famam retineamus.

Ni-

Nimirum multi multa *poſſunt*, ut optimus Poeta ſcriptum reliquit, *quia poſſe videntur*. Hoc autem *poſſe* & hominum opinio, & ſingularis exiſtimatio, & domeſticæ præſertim laudes vel ſegnioribus infirmioribuſque ſufficiunt. Nam quid facias? quid magnum atque amplum cogites? quid præſtans? quid illuſtre aggrediaris? cum te contemni a tuis ſentias, cum nullo in loco haberi videas, cum populares ipſos tuos externa ſolum quærere, laudare, mirari; domeſtica vero negligere, deſpuere, repudiare animadvertas. Hac de cauſa ſi qui ſunt ingenii igniculi extinguantur neceſſe eſt, induſtriæ nervi incidantur, & bona bonarum rerum omnium ſemina ſuffocentur. Neque vero litteræ ipſæ domeſtica veritæ ludibria atque convicia publico ſe credere audebunt; latebras quærent, conſpectum hominum, lucemque refugient. Afflictæ hoc modo litteræ atque abjectæ cultores etiam ſuos in eandem calamitatem neceſſario trahent, a quibus non erit exſpectandum dum litteratis hominibus exiſtimationem concilient, cum retinere ac tueri non poſſint ſuam. Quare vident, opinor, iſti externæ doctrinæ præcones magniloqui, quo eorum præconia tendant, quo ſpectent, & quo tandem aliquando ſint evaſura.

X. Atque hunc ego quidem perverſum iſtorum externa tantummodo magnificandi morem cum ſemper magnopere deteſtandum duxerim, quod bonis arti-

bus ac diſciplinis maxime infeſtus omnium maximo ſpoliare nos tendit ornamento ; tum etiam tanto deteſtabiliorem nunquam non putavi , quanto majori in omni genere doctrinarum & artium apud omnes gentes gloria atque exiſtimatione floruimus . Probroſum eſt , cum tenuem cenſum a majoribus acceperis , illum augere , aut ſaltem tueri non poſſe ; at multo certe probroſius , opulentiſſimum cum nactus ſis patrimonium , illud non ſolum non conſervare atque amplificare , ſed per ſummam luxuriam intemperantiamque profundere . Anguſta ſit noſtra doctrinæ ſuppellex , ſit curta , ſit exigua ; eane continuo erit aperte ac paſſim evulganda ? immo vero diſſimulanda potius , nec certe impudentius inverecundiuſque præſeferenda ? Quid ? tenuis cenſus eſt ? augeatur ; inopia premeris ? ab ea coneris emergere , & ad opes , quantum conniti induſtria potes , evadere . Quare etſi doctorum hominum exiguus numerus eſſet , & mira paucitas , ſiquid tamen ii efficerent , quod laude dignum judicaretur , ea certe non eſſet iis deneganda , immo vero laudi ac prædicationi indulgendum etiam magis . Hoc pacto , meo quidem judicio , aluntur artes , hoc fovetur induſtria , hoc ingenia acuuntur , & inſitum omnibus hominibus ſciendi diſcendique ſtudium propoſita laude commovetur atque excitatur . Illud vero , familiare quod iſtis eſt , externam magnificentius efferendi doctrinam ,

quam

quam rationem habere dicam? Non aliam ſane, niſi ut qualiſcumque doctrinæ noſtræ cenſus extenuetur, inopia noſtra inſtituta cum externis opibus contentione magis exſtet, & ad commune probrum inſignius emineat.

XI. Atqui noſter hic qualiſcumque doctrinæ cenſus, qui nobis a majoribus noſtris obtigit, quidquid iſti vel domeſticarum ignoratione laudum, vel nimia externorum hominum opinione contra ſentiant, non ita profecto tenuis eſt, ut ab iſtis jure contemni debeat. Non inopes adeo ſumus, non tanta ſapientum virorum penuria laboramus, ut cum aliis conferri nationibus nullo modo poſſimus. Aliquid & nos Itali in liberalibus diſciplinis extudimus, opes ipſi noſtras hoc in genere jactare poſſumus, & non ad contentionem ſolum, ſed ad exterarum etiam nationum prope dixerim invidiam oſtentare. Magnum Italiæ nomen apud omnes gentes ſemper fuit, magna Italorum dignitas, magnus ſplendor, magna auctoritas, magna amplitudo. Floruit, ſi qua alia, Italica natio in omni genere diſciplinarum & artium, & ita floruit, ut reliquas nationes facile vicerit & optimorum ingeniorum præſtantia, & ſapientiſſimorum virorum copia, & multiplici ac prope incredibili varietate doctrinarum. Ecqua enim ars ab Italis exculta unquam fuit, in qua non excelluerint? ecquid aggreſſi, quod non perfecerint? ecquid conati, quod non fue-

 rint

rint aſſecuti? Mediocritatem ſemper noſtra natio amplitudini & gloriæ nata contempſit, & nunquam ſibi non contendendum ad ſummum in omni genere laudis, enitendumque putavit. Neque vero vani conatus, neque inanes niſus fuerunt; quo contendit, eo non pervenit ſolum, ſed etiam incredibili quadam & celeritate & felicitate pervenit.

XII. Ac jam in domeſticorum ornamentorum commemorationem ingreſſus, tanto fidentius incœptum proſequar, quanto uberius atque illuſtrius mihi proponitur argumentum, in quo minime neceſſe habeo res per ſe ſplendidas atque ſpectatas non dicam ſupra veritatem exaggerando efferre, ſed ne ornando quidem expoliendoque amplificare. Dicam id, quod omnes litteræ docent, quod non domeſtica ſolum, ſed externa etiam monumenta loquuntur, quod omnium linguis atque præconiis celebratur, quod fama longe lateque diffuſum eſt, & toto terrarum orbe ad ſempiternam Italici nominis gloriam propagatum. Audiant iſti, & erubeſcant, qui contra atque patriæ caritas fert, de ea non videntur ſatis pie ſentire, quam revereri deberent, vel quia patria eſt omnium noſtrum parens, vel quia prope divina quadam ingenii præſtantia fuit in tantis ſapientiæ opibus comparandis. Audite vos, Florentini, ad quos potiſſimum mea hæc inſtituta oratio eſt, & ex domeſticarum commemoratione laudum eam capite animo voluptatem, quam in eos redundare

dare neceſſe eſt, qui patriæ amantes patria caritate ducuntur. Audiant, ſi fieri poteſt, Itali omnes, atque una mecum communia decora, quibus ſupra reliquas gentes facile extollimur, recognoſcant. Quanquam, ante præmoneo, ea, quæ dicam, nolim perinde quiſquam interpretetur, quaſi a me ad vanam oſtentationem, non ad communem utilitatem referantur. Longe hoc abſit a me, longe ab oratione mea, longe ab omnibus tale quiddam de me ſuſpicari. Itaque ea, quæ dicam, ſic ab omnibus accipi volo, non ut ſibi, quod multo odioſiſſimum eſſet, exteros ſuperbius deſpiciendos exiſtiment; ſed ut, quod æquiſſimum eſt, ſtimulos tantummodo ſibi additos intelligant, quibus ad avitam gloriam, ſi amiſimus, recuperandam, ſi retinemus, conſervandam, ſi poſſumus, augendam etiam & cumulandam excitentur.

XIII. Ac primum in argumento, in quo non tam mihi copia, quam modus quærendus eſt, nolite a me poſtulare, Florentini, ut, vobis gratificandi cauſa, omnium diſciplinarum & artium ab Etruria veſtra primordia repetam. Per mihi facile eſſet, ſi vellem, & ſi per tempus liceret, oſtendere, hic, ante illas ipſas doctrinarum omnium inventrices Athenas, hic inquam primum litteras natas, hic enutritas, atque hinc in exteras diffuſas fuiſſe gentes ac propagatas. Hoc docent vetuſtiſſimi illi caracteres veſtri, quorum utinam intelligentiam aſſequi poſſemus, tum plane

conſtaret his omnem eſſe notis deſcriptam conſignatamque ſapientiam. Verum non obſcuris illis quidem, ſed perſpicuis notis de Etruſcorum ſapientia & Diodorus & Livius luculentiſſima nobis teſtimonia reliquerunt. Quorum alter (Hiſt. lib. VIII. cap. I. & II.) de Etruſcis loquens, *Litteris*, inquit, *& in primis naturæ, ac rerum divinarum perſcrutationi plurimum ſtudii impenderunt*. Alter vero, (Dec. I. lib. 9.) *Auctores*, ait, *habeo Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita tunc Etruſcis litteris erudiri ſolitos*. Sed in vetuſtiſſimarum rerum eruenda memoria feſtinanti ad recentiora immorari non licet.

XIV. Itaque eandem ob cauſam nolite exſpectare a me, dum illorum ſæculorum mentionem faciam, quibus amplitudo Italici imperii toto terrarum orbe diffuſi certabat cum dignitate & copia litterarum. Quare totam illam auream Auguſti ætatem exteris nationibus condonabo, qua ætate tot ſapientiſſimi & celeberrimi viri floruerunt, qui quidem ortu, legibus, jure, inſtitutis Itali ulla ſine controverſia ſunt. Nulla enim contentio tunc eſſe nobis potuit cum exteris nationibus, quandoquidem illis nondum litterarum lux affulſerat, eiſque humanitatem & cultum victoriis Itali ipſi ſuis atque triumphis importarunt. Quare non ego eas ad illa ingenia quaſi divina provocabo, quibus effectum eſt, ut non ſolum terra marique omnibus gentibus imperaremus, ſed etiam in litteris ac bonis

bonis artibus ubique gentium atque terrarum dominaremur. Condonata exteris nationibus Auguſti ætate, perfacilis eſt conſequentium etiam condonatio ſæculorum, quæ tametſi eruditos ſingula viros extulerunt, cum illa tamen in doctrinæ contentionem venire nullo modo poſſunt. Barbara vero, quæ ſic vocitantur, ſæcula ſe hic a me, ut arbitror, ne commemorari quidem ipſa volent. Quanquam ea quidem ſi doctis hominibus non abundarunt, certe omnino non caruerunt, qui litterarum dignitatem vulgo abjectam atque deſpectam non in Italia ſolum, ſed etiam in Europa univerſa, quantum iniquitas temporum ferebat, utcumque tutati ſunt. His igitur tot tantiſque ornamentorum inſignibus exteris gentibus condonatis, & de infinita rerum dicendarum ſylva circumciſis, eam circumſcriptionem mihi adhibebo, ut in ea ſolum ætate, qua, exacta barbarie, liberales iterum cœperunt coli artes ac florere, conſiſtam.

XV. Atque hic ſtatim ea mihi ſe ſe longe honorificentiſſima laus offert, quæ Italis omnium gentium conſenſu ſententiaque defertur, quod litteras ac bonas artes omnium principes reſtituerunt; ut hac potiſſimum de cauſa in litteris atque artibus jure illis ac merito tribuendus ſit principatus. Primi, primi inquam, Itali ad bene de litteris ſperandum veluti ſignum aliquod ſuſtulerunt; primi ignorantiæ tenebras diſſiparunt; primi Europæ toti ſapientiæ lumen obtulerunt.

runt. Atque hæc quidem meo judicio talis ac tanta laus eſt, ut cæteræ laudes, quibus abundat Italia, quantumvis amplæ atque ſummæ, hac una propemodum obruantur. Magnum ſcilicet quiddam eſt, ſingulare, præcellens, eximium, atque haud ſcio an quidquam vel ad famam illuſtrius, vel ad prædicationem magnificentius expeti poſſit, quam aliquid, quod ad commune decus & commodum referatur, aut primum invenire, aut, ſi jam inventum caſu aliquo interciderit, reparare. Neque vero ſiquid ſtatim, atque inventum, non ſit ad abſolutionem adductum, neque ſiquid reparatum, non continuo ſit omnino reſtitutum, obeſſe debet, quominus ſumma laus pulcherrimarum maximarumque rerum ſive inventoribus, ſive reſtitutoribus jure meritoque debeatur. Hoc eo ſpectat, ut ſi aliquid iis, quos commemorabo, ſcriptoribus ad excellentiam fortaſſe deſit, non idcirco minus de litteris ac patrio nomine meriti exſtimentur.

XVI. Ac jam, quod poſuimus, ut a nobis doceatur; Revocatis tanquam poſtliminio ab illo inſigni cive veſtro Franciſco Petrarca litteris ac bonis artibus, dici non poteſt, quanto ſtudio, quanta voluptate & voluntate, quanta aſſenſione reduces ab Italis primum exceptæ ſint. Reſeratis ab eodem immortali viro bibliothecis, jamdiu barbarorum injuria atque iniquitate temporum occluſis, & propoſitis ad legendum, & imitandum veterum ſcriptorum & Græcis

&

& Latinis exemplaribus, quis tum ex noſtris hominibus fuit tam ſegnis & vecors? quis tam ingenio deſtitutus, tam bonis artibus inimicus, qui eorundem & legendorum & imitandorum incredibili cupiditate non exarſerit? Oſtenſis omnium doctrinarum uberrimis fontibus nemo ad illos non celerrime properavit, nemo non acceſſit, nemo inde non hauſit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum eum collecta ex longo haurire ſitis compulit atque adegit. In tanto porro diſcendi ardore, in tanta ac tam vehementi & ingeniorum æmulatione, & contentione animorum, quot viri! Deus immortalis! quanto ingenio, quanta facultate, quanta ſcientia, quanta varietate doctrinarum & artium in Italia præſertim noſtra ſubito extiterunt. O Italiæ nomen! o lux! o ſplendor! o dignitas! quam tuæ parem amplitudini orationem, aut inveniri a me, aut a quoquam afferri putem poſſe? Obruor equidem rerum dicendarum copia, obruor magnitudine; & incredibili excellentium in unaquaque arte virorum multitudine undique circumfundor. Quare, ut aliquis ſit modus orationi, multa video eſſe iterum amputânda, multa circumcidenda, & rurſus aliam mihi neceſſario circumſcriptionem eſſe adhibendam. Hanc igitur adhibebo, & præcipuas tantum curſim raptimque prætervolans diſciplinas, uno alterove ex inſignioribus earundem cultoribus commemorato, reliquos prætermittam. Hoc ipſum ad ſingulare

re Italiæ decus pertinebit, tot abundare ornamentis, ut ea nemo poſſit non dicam ornare orando, ſed ne recenſere quidem numerando.

XVII. Atque ut a diſciplinarum omnium principe Theologia exordiar, quæ ſanctos Patres, in quibus eminent Ambroſius & Gregorius ille Magnus, magiſtros agnoſcit, in ea certe Itali ex omnibus gentibus uni maxime præſtiterunt. Hanc Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ natus, quam in finibus Italiæ Solinus & Capella conſtituunt, omnium princeps ad eam rationem exegit, qua nunc in ſcholis tradi ſolet, eandemque ad diſputationes concertationeſque traductam acuendis exercendiſque ingeniis mirum in modum accommodavit. Anſelmum conſecutus eſt Petrus ille cognomento *Lombardus*, qui tantam in Theologia auctoritatem obtinuit, ut inveterata jam a multis ſæculis honorificentiſſima appellatione *Sententiarum Magiſter* vocitetur. Petrum Lombardum excipiant duo illa hujus ipſius, de qua dico, diſciplinæ clariſſima lumina, Thomas & Bonaventura, qui non modo Pariſienſem, in qua Doctorum munere ſumma cum laude functi ſunt, ſed omnes omnium gentium Academias & ſapientiæ luce, & ſanctitatis ſplendore illuſtrarunt.

XVIII. De Thoma vero Aquinate nominatim quid ego dicam? aut a quoquam, qui in ejus operibus diu multumque verſatus ſit, dicendum exiſtimem?

Pa-

Paremne ei aliquem vel exſtitiſſe, vel exſtare unquam poſſe aut præſtantia ingenii, aut vi memoriæ, aut acumine definiendi, aut ſubtilitate inveſtigandi, aut brevitate differendi, aut explicandi res difficillimas extricandique ſive perſpicuitate, ſive felicitate, aut denique perſpicientia veri atque ſollertia, parem, inquam, aut aliquo modo cum illo comparandum? Illud mihi videtur vere de tanto viro affirmari poſſe; Neminem in tota Ethnica antiquitate reperiri, qui cum eo conferri ullo modo poſſit; ne excepto quidem doctiſſimo illo & acutiſſimo Ariſtotele, quem tota merito ſuſpexit antiquitas. Una illa a tanto ingenio certe divinitus elaborata, quam vocant, *Summa* omnium prope voluminum hoc in doctrinæ genere ſapientiſſimorum ſanctiſſimorumque virorum judicio inſtar eſt; & jure ac merito habetur, in qua quot *articuli* recenſentur, totidem prodigia numerantur. Quare non eſt, cur miremur ſi non communi hominis vocabulo appelletur, ſed aliud ei ejus ingenio, ſapientiæ, moribus, ſanctitati debitum *Angeli* nomen tributum ſit, quo tanquam proprio ac ſingulari nunc indicatur.

XIX. Neque vero minorem laudis aditum Italorum ingeniis patefecit altera illa Theologiæ pars, quæ in *Controverſiis* definiendis dijudicandiſque verſatur. Quo in genere laudis quem tandem Roberto Cardinali Bellarmino aut anteferendum, aut æquiparandum putabimus? Quis in hac cum acerrimis adverſariis conten-

ten-

tentione, & quaſi palæſtra pugil aut exercitatior, aut vehementior, aut pluribus illo palmis nobilior invenietur? Certe unum Bellarminum Etherodoxi ipſi maxime ſuſpexerunt, unum reveriti ſunt, unum formidarunt; uni non ſingulos oppugnatores, ſed totas oppugnatorum catervas oppoſuerunt, ut, ſi quo modo poſſent, fortiſſimum pugilem, nec eorum conatus pertimeſcentem ſi non virtute, numero ſaltem vincerent ac ſuperarent. Ille vero unus omnium aſſultus interritus excepit, unus ſuſtinuit, unus omnium conatus repulit, unus de omnibus triumphum reportavit. Theodorus Beza de admirando Bellarmini *Controverſiarum* opere loquens; *Unum hoc*, inquit, *opus nos omnes humi proturbat*. Itaque primum in Academia Cantabrigienſi, tum in Oxonienſi prælectiones, ad argumenta Bellarmini, ſi quo modo fieri poſſet, refellenda inſtitutæ ſunt. Quare jure optimo *Hæreticorum malleus* appellatus eſt, *ſui temporis Athanaſius*, *turris David*, *murus & antemurale domus Dei*. Clemens vero VIII., cum eum in purpuratorum Patrum collegium adlegit, hoc ampliſſimo ornavit elogio ( Biblioth. S. J. ) *Hunc eligimus, quia non habet parem Eccleſia Dei quoad doctrinam*.

XX. Jam in Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcribenda exſpecto dum externarum nationum aliquis in hujus tantæ contentionem laudis venire nobiſcum audeat. Atque hic mihi Baronius ille Soranus ſtatim ſeſe offert,

fert, qui, quem locum, hoc ſcriptionis in genere, & ad gloriam ampliſſimum, & utilitatis pleniſſimum vacuum invenit, omnium primus inſedit. Exhorreſco plane animo, Florentini, cum in Baronii ſcripta oculos mentemque conjicio, nec ſatis aſſequi cogitatione poſſum, quomodo tantum opus, quod omnes, ut ita dicam, vix homines conficere potuiſſent, ab uno fuerit homine ſuſceptum, continuatum, productum, & prope ad exitum uſque abſolutionemque perductum. Deus immortalis! Tantumne unius hominis valuiſſe virtutem, laborem, diligentiam, aſſiduitatem, conſtantiam! tantumne unum hominem efficere potuiſſe ingenio, doctrina, memoria, cura, vigiliis, ut ſolus potuerit tot tantaſque res, tam varias, tam longe lateque diſperſas ac diſſipatas, tam a noſtra memoria remotas, tanta vetuſtiſſimorum ſæculorum caligine involutas, tam diverſis ſcriptorum opinionibus implicatas, conquirere, legere, examinare, explicare, tum conquiſitas, lectas, examinatas, explicatas componere inter ſe, diſtinguere, digerere, ſuis quaſque ſæculis atque adeo annis diſpenſare, ac demum in unam Hiſtoriam concludere, quam qui legat, non ſolum Catholicæ Religionis exordia, incrementa, progreſſus, ritus, mores, diſciplinam, inſtituta cognoſcat, ſed etiam orbis terrarum univerſi, imperia, regna, viciſſitudines, caſus, eventus, bella condiſcat. Ego vero non aliam hujuſce rei tam novæ ac

prope

prope incredibilis conciliandæ rationem invenio, quam ſi dicam, tantum opus & ſingulari divini numinis inſtinctu a ſanctiſſimo, & doctiſſimo viro ſuſceptum, & præcipuo divini ipſius numinis favore perfectum. Quod ſi aliquid, in tanta, tam operoſa ac difficili Hiſtoria conſcribenda, aut minus vero conforme, aut minus ſeverioris Criticæ judicio conſentaneum Baronio excidit; tantum abeſt, ut hominis culpæ ac vitio tribuendum ſit, ut humanæ ipſi infirmitati aſſignandum potius condonandumque eſſe videatur.

XXI. Gemina Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & labore, & copia rerum, nec vero non & dignitate, & utilitate digniſſima veteris, quod vocant, Teſtamenti Hiſtoria fuit, in qua condenda adornandaque nobiliſſima quæque ac præſtantiſſima certarent ingenia. Magnum ſane opus, laborioſum ac propemodum infinitum hoc erat; ingens profecto difficiliſque provincia. Atque hanc quidem provinciam nec labore, nec rerum magnitudine, nec difficultate deterritus homo Gallus Jacobus Salianus ſtrenue alacriterque ſuſcepit, & ad exitum uſque inaudita felicitate perduxit. Multum ei ſane ad tantum opus ſubſidii contulit, & eximia doctrina, & ſingularis peritia linguarum, & exquiſita totius cognitio antiquitatis. Sed pace tanti viri dicam, quod paullo ante dixi, cum Baronium laudavi; Locum nimirum, quem ſumma cum dignitate tenuit, a Torniello homine Italo inſeſſum jam antea atque

que occupatum offendit. Vidit hoc ipſe Salianus, ut ipſemet profeſſus eſt, nec tamen idcirco recuſavit quominus in ampliſſimæ certamen laudis veniret. Et vero operæ pretium fecit, & opus plane egregium, ac ſingulare confecit. Sua tamen laude externus homo, quam ei ſapientiſſimi quique meritiſſimo tribuunt, contentus ſit, nec ægre patiatur ſibi palmam in tanto opere ſuſcipiendo ab homine Italo fuiſſe præreptam.

XXII. Ac ne, antequam de ſacris diſciplinis dicere deſino, Jus Pontificium prætermittam, cui tandem vel leviter erudito Gratiani nomen patria Cluſini notum non eſt, ac ſæpius auditum? In Jure vero Civili, ne hoc a Pontificio divellam, quocum plane conſtat eſſe conjunctum, cui non æque nota Accurſii, Bartoli, Baldi clariſſima nomina ſunt, quæ omnium Juriſconſultorum laudibus celebrantur ac prædicationibus efferuntur? Multo ante, quam exteræ gentes huic ſeſe ſtudio penitus dediſſent, hos jam, quos dixi, præcipuos in Italia Jus Civile cultores habuit, qui eum dignitatis locum apud omnes tenuerunt, ut poſt Ulpianos illos, Paullos Patavinos, ac Tribonianos, alioſque hujus famæ ac notæ viros, in Jure Civili Antiſtites haberentur, & tanquam oracula propemodum ſuſpicerentur.

XXIII. Sed ne quiſquam putet in ſacris tantum diſciplinis Italos excelluiſſe, ad alia doctrinarum & artium, ſi videtur, genera veniamus. Fuit, fuit ſemper

inſitus noſtris hominibus acerrimus laudis amor, fuit ardens diſcendi ſciendique ſtudium, fuit inuſitata quædam animi vis, ſic, ut ii ad omne egregium facinus inſtructi ab ipſa natura mirifice fuerint & comparati. Nec vero defuerunt, ab indole, ab inſtitutione incitamenta maxima, quibus, tanquam admotis lateri calcaribus, ad præſtantiſſima quæque Itali incitarentur; nec facile, cum in certamen laudis ac gloriæ, atque in illud præſertim, quod multo vehementiſſimum eſt, ingenii ventum eſſet, vinci ſe ab exteris hominibus ac ſuperari paterentur. Majorum monumenta, exempla patrum, experrecta mens, nobilitas urbium, dignitas civium, mitiſſima cæli temperies, hujus ipſius Italiæ conſpectus longe amœniſſimus & jucundiſſimus, animos per ſe ad omnem amplitudinem natos nunquam non incredibiliter commoverunt. De ingenio vero Italorum quid hic ego potiſſimum, aut alius quiſpiam dicat, aut ſentiat? Non aliud ſane, niſi quod optimus ingeniorum æſtimator & dixit & ſenſit. *Ingenia*, inquit, (de Orat. lib. I. num. XXX.) *ut multis rebus poſſumus judicare, noſtrorum hominum multum cunctis hominibus præſtiterunt*. Hæc Cicero; ut jam mirari amplius non ſubeat, ſi hoc ingenio Itali eos liberaliſſimis omnibus in ſtudiis proceſſus efficiant, ut in iis non ſolum maxime excellant, ſed reliquis etiam nationibus fere antecellant.

XXIV. Progrediamur igitur, & ad reliqua diſcipli-

plinarum & artium genera veniamus. Quo loco Philoſophiamne a me commemorari vultis? an Mathematicam? an utramque? Utramque arbitror. Et in Philoſophia quidem, cum in hoc veluti laudis ſtadio exteri aut ceſſarent omnino, aut vix e carceribus egreſſi breves tantum excurſus tentare auderent, ſe jam Itali jactabant, ac propemodum exſultabant. Plena ab antiquiſſimis uſque temporibus Pythagoræorum Italia fuit. Pythagoras ille Philoſophorum omnium Magiſter atque Antiſtes, ſi non Italus natione dicendus eſt, (quanquam graviſſimi ſcriptores non deſunt, qui illum Italiæ, atque adeo Etruriæ veſtræ adſcribunt) certe Italicæ ſectæ auctor fuit, & in ea Italiæ parte conſedit, quæ magna Græcia appellatur, ibique ludum aperuit, quo nobiliſſima ejus temporis ingenia percipiendæ ſapientiæ cauſa, ac totam pene ad ſe audiendum Græciam excivit, atque in primis Platonem illum Socraticorum principem attraxit, qui ab eo multa didicit, quibus Socraticam ipſam ſuam locupletavit, auxitque Philoſophiam. Sed ne præſtitutos mihi fines tranſiliam, in Socratica Philoſophia maxime præſtitit Marſilius Ficinus Civis veſter, Florentini, ac Platonicus longe celeberrimus, & Picus Mirandulanus, ob ſingularem ingenii præſtantiam *ingeniorum Phœnix* appellatus. De reliquis Philoſophiæ generibus, quæ maxime in Italia viguerunt, dicere ſuperſedeo; quorum etſi opinio concidit, jurene ac injuria nihil ad hoc tempus,

eorundem tamen Itali certe cultores ſua tempeſtate magno in honore habiti ſunt, ac reliquis exterarum nationum Philoſophis & ſagacitate inveſtigandi & acumine diſſerendi longe multumque præſtiterunt.

XXV. Jam ſi de Mathematica dicendum ſit, uno tantum prolato Galilæo, cive veſtro, Florentini, ſatis Italorum præſtantiam hoc in ſtudii genere atque excellentiam docuiſſe mihi videbor. Nam, ut ſileam Teleſcopium ab ipſo aut inventum, aut certe perfectum, cujus inſtrumenti ſubſidio adjuta Aſtronomia tantum in cæleſtium rerum cognitione profecit, quantum illo deſtituta proficere nunquam potuiſſet, ea certe Galilæo laus unanimi exterarum etiam nationum conſenſu judicioque defertur; Unum omnium principem maxime accommodatam inveſtigandæ naturæ rationem inveniſſe, viamque, qua ad abdita ac retruſa ejuſdem penetralia tuto poſſet evadi, poſteritati commonſtraſſe. Algebra vero, ut reliquas Mathematicæ partes omittam, (neque enim immorari in ſingulis tempus patitur) indiviſa illa Aſtronomiæ comes atque adminiſtra, quantum uni debere Tartaleæ putanda erit? Tantum profecto, quantum præcipuo cultori ſuo nunquam ſe debere ipſa ultro non fatebitur, qui eam prope ab infinitis numerorum ambagibus evolutam explicatiorem reddidit atque expeditiorem.

XXVI. Sed, ut ad Philoſophiam revertamur, illam multo amœniſſimam ejuſdem partem, quæ Phyſica

ſica appellatur, cujus nunc ſtudium maxime viget, & tota Europa impenſiſſime colitur, contemptamne ab Italis, ac minime cultam exiſtimabimus? Immo vero inter præcipuos inſigniorеſque cultores ſuos Torricellium, Caſtellium, Borellium numerat, qui eam diligentiſſime excoluerunt, & novis copioſiſſime locupletatam inventis, & mirifice amplificatam poſteris tranſmiſerunt. Radii illi lucis colorati, qui nunc tota paſſim Europa jactantur, magnam certe Neutono Anglo gloriam conciliarunt; ſed horum multo ante radiorum Grimaldus noſter ſignificationem dedit, vir in lucis indaganda natura, ejuſque proprietatibus inveſtigandis acerrimus. Machinam, quam dicunt, *Boilianam* ad ipſam rimandam introſpiciendamque naturam plurimum contuliſſe quis neget? Et ſane capiendorum experimentorum conſilium a Phyſicis initum ratio certiſſima ad naturæ diſquiſitionem jure optimo exiſtimatur. Hanc vero rationem vos primi aut excogitaſtis, Florentini, aut certe in morem induxiſtis, inſtituta multo ante illa veſtra, quam aliæ aliis in urbibus ad ejus ſimilitudinem Academiæ inſtituerentur; illa, inquam, veſtra, quæ ab experimentis capiendis nomen habet, Academia.

XXVII. Et quoniam de publicis Academiis ſermo incidit, quænam publicarum hujuſmodi Academiarum, ſive Gymnaſiorum, quo convenire ſtudiorum cauſa juventus ſolet, cum noſtris antiquitatis dignitate certa-

re poterit? Salmanticenſe credo, aut Pariſienſe. Sed ante, quam illa vigerent, & Ticinenſe in Inſubria, & Bononienſe in Emilia ſapientiſſimorum Doctorum præſtantia florebant, & diſcipulorum frequentia celebrabantur. Publicis hujuſmodi Gymnaſiis libet adnectere Bibliothecas. Illa Doctores, quibus inſtruimur atque erudimur, ſufficiunt, hæ ſuppellectilem ad omnem doctrinam comparandam inſtrumentumque ſuppeditant. Bibliothecam porro omnium, quotquot tota Europa commemorantur, longe locupletiſſimam ac celeberrimam, ſi unam Vaticanam excipias, minime neceſſe habeo longe a vobis quærere, Florentini. Eſt hic, eſt in hac urbe, eſt in hujus ipſius loci, ex quo dico, prope veſtibulo collocata; & illa quidem magnificentiſſime conſtructa, & prope infinita Manuſcriptorum codicum & Græcorum & Latinorum copia referta, quos toto Oriente Laurentius Medices ſummo ſtudio diligentiaque conquiſivit, & magna impenſa comparatos aſportandos huc non ſolum ad hujus urbis decus et commodum, ſed ad totius etiam Italiæ ornamentum utilitatemque curavit.

XXVIII. Verum nullus finis eſſet, ſi vel raptim & curſim ſingula velim percurrere. Et jam de me dudum Humaniores litteræ, manſuetioreſque Diſciplinæ conqueri mihi videntur, quod nullum de iis adhuc verbum fecerim, perinde quaſi dignæ non eſſent, quarum a me ſingularis nunc mentio fieret. Ipſæ quoque

que prodire volunt, in conſpectum ſe dare volunt; a me commemorari, ornari volunt. Ipſæ etiam Oratoris vocem efflagitant, & jure ſuo efflagitant, quæ Oratori vocem ipſam, qua alias ornaret artes, hactenus ſuffecerunt. Atque hæc quidem orationis hujus meæ pars multo mihi reliquis uberior atque expeditior oſtenditur. Dicam equidem, quod ſentio, Florentini; non quo hac prima vice, qua vos alloquor, me vobis dedam, ſed quod ſentio libere dicam, & citra omnem aſſentationem dicam. Unam, unam inquam, hanc urbem exteris totius Europæ urbibus hoc in genere litterarum oppono, atque adeo antepono. Quotquot enim in his ſtudiis Humanitatis hac in urbe floruerunt, meri principes exſtiterunt. Sed ne circumſcriptior, quam par eſt, reddatur oratio, ſinite illam per totam Italiam licentius liberiuſque vagari, ſic tamen, ut ſæpius veſtros a me Cives, quod in ſuperiore orationis hujus meæ parte animadvertiſtis, commemorari audiatis, quos poteritis voſmetipſi, cum indicabuntur, indicabuntur autem ſæpe, vobiſcum taciti recognoſcere.

XXIX. Reſeratis, quemadmodum diximus, a Petrarca veſtro Bibliothecis, & patefactis fontibus, unde omnis ſapientiæ vis, unde perfectæ eloquentiæ copia, unde latini ſermonis puritas emanat, inde ſtatim deducti & ſapientiæ, & eloquentiæ & incorruptæ latinitatis rivi totam Italiam longe lateque irrigarunt. Hinc

eximii illi Scriptores, qui tantam nobis gloriam famamque pepererunt, Bembi, Sadoleti, Sigonii, Manutii, Victorii, Pogiani, Gratiani, aliique innumerabiles, ut nemo propemodum ea ætate ſcriptor exſtiterit, qui ad excellentiam in ſtudiis hiſce noſtris facile non pervenerit. Tantum autem Italorum ingenia his ipſis in ſtudiis labore, diligentia, contentione potuerunt, ut quos imitando ſecuti ſunt, pene fuerint in ſcribendo aſſecuti. Teſtis ille de Conſolatione liber a Sigonio tanta excellentia elaboratus, ut a doctiſſimis viris, an legitimus Ciceronis fœtus habendus eſſet, diu multumque fuerit dubitatum. Teſtes venuſtiſſimæ illæ Faerni Cremonenſis Fabulæ, quibus ſummum ad pretium nihil deeſt, præter antiquitatis auctoritatem; quanquam ne hanc quidem illis deeſſe ii exiſtimarunt, qui ſponſione contendere parati erant, ni eas ex vetuſto aureæ latinitatis codice Faernus exſcripſiſſet. Teſtis illa e Græco in Latinum ſermonem converſa, & tam exquiſite ab Angelo Politiano Interprete elaborata Herodiani Hiſtoria, ut ea non Græce, quod certiſſimum ſinceræ & puræ latinitatis indicium eſt, ſed Latine primum ſcripta eſſe videatur. Teſtis denique quidquid ſcriptis mandavit Maffejus ille, de quo ea doctorum hominum perſcripta exſtat graviſſima & honorificentiſſima auctoritas, ſi aureæ latinitatis ſcriptores caſu aliquo interciderent, ab eo præſertim latini ſermonis peti elegantiam debere. Et merito

rito quidem. Etenim ita purus eſt, ita lævis, teres; venuſtus, ut nihil ſupra; omnia in ejus dictione & apta verbis, & concluſa numeris, & coagmentata ſententiis, & diſtincta luminibus ſic, ut pene ſolus latine loqui videatur. Tantum imitatio valet, & acerrimus, ut in objectas ſpecies oculorum, ita in optima exemplaria animorum ingeniorumque conjectus.

XXX. Non negarim hac eadem, de qua nunc dico, latine eleganterque ſcribendi laude exterorum bene multos inſigniter præcelluiſſe. Tribuatur igitur illis ſua laus, ne hæc a me aut per invidiam, aut per contemptum exteris erepta ac denegata eſſe hominibus videatur. Ita tamen iſti hujuſmodi laudem ſibi a me delatam accipiant, ut eandem Italiæ noſtræ maxime acceptam ipſi referant ac fateantur. Hic, hic inquam, eorum plerique in Italia noſtra ſive diutius, ſive etiam perpetuo commorati quam ſecum advexerant quaſi quandam linguæ peregrinitatem exuerunt, hic, ut ita dicam, linguam procuderunt, hic loquendi elegantiam adepti ſunt, hic illud denique conſecuti, ut domeſticis verius, quam exteris adcenſendi eſſe videantur. Quare totam hanc laudem, qua maxime feruntur ac prædicantur, quamque ego iis libentiſſime tribuo, non huc ipſi ſecum apportarunt, ſed hinc potius, cum diſceſſerunt, ſuas in terras regioneſque aſportarunt.

XXXI. Ne vero præterita a me patria lingua ſit; hæc præſtantiſſimos jam inde uſque ab initio, quo

exco-

excoli primum cœpit, nacta autores & quaſi opifices Boccaccios, Villanos, Paſſavantios, alioſque magni nominis ac famæ viros, ab his ad eam perfectionem abſolutionemque adducta eſt, ad quam nulla certe natio ſuam eo tempore linguam adduxerat. Quo quidem loco non poſſum, quin vos nominatim compellem, Florentini, penes quos communis linguæ arbitrium eſt, vobis unis totius Italiæ ſuffragio delatum. Ignorare certe non poteſtis exteras linguas tota nunc Italia longe lateque diffuſas ſerpere adeo, ut Italicæ linguæ gravitatem ſplendoremque enervare ſenſim incipiant atque obſcurare. Atque huic quidem malo in dies magis magiſque gliſcenti pro veſtra, quæſo vos, auctoritate ſapientiaque providete. Nolite pati pulcherrimam linguam per veſtram incuriam atque ſocordiam exoticarum hibridarumque vocum frequentia inſolentiaque dehoneſtari. Quidquid id eſt negotii, totum, totum, inquam, veſtrum eſt, veſtræ curæ, diligentiæ, fideique commiſſum. Ad vos ſpectat efficere, ne Itali barbare, atque inquinate loquamur, ne peregrini in patria ſimus, ne cum ſummo tum veſtri tum communis nominis probro patriam linguam dediſcamus, ne denique illa hic primum ad ejuſdem linguæ cultum atque incrementum condita Academia fruſtra a majoribus veſtris inſtituta eſſe videatur.

XXXII. Sed revertar eo. Qui Etruſcas Caſæ, & Claudii Ptolemæi orationes legat, ipſum Ciceronem no-

noſtra prope lingua loquentem ſuſpiciet. Nam quid dicam de Paulo Segnero, viro & patriæ linguæ ſcientiſſimo, & ad facundiam nato, qui ad Ciceronianam eloquentiam unus Italorum propius acceſſit, ut Italus Cicero & jure habeatur, & merito appelletur? Sed ne Patriæ caritati nimis videar indulgere, dicam id, quod ſentio & libere dicam; Oratores noſtri longe adhuc a perfecta illa, quam Cicero eloquentiæ ſtudioſis exhibuit forenſis præſertim eloquentiæ forma abſunt. Expecto igitur dum aliquis tandem aliquando in Italia ſacer Orator, qui nunc forenſibus illis ſucceſſit Oratoribus, exſiſtat, qui duo illa mihi conjungat, in quibus tota perfecti Oratoris ratio vertitur, qui ea dicat, quæ quivis de populo intelligat ac probet, & ita dicat, ut hæc ipſa quiſque ſapiens non admiretur ſolum, ſed ea audiens exhorreſcat, & quidquam ſimile conari ſe, ne dum efficere poſſe deſperet. *Id enim ipſum eſt ſummi Oratoris ſummum Oratorem populo videri. Etenim neceſſe eſt, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari.... Quid eſt, quod exſpectetur docti alicujus ſententia? quód enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum eſt. Denique hoc ſpecimen eſt popularis judicii, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligentibuſque diſſenſio.... Hoc tamen intereſt, quod vulgus interdum non probandum oratorem probat, ſed probat ſine comparatione... Sed hic de populo judex, qui ſe-*

*ſeparatim alterum admiratus eſſet, idem audito altero judicium ſuum contemneret*. Hæc de populari eloquentia ſcripſit & ſenſit (De clar. Orat. num XLIX.), qui de ea ſolus recte judicare potuit, qui, quod recte judicavit, ſolus effecit.

XXXIII. Quantum vero a perfecti Oratoris, meò quidem judicio, forma abſumus; tantum ad perfectam conſcribendæ Hiſtoriæ rationem acceſſimus. Quoties enim cumque in manus ſumo aut Bembum, aut Maffejum, aut Gratianum, & hos quidem Latinos Hiſtoricos, aut ex Italis Nardium, Varchium, Bartolum, Pallavicinum, alioſque horum ſimiles, eos cum veteribus comparo, & Herodotos, Thucydides, Livios, Salluſtios, Tacitos non magnopere requiro. Latinum vero Cornelium mihi videor agnoſcere in Georgio Vaſario; qui ut ille Imperatorum, ſic iſte excellentium Pictorum vitas conſcripſit. Mitto Pictorem eximium, mitto excellentem Architectum, cujus modulis creverunt porticus illæ, quæ tantam huic urbi afferunt dignitatem. Non enim nunc Pictorem, non Architectum; ſed ſcriptorem, ſed Hiſtoricum, ſed eloquentem, ac diſertum quærimus. Ac ſane & eloquens eſt, & diſertus eſt, & eximius ſcriptor, & egregius Hiſtoricus eſt, & talis denique, ut quid naturalis eloquentia omni artis adminiculo deſtituta per ſe ipſa poſſit efficere, in uno Vaſario experta eſſe videatur. Nullus in eo fucus, nullum pigmentum, arti-

artificium nullum; ubique tamen concinnitas, ubique cultus, ubique venuſtas elucet. Illos *ipſos Idiotiſmos*, quibus abundat, ita ſcite illigat orationi, ut eam tanquam ſtellæ quædam notent atque diſtinguant. Certat cum ipſis Pictoribus, quorum vitas deſcribit & tabulas, ut quantum illi pigmentis & coloribus ſuis, tantum ſuo ipſe ſtylo & oratione aſſequatur.

XXXIV. Succedat Oratoriæ arti Poeſis, de qua, ut de reliquis artibus, pauca pro inſtitutæ orationis modo delibabo. Verum in tanta egregiorum Poetarum copia, quibus Italia noſtra abundavit, quem primum nominem? quem poſtremum appellem? quem tacitus prætermittam? Ex Latinis, qui dignitate Italis præſtant, ſi Vidas, ſi Fracaſtorios, ſi Sannazarios, ſi Bembos, ſi Navagerios, ſi Flaminios eminere dicam, reliquis prope mihi videar injuriam irrogare. Omnes enim fere, qui ea, de qua loquor, ætate Latini Poetæ floruerunt, ſuo quique in carminis genere excellentes fuerunt. Et Hieronymus quidem Vida, Poema Epicum illud ſuum, quod *Chriſtiadem* inſcripſit, ſic elaboravit, ut omnibus, qui latino carmine idem Poeſis genus tentare voluerunt, facile palmam eripuerit. Poetica vero ejuſdem Inſtitutio Scaligeri ſententia Horatianæ ipſi antefertur, ac certe & elegantia carminis, & rerum ordine, & præceptorum delectu digna eſt, quæ a Poeticæ artis ſtudioſis ſæpius legatur.

XXXV.

XXXV. Ex Italis vero Poetis, quorum incredibilis eſt numerus, uti nemo Dante Aligherio Poeta antiquior, ſic illo nemo præſtantior; qui merito omnigenæ eruditionis copia cum Homero confertur, & Italus Homerus appellatur; atque ut ab illo Græcorum ac Latinorum, ita ab hoc Italorum,

*ceu fonte perenni*
*Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

De Petrarca, qui Aligherium & dignitate, & antiquitate conſequitur, præſtat omnino tacere, quam pauca dicere. Reliqui, qui ſucceſſerunt Itali Poetæ propemodum infiniti, alii in alio Poeſis genere excelluerunt. Verum ex omnibus Poeſis generibus neſcio an ullum cum Poemate Epico difficultate conferri queat. Hic vero nationes omnes provoco, ſi quidquam perfectius ab iis Taſſiano illo de Hieroſolymis vindicatis celeberrimo Poemate proferri poſſit. Suum, non ignoro, Anglia Miltonum celebrat, ſuum Hiſpania Ercillam, ſuum Luſitania Camoenſium, ſuum Gallia Volterium, ſuum Scotia Oſſianum omnium longe antiquiſſimum, ſummos omnes, non inficior, egregioſque Poetas, ſed nullo modo cum Torquato Taſſo comparandos, qui tertius meruit ab Homero & Virgilio numerari. Nec ſimiliter exterorum quemquam Poetarum & mira felicitate ingenii, & acerrima excogitandi commentandique vi, & novo quodam disjunctiſſimarum rerum componendarum artificio facile comparari noſtro cum Areoſto opi-

opinor poſſe. Contra vero Alamannum veſtrum, qui cultiſſimos illos de Agricultura libros ſcripſit, ego quidem nunquam lego, quin comparationem non cum exteris Poetis, ſed cum ipſo Poetarum principe Virgilio, qui eodem in argumento verſatus eſt, inſtituam, & illos ipſos Virgilii verſus Alamanno accommodem; *Calcem calce terit*; & niſi obſtet antiquitas, quæ tota a Virgilio eſt,

*Tranſeat elapſus prior, ambiguumque relinquat.*

XXXVI. Sed jam in medium flexanima illa noſtrorum Regina affectuum Tragœdia prodeat. Hæc multo ante in Italia cothurnis incedebat ſuis ſcenaſque & pulpita noſtra occuparat, quam reliquæ nationes hoc carminis genere ád excellentiam aſpirarent. Jamdiu in Italia & Sophonisba Triſſini, & Oreſtes Oricelarii, & Creſphontes Livieræ, & Merope Torelli, & Evander Bracciolini, & Solimanus Bonarelli, & Torriſmundus Taſſi omnium manibus terebantur, auctoreſque cum Græcis in hujuſmodi carmine præſtantiſſimis conferebantur. Eodem tempore ipſa quoque perſonata prodiit, ſuoſque Comœdia intulit in ſcenam mimos, magis illos quidem tragico Heroe probatos populo, qui plus juſto hilaritate capitur & joco. Utinam ſola in jocis quæſita hilaritas fuiſſet, omni vitata obſcenitate. Sed hæc meretricula reſpui ſe putat, niſi amatoribus ſuis turpitudine adhibita lenocinetur. Verum hoc nihil ad rem præſentem; quod

per-

pertinet illud eſt, quod reliquis hac in re nationibus nihil egregium conantibus, jam Picolominei, Areoſti, Salviati, aliorumque Comœdiæ & a doctis hominibus probabantur, & ſummmis laudibus efferebantur. Sed tandem aliquando finis ſit, & exitum habeat oratio, quandoquidem pauca hæc e multis ac prope infinitis, quæ attulimus, ſatis, opinor, ſuperque, quod demonſtrandum ſuſcepimus, docent.

XXXVII. At enim, inquiunt, fuerit, olim Italia in omni litterarum genere princeps; floruerit ſumma doctiſſimorum virorum copia; nulla ei potuerit natio hoc in genere laudis non ſolum anteponi, ſed ne cum ea quidem ullo modo componi. Nunc vero multo aliter ſe res habet. Non parum ab ea dignitate Itali defecimus, ad quam majores noſtri tanta communis cum nominis gloria nos atque exiſtimatione provexerant. Ego vero hujuſmodi interpellatione occupatus quid dicam? quid reponam? Florentini. Nihil ficte, nihil ſimulate; nihil ex artificio, nihil non ex veritate. Et primum, ſi nunc Italia noſtra non, ut olim, litteratis hominibus abundat, iis certe omnino non deſtituitur. Multos nominatim appellare poſſem, qui adhuc vivunt, qui ſingulari doctrinæ opinione nunc florent, qui noſtram Italiam ſapientiæ ſuæ luce maxime illuſtrant, qni ab ipſis exteris ſummis laudibus celebrantur, quos denique quælibet natio non nollet ſuos; quorum etiam aliquos magnis

ad

ad ſeſe ſtipendiis pellectos exteræ gentes attraxerunt, quod certe non feciſſent, niſi magnum ab iis ſuis decus urbibus acceſſurum putaſſent. Verum ita ſit, ut iſti dicunt; at hujuſce rei cauſam in quos potiſſimum conferendam putabimus, niſi in iſtos ipſos, quos ego jam ab initio redarguendos ſuſcepi? Iſti, iſti, inquam, domeſticæ oſores laudis, iſti exterorum ſapientiæ præcones magnifici iſtam ipſam, quam nobis objiciunt, litteris noſtris atque Italico nomini calamitatem importarunt. Nam quid noſtri homines in litteris nunc audeant? quid illuſtre meditentur? quid amplum ſuſcipiant in tanta, de qua dixi, opinionis perverſitate, quæ ipſorum Italorum animos occupavit.

XXXVIII. Sed, quandoquidem nos iſti ad exteros provocare non dubitant, non recuſo, quo minus in hujus meæ orationis exitu ipſis morem geram. Itali igitur, qui exteris olim nationibus exempla, quæ illæ a nobis ſumerent, proponebamus, ea ab iis nos, converſa propter iniquitatem temporum vice, iſtis auctoribus, & vero me non renuente ſumamus. At quæ tandem nobis exteræ nationes hac ipſa in re, de qua dico, exempla ſuppeditant? niſi ſingularis erga populares ac domeſticos ſuos ſtudii, & eximiæ cujuſdam benevolentiæ, & caritatis. Ecquem unquam iſti exteris ex nationibus audierunt, qui ſcriptores deſpiceret atque abjiceret ſuos? ecquem, qui de iis non magnifice ſentiret? non magnificentius loqueretur? ecquem,

qui æquo ferre animo poſſet eos ab alienis contemni? ecquem denique, qui, quoties id aliena petulantia accideret, eorundem patrocinium non ſuſciperet? Suos quæque natio excellentes doctrina viros ſuſpicit, & miris in cælum extollit laudibus; ſuum Anglia Neutonum prædicat, ſuum laudat Germania Leibnitium, ſuum Gallia Carteſium celebrat.

XXXIX. Et Gallia quidem, patrio iſto ſtudio, quod ego ſummopere comprobo, reliquis fortaſſe nationibus antecellit; & hac ipſa de cauſa una maxime nunc eruditione præter reliquas fortaſſe nationes excellit. Ubi nam tot in omni eruditionis genere nunc imprimuntur libri, quot in Gallia? ut mirandum nequaquam ſit, ſi Gallicum noſtra hac præſertim ætate nomen ſuccreſcat, atque in dies magis magiſque propagetur. Quid? quod eum honorem auctoribus Galli ſuis, eorumque libris habent, ut illos quam nitidiſſimis formis imprimant, læviſſimis membranis conveſtiant, auro minioque diſtinguant, in quorum conſpectum noſtri fere negligentius impreſſi, male tunicati, ac propemodum ſordidati venire vix audent. Quid præterea? quod edendis auctores libris in queſtu apud Gallos compendioque verſantur. Exquiruntur certatim, oblata pecunia, a Typographis eorum opera, & elegantibus excuſa formis toto ſtatim regno atque Europa univerſa diſtrahuntur, & diſtracta magno a domeſticis, & ab exteris ipſis pretio comparantur. Au-

ctores

ctores contra noſtri tam longe abeſt, ut vulgandis quidquam operibus lucrentur ſuis, ut vix, ac ne vix quidem typorum ſumptus præſtare poſſint; cum interea eorum opera neglecta fere in tabernis librariis jaceant, ſitu nimirum ac pulvere conficienda. Nam quid dicam de præmiis atque incitamentis, quibus Galli aliquot ab hinc annis omnium maxime abundarunt? Unus Ludovicus XIV. quantum noſtra prope memoria litteras in Gallia juvit! quantum bonarum artium ſtudia fovit! quantum animi ſuis popularibus addidit! quantum nobiliſſimæ nationis ad omnem laudem ingenia erexit, atque excitavit! Uno illo regnante aurea propemodum Auguſti ætas evocata in Galliam dici potuit. Fac iterum in Italia noſtra reviviſcant Coſmi illi Medidei, Hippolyti Ateſtii, Leones illi X. bonarum artium fautores munificentiſſimi; fac commune ſit in Italia amplificandarum bonarum artium ſtudium; fac litterati homines apud nos eo, quo merentur, in pretio habeantur; fac præſertim ille, de quo dixi, popularis favor, ac domeſticus aſſenſus accedat, & tunc profecto priſtina in litteris Italorum gloria revocabitur, refloreſcet fama, & Italia noſtra incredibili rurſus doctorum hominum vi & copia redundabit.

XL. Quæ cum ita ſint, ſuſcipiamus animos avita virtute, atque Italo nomine dignos; revocemus nos ipſi ad illuſtria majorum noſtrorum exempla, qui cæteris longe multumque gentibus & armorum gloria & litte-

rarum opinione præſtiterunt. Vidimus olim apud nos; & ſoli vidimus, totius terrarum orbis imperium conſtitutum, & una cum totius terrarum orbis imperio, omnium doctrinarum & artium principatum conjunximus. De primo jam non ſolum nobis, ſed reliquis etiam, ut se modo Europæ rationes habent, nationibus deſperandum eſt. Sed aliis nationibus arma ſaltem, quibus propagare famam ac nomen poſſint ſuum, relicta ſunt, quæ nobis propemodum extorta de manibus cum ſint, non eſt, cur de iiſdem iterum capiendis tractandiſque cogitemus. Nil igitur nobis reſtat aliud in iis, quæ ad decus ac famam pertinent, niſi ut bonas artes impenſe excolamus, totos nos earundem ſtudio dedamus, litteratos viros omni honoris, benevolentiæ, exiſtimationis ſignificatione proſequamur, &, quandoquidem opulentiſſimum nobis in omni doctrina patrimonium majores noſtri reliquerunt, illud non ſolum omni ope tueamur; ſed etiam, quantum eniti ingenio, ſtudio, cura, labore poſſumus, novis, iiſque in dies amplioribus ſapientiæ acceſſionibus auctum poſteritati cumulatumque tradamus.

Hanc orationem omnium primam Florentiæ habuit Parthenius, ut ipſæ indicat, in qua ſi eruditioni indulgere voluiſſet, eam facile vel ex ſolo Juſto Fontanino mutuari potuiſſet; ſed eruditioni eatenus indulgendum putavit, quatenus orationis modus patiebatur. Multos aliis in ſtudiis Italos principes ac duces de induſtria prætermiſit; neque enim Hiſtoriam conſcribere in animo habuit, ſed ſpecimen tantum quoddam Italicæ litteraturæ exhibere auditoribus voluit ſuis. Sepoſitas etiam habebat in hanc ipſam orationem jamdiu a Clariſſimo viro elaboratas animad-

madverſiones, ſed eas a me ſibi de manibus extorqueri non eſt paſſus. Unam tantum adnotationem, quam hic ſubjicio, adſcribi omnino voluit, ut locus quidam in Actionibus, quas edidit, emendaretur, quem locum a nemine admonitus, ſed opus ipſe, uti fit, relegens ſuum animadvertit. Eo in opere, Actione II. lib. VII. num. XIII. hæc habentur; *& vero etiam jubente Bartolocio neſcio quo*. Illud *neſcio quo* Clariſſimi auctoris contemptum aliquem ſonat, perinde quaſi ignotus eſſet & obſcurus. Hoc certe præter voluntatem Parthenio excidit, qui propoſitum habuit, & vero ſemper tenuit, neminem niſi cum laude nominare. Quanquam illud *neſcio quo* non ad doctiſſimi ſcriptoris contemptum, ſed ad ipſum potius adverſarium referendum eſt, qui tantum in uno ſcriptore momenti poſuit, ut ejus unius auctoritatem communi Patrum in ea controverſia judicio propemodum anteponendam judicarit. Non obterere igitur Bartolocii famam Parthenius voluit, ſed tantum ei detrahere auctoritatis, quantum profecto ipſe ſibi nunquam Bartolocius arrogavit, cujus quidem nomen edita illa ſua eruditiſſima *Rabbinica Bibliotheca* commemorari inter tot nobiliſſima, quæ in hac oratione recenſentur, nomina meruit. Et vero etiam commemoraſſet Parthenius, ſi, quemadmodum diximus, non orationem, ſed Hiſtoriam contexere in animo habuiſſet. Cæterum qui plenam Italicæ litteraturæ cognitionem cupiat, adeat Hieronymi Tiraboſchi e Societate Jeſu Hiſtoriam, quam ad ſecundum volumen jam adductam ſi ad exitum uſque, ut confidimus, eruditiſſimus Auctor perducet, exſtabit opus non eximium modo, ſed etiam ſingulare, & nihil erit præterea hoc in genere, quod Italia noſtra vel ad ornamentum, vel ad incitamentum requirat.

DE ITALORUM

*IN ARTIBUS*

# PICTURÆ SCULPTURÆ ET ARCHITECTURÆ

PRINCIPATU

AD FLORENTINOS

## *ORATIO II.*

SI quis eorum, qui adſunt, forte miretur quid ſit, quod ex hoc loco, in quo fere de ſtudiis Humanitatis diſſerere Oratores ſolent, ego præter conſuetudinem de Artibus Picturæ, Sculpturæ atque Architecturæ, deque Italorum in iiſdem principatu, dicere inſtituam, is, ſi paullo attentius harum artium indolem atque naturam inſpiciet, una & mirari profecto deſinet, & conſilium meum non comprobandum modo, verum etiam magnopere collaudandum exiſtimabit. Nam, præterquam-

quod

quod Oratori conceſſum eſt de quaque re dicere, nec ullos terminos habet ejus oratio, quibus ſepta & circumſcripta teneatur, quo minus libere poſſit vagari qua velit; tanta inter Humanitatis ſtudia, & has ipſas artes, de quibus dicturus ſum, neceſſitudo eſt, tanta non affinitas ſolum, ſed etiam cognatio intercedit, ut propemodum una ſit in omnibus atque eadem ingenii facultas, ratio ac diſciplina. Nam quis orationem ex Rhetoricæ artis præſcripto ſcite elaboratam, quæ veſtibulum habeat illuſtre, quæ certis partibus certa ratione diſtributis conſtet, quis, inquam, hujuſmodi orationem nobiliſſimo cuidam ædificio ex Architecturæ præceptis affabre conſtructo comparandam non putabit? De Poeſi vero cui dubium eſſe poteſt, quin ea quaſdam veluti tabulas non pigmentis illas quidem atque coloribus expreſſas, ſed ſtylo ingenioque perfectas lectoribus inſpiciendas ſuis exhibeat, ut quod in egregiis mirari picturis ſolemus, hoc ſimiliter in numeris omnibus abſoluto Poemate ſuſpiciamus. Sculpturam vero ſummum & ipſam ſuo in artificio requirere ingenium, ſollertiam ſummam quis neget? ut hac de cauſa eodem prorſus ordine ac loco, quo priores, haberi etiam ipſa mereatur. Mutæ quidem hæ artes dicuntur, ſed tamen mutæ omnino non ſunt; ſuam habent linguam, ſi quis eam norit audire atque intelligere; neque vero linguam ſolum, ſed etiam eloquentiam, qua, quod oculis objiciunt, declarant

ac docent; & affectus ipſos, in quibus excitandis maxime eminet eloquentia, mirandum plane in modum commovent; propoſita rerum, quas repræſentant & ſimilitudine, & veritate. Ego vero, ut de me dicam, non quo meum quidquam exiſtimari judicium debeat, ſed tamen, ut de me dicam, poſt Veterum illorum in omni doctrina principium exemplaria, a quibus omnium pulcherrimarum maximarumque rerum optima peti forma debet, nihil reperio, quod hæc ipſa, in quibus verſor, ſtudia magis non attingat ſolum, ſed etiam quodammodo adjuvet atque ſuſtentet. Nunquam ſane oculi a Veterum illorum, quæ dixi, exemplaribus, noſtris in ſtudiis dejiciendi ſunt; ſed tamen ſi alio interdum convertenda, ſive ad ceſſationem, ſive ad delectationem oculorum acies eſt, (neque enim uni rei ſemper intenti eſſe poſſumus, quin animos noſtros rerum varietate relaxemus ac reficiamus) in has potiſſimum artes oculorum arbitror eſſe aciem convertendam atque intendendam. Quoties ego pulcherrimam hanc veſtram urbem, Florentini, poſt diuturnam vel legendo, vel ſcribendo contentionem adhibitam, intermiſſionis atque oblectamenti cauſa, obeo; quoties magnifica, quæ hic paſſim occurrunt, ſive ædificia, ſive picturas, ſive ſtatuas contemplor, toties non delector ſolum ac recreor, ſed oblata hujuſmodi rerum ſpecie incredibiliter erigor. Nobile enim neſcio quid, neſcio quid ſplendidum

dum atque magnificum, cum domum remeo, mecum reporto, quo animus ad ſtudia noſtra traductus ad ſimile aliquid, & magnificis illis ac ſplendidis, quæ nobiliſſimarum rerum impreſſæ animo ipſi hæſerunt, imaginibus conforme, quoad uſque ingenium eniti poteſt, conandum perficiendumque excitatur. Omnino ſic eſt; Optimi forma ad rerum omnium abſolutionem omnino neceſſaria ubi tandem cumque illa occurrat, occurrit autem in his maxime artibus, non contemplanda ſolum, ſed proprium etiam ad uſum a ſollerti eſt atque ingenioſo viro traducenda. Quare hanc, opinor, mihi veniam dabitis, Florentini, ut his de artibus paullo fuſius ac liberius diſſeram, quæ & nobiliſſimæ ſunt, & ab inſtituta ſtudiorum noſtrorum ratione, ut oſtendimus, non abhorrent, ac plane dignæ exiſtimari omnino debent, in quibus commemorandis ornandiſque Oratoris vox & copia minime deſideretur. Hoc autem eo fidentius & libentius facio, quod ea in urbe dico, quæ in his artibus omnium maxime excelluit, ut propterea attentionem mihi veſtram non defuturam, ac præterea aſſenſum etiam & favorem affuturum confidam. Ita tamen de iis dicam, ut hominem decet, non qui illis proprio inſtituto deditus earum vim omnem comprehendere, perſpectamque rationem habere debeat; ſed tantummodo, qui liberaliter educatus, & liberali quodam ingenio præditus omnia, quæ ab ingenio proficiſcuntur & amet & ſentiat ſic, ut

ex

ex proprio artificio aliquid etiam de alienis artificiis ſi non judicare, ſuſpicari ſaltem aliquo modo poſſit.

I. Atque hoc primum in argumento, contra atque in ſuperiori faciendum fuit, nullam video mihi cum exteris eſſe nationibus contentionem inſtituendam. Quæ inſtituenda hujuſmodi contentio erit, ea ſolum cum Græcis a me inſtituetur, qui his maxime artibus dediti eas & ſummopere excoluerunt, &, florentibus præſertim Athenis, ad ſummam etiam dignitatem, atque amplitudinem evexerunt. Quod vero ad alias nationes attinet, tametſi iiſdem, Italorum commotæ exemplo, delectatæ ſunt, eaſque dignas putarunt, in quibus pro ſua quæque ingenii habitudine ſeſe exercerent, palmam tamen ultro ipſæ nobis deferunt, nobis cedunt, nec ullo modo nobiſcum his in artibus de principatu contendunt. Quare tanta laus, eximia illa quidem ac ſingularis, tota, tota, inquam, noſtra eſt, & reliqua, quibus Italia abundat, decora atque ornamenta mirandum in modum cumulat atque adauget. Verum, ne ſtudioſi nimis noſtrorum decorum atque ornamentorum videamur, ſi exteras etiam admittere in tantæ ſocietatem laudis nationes quis velit, non repugno, dummodo teneamus, quod omnium gentium conceſſu nobis ſententiaque defertur, illudque nequaquam eripi nobis per ſummam incuriam vecordiamque patiamur.

II. Quanquam non tam noſtra, hoc eſt Italorum communis, hæc laus dici debet, quam Etruriæ in primis

mis veſtræ propria, Florentini; tum vero hujus potiſſimum urbis non præcipua ſolum, ſed propemodum etiam ſingularis exiſtimanda. Hic in Etruria veſtra, Italiæ noſtræ longe nobiliſſima regione, multo ante illas ipſas rerum pulcherrimarum omnium, jam non amplius appellabo inventrices Athenas, hic inquam hæ artes primum inventæ, hic primum excultæ, hic primum etiam, quo nihil ad decus ac famam afferri puto illuſtrius ac magnificentius poſſe, ad perfectionem adductæ. Mitto dicere de Phœnicibus atque Ægyptiis, quorum hoc in genere monumenta facile patior Etruſcis eſſe antiquiora. Nam ſi de Ægyptiis ſingulatim loquamur, præcipua ac nobiliora eorum monumenta quid tandem habent, præter incredibilem quandam magnitudinem, quamobrem magnopere ſuſpiciantur? Eorum Obeliſci, qui Romam a Romanis Imperatoribus advecti ea adhuc in urbe conſpiciuntur, multum quidem, atque adeo plurimum habent operæ, ſed artificii certe parum, & prope nihil. Ægyptia vero ſigna, quæ monſtroſa quædam portenta intuentibus exhibent, quis unquam eſt, qui cum ſemel aſpexerit, continuo ab illis oculos avertendos potius, quam iterum ad ea convertendos non putarit? Nihil enim in iis opere ullo atque artificio fere dignum occurrit, quod ab artium noſtrarum ſtudioſis aut curioſius inſpiciatur, aut intentiori cura inveſtigetur.

III. Hic igitur in Etruria veſtra, ſi harum artium vetu-

vetuſtiſſimam eruere memoriam volumus, hic, inquam, quærenda omnino earundem exordia ſunt; neque vero exordia tantum, ſed progreſſiones etiam, atque adeo ipſa abſolutio. Multo ante, quam Picturam Græcia excolere, ad ejuſque eniti excellentiam. inciperet, Etruſcorum Pictorum opera in pretio erant. Jam pluribus in Italiæ urbibus Ardeæ, Lanuvii, Cære *excellentiſſima* Picturæ Etruſcæ *forma* & aſpiciebantur & ſuſpiciebantur. Itaque jam ab eo tempore in Italia Etruſcorum Pictorum ingenio atque elegantia nobiliſſima ars abſoluta dici poterat & perfecta. Atque hanc tam eximiam ac plane ſingularem laudem Etruriæ veſtræ tribuit Plinius, ſcriptor eruditus in paucis & locuples, qui (Hiſt. nat. lib. xxxv. cap. iii. viii.) Græcis ipſis in reconditarum indagatione rerum diligentiſſimis cæteroquin & ſagaciſſimis ſive negligentiam, ſive ignorantiam exprobat, quod certa Picturæ exordia non apud exteras nationes ſolum, verum etiam apud ſuam aut exquirere prætermiſerint, aut exquiſita non invenerint.

IV. Jam ſi reliquarum originem artium inveſtigare velimus, eandem eſſe eodem referendam a nobis, ac indidem repetendam comperiemus. *Tuſcanos Plaſticen*, cujus tantus eſt in Architectura uſus, *excogitaſſe* auctor eſt Clemens Alexandrinus. (Stromat. lib. 1.) *Fuſoriam artem primum Tuſcos in Italia inveniſſe* affirmat Caſſiodorus. (Lib. vii. Var. Form.) Sed ut dubia horum ſcri-

ſcriptorum auctoritas ſit, nec ſatis firmo laudem hanc argumento Etruriæ adjudicet, certe & Aruſpicis Etruſci, & Chimæræ, & Tuſcanici Apollinis, qui olim in Bibliotheca Auguſti viſebatur, multo antiquiſſimas eſſe ſtatuas nemo paullo eruditior inficiabitur. Quid? quod duo ſtatuarum millia expugnatis Volſiniis victores Romanos Romam aſportaſſe ſcriptum reliquit idem Plinius (Loc. citat.) antea a nobis commemoratus. Jam vero *Tyrrhena Sigilla* ſummo in pretio habita quis ignorat? Quis Etruſca vaſa, quorum prope incredibilis numerus adhuc ſupereſt, non vidit? quis ſimul ac vidit non probavit? quis non ſuſpexit? quis, ſiquidem comparare potuerit, ea ſibi parare neglexit, ut propemodum in hujuſmodi operibus ex argilla ſcite eleganterque effictis, neque Rhodia, neque Samia nunc magnopere vaſa requiramus.

V. Architecturam vero & impenſe admodum ab Etruſcis excultam & maxima cum Italici nominis gloria propagatam nemo dubitabit, qui apud Livium (Dec. p.1. lib.1.) legerit, Tarquinium Regem Romanorum *Fabris undique ex Etruria accitis* magnificentiſſimam ædem Jovi Capitolino ædificandam curaſſe. Atria porro, quæ dicuntur, ſic fuiſſe appellata *ab Artriatibus Tuſcis*, qui ea primum invenerunt, ſi a Varrone (De Ling. lat. lib. IV.) tantum indicatur, id ipſum expreſſe a Diodoro Siculo, & luculenter docetur. (Hiſt. lib. V. cap. IX.) *Domorum*, inquit, *quoque porticus ad*

*ad avertendum turbæ ſervorum , & clientum ſtrepitus , & moleſtias percommodas Etruſci invenerunt* . Nam quid poſtremo dicam de *Ordine* illo in Architectura veſtro , qui primus a me commemorari debuit , qui omnium antiquiſſimus habetur , qui veſtrorum præſtantiam ſatis unus Architectorum ſuperque declarat. Facile enim fuit conſtituto veſtro hoc *Ordine* , tanquam firmamento aliquo reliquorum ac fundamento , multa addere ac ſuperſtruere , quibus major ædificiis dignitas atque amplitudo conciliaretur.

VI. Sed omiſſa tandem antiquiſſimorum indagatione monumentorum ad tempora noſtris propriora veniamus ; atque ad illam præſertim ætatem , quæ , barbarie exacta , ſingulari Superum munere conſecuta eſt , & magno ac ſingulari Italiæ noſtræ , & Europæ etiam univerſæ bono , cum litteris , tum etiam his ipſis artibus , de quibus dico , adeo exſtitit ſalutaris. Hic vero quanta lux nobis ex vetuſtiſſimarum rerum caligine emerſis oboritur ! quantus ad laudem atque ad Italiæ noſtræ decus ſplendor effulget ! Deus immortalis ! Tantumne Italorum ingeniorum valuiſſe præſtantiam ? tantumne conari ? tantumne efficere ? tantumne denique perficere potuiſſe ? ut omnia ab horrida , inculta , incondita , barbara pingendi , ſculpendi , architectandi ratione , ad cultum , ad elegantiam , ad venuſtatem , ad perfectionem ipſam abſolutionemque prope momento temporis revocarentur. Quis unquam cre-

credidiſſet invectam barbariem, quæ nōn annos, ſed plura ſæcula incredibili cum bonarum artium pernicie tenuerat, quæ ubique gentium inoleverat, quæ omnium artificum animos occuparat, quæ ingenium perverterat, quæ iis rationem omnem ademerat, quæ artificia omnia corruperat, & peſſimum in modum depravarat, quæ denique erat hujuſmodi, ut actis quam altiſſime radicibus, & diutiſſime confirmata tyrannide, nulla extirpari funditus vi, nullo exigi modo atque eliminari poſſe videretur, tam cito a noſtris fuiſſe hominibus extirpatam, exactam, exterminatam?

VII. Nam quod unquam per ea tempora excitatum ſive in Italia, ſive extra Italiam ædificium fuit, quod, ut priſcorum requireret ingenium, ita eorum, qui conſecuti ſunt, ignorantiam non argueret Architectorum? Græci ipſi artifices, qui in Italia noſtra conſederant, a majorum ſuorum veſtigiis aberrantes, nihil præter unam ſuis in operibus fatuitatem tanquam magiſtram ſequebantur ac ducem. Signa vero, quid tandem hominis ſimile habebant? ut trunci verius informes, quam ſimulacra dici poſſent. Picturæ cum ſtatuis ipſis deformitate certabant. Conſecuta poſtremo eſt Gothica ædificandi ratio, quæ magnum quiddam prima ſpecie portendere videbatur. Sed hæc quoque incondita, barbara, abnormis erat; &, quod dolendum eſt magis, ſumptuoſiſſima in Italia noſtra ædificia dehoneſtavit, quæ ingenti molitione inchoata nondum abſo-

ſo-

ſoluta ſunt, nec vero in poſterum abſolventur. Nam quid ſibi creberrimi ornatus illi volunt? quid illa prope in immenſum producta gracilitas columnarum? quid celſiſſimæ illæ pyramides? quid frequentes illi receſſus, & quaſi ſtatiunculæ? in quibus puſilla ſigna, tanquam pumiliones, in excubiis collocata ſunt, aliaque hujuſmodi, quæ rectus atque intelligens ſenſus omnino reſpuit atque averſatur. Quanquam hunc ædificandi morem Gothicis Architectis, qui illum primi in Italiam invexerunt, aliquo modo poſſim ignoſcere. Nam cum habenda eſſet ratio nivium, quæ in Septemptrione magna copia decidunt, angulos illos acuminatos non ſine aliqua ſollertia ad eum finem eoſdem excogitaſſe arbitror, ut, nive ſponte ſua tectis decidente, exagerata ejuſdem copia tecta ipſa ne opprimerentur. Angulos porro illos ea conſecuta ſunt, quæ diximus ab omni recta ratione aliena prorſus atque abhorentia. Noſtris vero Architectis ignoſcere quis tandem poſſit? qui eandem ædificandi rationem ſecuti, non viderunt, quod in Septemptrione neceſſarium erat præcavere, fuiſſe prorſus in Italia noſtra ſupervacaneum.

VIII. Quod vero illorum temporum, de quibus dico, ignorantiam atque barbariem coarguit & condemnat etiam magis, illud eſt, quod vetera, quæ ætatem utcumque tulerant, & adhuc pulcherrima ſupererant monumenta non ſolum non probabantur, ſed etiam contemnebantur. Nemo in ea oculos intendebat,

bat, perinde quaſi digna non eſſent, quæ non dicam ſuſpicerentur, ſed ne aſpicerentur quidem. Nemo miſeris ſubveniebat, ſed perdenda imperitiſſimorum iniquiſſimorumque hominum injuriis relinquebantur. Jacebant paſſim in foris ac triviis nullo nomine atque honore; jacentia inſederat ſitus, & ſquallor occuparat. Deliteſcebant multa ruinis conſepulta, quod perinde erat, ac ſi prorſus intercidiſſent. Nemini cura fuit diſperſa colligere, collectis ſitum atque ſquallorem abſtergere; multo autem minus conſepulta effodere, atque in lucem conſpectumque proferre. Hæc erat illis temporibus harum artium luctuoſa plane ac miſeranda conditio; cum tandem aliquando experrecta Italorum virtus fuit, & ſe ad ſe ipſam, hoc eſt ad præclara majorum ſuorum exempla revocavit. Non tulit tantam diutius cum tanto Italici nominis probo atque dedecore regnare barbariem; excutiendum omnino duxit immaniſſimæ tyrannidis jugum, ſuiſque de cervicibus depellendum. Bellum igitur cum infando ac teterrimo monſtro ſuſcepit acerrimum; inſtitit, urſit, perſeveravit; nec remiſit, quoad uſque illud abjectum prorſus attritumque novo quodam nobiliſſimi triumphi genere debellavit.

IX. Quo loco quid primum mirer? quid poſtremum ſuſpiciam? quid potiſſimum prædicem? Tantumne monſtrum tam brevi tempore fuiſſe Italorum virtute profligatum? tam cito a noſtris hominibus

res a miſerrimo ac deterrimo ſtatu ad optimum eſſe florentiſſimumque traductas? Fuerit illud Italicæ humanitatis harum artium vaſtitate commoveri, tot præclariſſimis veterum artificium monumentis ſubvenire, diſperſa colligere, conſepulta effodere, atque effoſſa cuſtodienda in poſterum ad exemplar imitationemque curare. At quantæ laudis eſſe dicam, quam eximiæ, quam ſingularis tantam difficultatem, quanta his in artibus non reſtituendis ſolum, ſed abſolvendis etiam perficiendiſque occurrere neceſſario debuit, tam brevi tempore a noſtris fuiſſe hominibus ſuperatam? Fierine potuit, ut ſtatim in reconditiora quæque harum artium adyta penetrarent, atque optimam ex optimis exemplaribus imitando formam exprimerent? Atqui quod fieri potuiſſe credi vix poteſt, hoc effectum reipſa fuit. Nec vero longum temporis ſpatium, ſi præſertim maximam hujus rei difficultatem metiamur, interceſſit, cum ad harum artium magiſtros, ac quodammodo parentes, Bonarotam veſtrum, Florentini, & Raphaelem Sanctium Urbinatem ventum eſt, qui divina quadam ingenii habitudine præditi latum atque illuſtrem harum artium ſtudioſis laudis aditum aperuerunt.

X. Ab hoc aditu laudis patefacto dici non poteſt, quam multi ſubito his in artibus excellentiſſimi proceſſerint artifices, qui longa ſerie alii alios exceperunt. Hinc illi Baſſani, Vagæ, Julii, Guidi, Zampierii, Sartii, Caraccii, Guercini, Barocii, uno verbo innumerabiles,

biles, quos ne ineptam vulgaris eruditionis famam captare videar conſulto prætereo. Hinc illæ, quas vocant, *Scholæ*, Etruſca, Romana, Bononienſis, Veneta, quæ totam quam longe lateque pertinet Italiam occuparunt, ex quibuſque tanquam ex equo illo Trojano, quot artifices prodierunt, tot in ſuo genere ſive Pictores, ſive Sculptores, ſive Architecti meri principes exſtiterunt. *Scholarum* porro varietas miram in Pictura maxime varietatem invexit. Alii aliam in pingendo rationem ſecuti ſunt, ſed omnes in ſua excellentiam conſecuti ſic, ut nemo intelligens Pictores noſtros ſimiles velit; & omnes in diſſimili excellentiæ genere non diſſimili laude dignentur. Quod eo maxime ſpectat, ut in tanta commentandi, diſponendi, colorandi, exprimendi, ac tam varia ratione Italicum maxime eluceſcat ingenium, quod unum pene innumerabiles præclaras atque eximias ſpecies excogitare potuit, quæ ſic oculos ſua varietate delectant, ut difficile judicium ſit præcellentioris, ut ita dicam, excellentiæ. Qua etiam in re noſtri artifices voluiſſe mihi videntur naturam ipſam harum artium magiſtram æmulari, cujus mira fœcunditas non in diverſo ſolum genere multa creat, ſed eodem diverſas in genere ſpecies formaſque gignit, tantaſque varietates tanta copia profundit, ut eas attentius contemplanti difficilis ſit potioris electio venuſtatis.

XI. Jam quid hic ego dicam, Florentini, dignum

tanta laude, dignum innumerabili excellentium artificum copia, dignum majeſtate ædificiorum, elegantia picturarum, venuſtate ac veritate ſignorum, dignum denique tot clariſſimis celeberrimiſque monumentis, quibus Italia noſtra diſtinguitur, & collucet univerſa. Hic omnia nobiliſſimis Architecturæ, Picturæ, Sculpturæ operibus illuſtrantur; omnia noſtrorum artificum his in artibus ingenium docent; omnia ſollertiam præſtantiamque declarant. Etenim ecqua urbs in Italia, ecquis locus adeo ſepoſitus reperitur, qui non aliquo hujuſmodi monumento nobilitetur? qui propter hoc ſolum, ſicut olim Theſpiæ ille, cæteroquin obſcuræ atque inacceſſæ ob unius eximium Veneris ſimulacrum adeundæ omnino erant, ita adeundus & a noſtris, & a peregrinis non ſit? His monumentis redundat Roma, his eſt ſtipata Bononia, his refertæ Venetiæ, his ditata Neapolis, his plena Mantua, his aliæ aliis Italiæ noſtræ in partibus urbes locupletatæ.

XII. De hac vero ſingulatim urbe quid ego loquar? Hic viæ, fora, templa, ædes & publicæ, & privatæ, ſignis, tabulis, magnificentiſſimis Architecturæ operibus nitent. Hic harum artium primordia, rudimenta, progreſſiones, incrementa conſpiciuntur. Hic earundem perfectio cernitur atque abſolutio. Nullum exitum haberet oratio mea, ſi hac una tantum in urbe conſiſteret; & ſingula, quæ hic admirationem conciliant, perſequi vellet. Nam quis picturas vel in fron-

fronte privatarum ædium conſpicuas colligat? quis ſtatuas laudatiſſimas numeret? quis ædificia recenſeat hic a Bonarota, a Vaſario, ab Ammannato, ab aliis conſtructa? Muſæum autem hoc veſtrum tot inſignibus tabulis, tot probatiſſimis ſignis tum antiquis tum recentioribus, tot gemmis tum inſculptis tum exculptis, tot operibus ex ebore, argilla, cera, gypſo effictis confertum atque ſtipatum, cui tandem pulcherrimarum hoc in genere rerum vel copioſæ & exquiſitæ collectioni non anteferendum putabimus? Uno illo conclavi, in quo omnium excellentium Pictorum effigies ſua ipſorum manu expreſſæ cernuntur, quæ non exquiſito ſolum nos artificio capiunt, ſed etiam cognitione formarum incredibiliter tenent, poteſtne quidquam ad dignitatem illuſtrius, ad ornamentum ſplendidius, ad incitamentum acrius uſquam gentium inveniri?

XIII. Verum ut modum in oratione, ita in præſtantiſſimorum commemoratione operum video mihi delectum eſſe adhibendum. Itaque multis prætermiſſis pauca quædam, quæ in hujuſmodi operibus, ego met, non intelligens quidem, quemadmodum ab initio profeſſus ſum, ſed ut non omnino fortaſſe ſtultus alieni artificii æſtimator animadverti, recte an ſecus, vos judicabitis, indicabo. Atque ut ab Architectura initium capiam, porticus certe, theatra, amphitheatra, circi, thermæ, ædes ſacræ, quanto ſplendore, quanta laxi-

tate, quantis ſumptibus ab Romanis conſtructa fuerint Imperatoribus, ipſæ, quæ tantorum operum reliquiæ ſuperant, ſatis aperte declarant. Jam ſi ego tot tantiſque ædificiis unum Vaticanum templum opponam, quis tandem erit, qui me reprehendendum putet, quaſi parva magnis audeam comparare? Verum ut priſcorum & numero & ſplendore ædificiorum unum hoc obruatur ædificium, num vel ſola novitate atque amplitudine tholi in illorum contentionem venire non poterit? Nam quid ſimile unquam tota ſuſpexit Antiquitas? quid unquam ſimile excogitavit? quid conata eſt? quid perfecit? Exhorruit enim vero Roma cum Pantheon illud ſuum opere teſtudinato magnificentiſſime ab Agrippa conſtructum, & adhuc ſuperſtes, ſuo loco, ut ita dicam, dimotum, a fundamentis avulſum, atque editiſſimis Vaticani templi fornicibus impoſitum vidit. Ut primum tantæ rei, tam novæ, tam inuſitatæ, tam ſingularis populo Romano ſignificationem Bonarota dedit, ea continuo rejecta fuit, ac prope convicio repudiata. Nam quis hominem conari nunc atque audere poſſe exiſtimaſſet, quod nec olim Romani Imperatores conati, nec ante hos auſi eſſent Ægyptii Reges, quod humana nunquam tentaſſet audacia, quod humanam ipſam ſuperare facultatem videretur? Verum, quod nec Romani Imperatores conati, nec Ægyptii Reges auſi erant, quod humana nunquam tentarat audacia, quod hu-

humanam ipſam ſuperare facultatem videbatur, quod ſimul atque indicatum continuo rejectum, & convicio fuerat repudiatum, reipſa confectum eſt. Inchoata alacriter immanis molitio, ſtrenue producta, atque ad abſolutionem uſque feliciter perducta fuit; & templo Vaticano impoſita immenſa moles opere concamerato, & ad Pantheon teſtudinis effigiem conſtructa, nec diametro contractior, ſed altitudine multo editior atque ſublimior.

XIV. Succedat Picturæ Architectura. Atque hic, quam vellem, ſi fieri poſſet, excitati ab inferis Polignoti, Timantes, Prothogenes, Apelles adeſſent, & vel unius Raphaelis tabulas conſiderarent, inſpicerent, contemplarentur, de iiſque, ſepoſito partium & patriæ ſtudio, judicium ferrent. Poſſentne quidquam in tanto Pictore requirere, qui ipſam non imitari, ſed æmulari, ſed emendare propemodum naturam viſus eſt. Sileo numerum prope infinitum tabularum, quæ ab uno homine tam brevi tempore, (neque enim ultra triceſimum ſeptimum ætatis annum vitam propagavit) profecta ſunt, vix ut a plurimis artificibus non dicam perfici, ſed ne mente quidem concipi propemodum, atque informari potuiſſe videantur. Harum porro tabularum venuſtatem, elegantiam, abſolutionem verbis quis aſſequatur? Deus immortalis! quæ colorum varietas! quæ pigmentorum temperies! quæ convenientia partium! nexus! proportio! quæ habi-

tudo membrorum! quæ dignitas ac pulcritudo formarum! Hic vero quem Zeuxim, quem Apellem, quem Polignotum, quem Timantem deſideres? Celebratur jure Coa Venus, quæ ad ſe totius antiquitatis oculos attraxit, admirationemque convertit. Crotonienſis item Helena non minus jure prædicatur, in quam unam omnem muliebris formæ pulcritudinem Zeuxis contulit. Sed quæ tandem cum Raphaele noſtro comparatio? qui tot ac tanta hujuſmodi formarum tanto artificio ac varietate a ſe expreſſa reliquit exemplaria, ut quod ille in unam Helenam contuliſſe dicitur, hic in omnes hujuſce generis, quas prope innumerabiles pinxit, formas, ita partitus ſit, ut omnia omnibus tribuerit, quin ſingulis elegantiæ quidquam ac venuſtatis ademerit. Quid vero illa, quæ in ejus tabulis mirifice nos capiunt atque delectant, ad amœnitatem a peritſſimo artifice voluptatemque quæſita? & pratorum amœnitas, & viriditas arborum, & fugientium montium aſpectus multo jucundiſſimus, & flores, & fontes, & ſtagna, & minima quæque ſubtiliſſime excogitata, elegantiſſime perfecta, quæ per tempus inveſtigare, & contemplari non licet; nihil ut in eo ſit non ſollerter inventum, non elaboratum ingenio, non exquiſito quodam ac plane ſingulari artificio abſolutum.

XV. At enim in Pictura, cujus tabulas nobis vetuſtas invidit, inſtitui recte contentio non poteſt. Audio. At

ſi in

ſi in Pictura non poteſt, in Sculptura certe poteſt. Superſunt, adhuc, ut alia multa, Glyconis, Apollonii, Ageſandri, Polydori, Anthenodori probatiſſima ſigna; unus, & alter Hercules, & Laocoon cum filiis Romæ ante omnium oculos verſantur. Quid ergo? num igitur in horum contentionem venire non poterunt & ſedentis Moiſis, & ſtantis Chriſti Salvatoris ſigna eadem in urbe ſummo artificio a Bonarota ingenioque perfecta? Quis non æque in his, atque in uno & altero Hercule robur quoddam ac granditatem non miretur? quis in magnitudine ac dignitate membrorum neſcio quid molle ac delicatum non ſuſpiciat? quis denique ſenſum quodammodo requirat ac ſpiritum? Unus Laocoon præcipue fertur, & omnibus veterum Sculptorum probatiſſimis ſignis meritiſſimo antefertur. Nihil eſt, quod fieri artificioſius poſſit; vis in eo ſigno, motus, robur, niſus membrorum omnium & artuum, & ab extremis pedum articulis, & imis unguibus ſummum ad uſque verticem contentio, affectus denique doloris, cruciatus, horroris mirabiliter expreſſi ſunt. Sed miram hanc affectuum expreſſionem, quæ eo in opere una maxime eminet, cui tandem harum rerum vel prorſus ignaro non exhibebit, Deiparæ ſtatua Chriſti cadaver genibus ſuſtinentis ab eodem Bonarota perfecta, plena acerbiſſimi luctus, plena triſtiſſimi deſiderii, plena pietatis, a qua etiam nomen invenit? Nihil dicam de elaboratiſſimo Chriſti

cor-

corpore, de affectuum expreſſione loquar. Tantum hoc ego ſignum illi præſtare arbitror, quantum impotenti atque exaggerato dolori ſummus præſtat cum dignitate ac modo dolor. Quidquid in quaque re exaggeratum eſt, ut facilius ab Oratore, & Poeta effertur, ſic non admodum difficulter tum a Pictore tum a Sculptore repræſentatur. Cæterum ſignum hoc eſt hujuſmodi, ut auctore Vaſario in primis idoneo quidquam perfectius efficere ars ipſa deſperet. Itaque vere mihi videor affirmare poſſe de tanto viro, qui has artes unus devinxit, idem Pictor, idem Sculptor, idem Architectus, atque idem unus in his omnibus habitus propemodum Deus, unum propterea jure ac merito eſſe omnibus anteponendum. Si opera excellentiſſimi hujus artificis vel ſingula conſideres, quem *Canona* Polycleti deſideres? Dignitas, majeſtas, amplitudo, affectus, vis, motus, ſenſus, *proportio*, compoſitio, conſtitutio, venuſtas, elegantia, veritas, ratio adumbrandi, delineandi, pingendi, ſculpendi, architectandi, omnia denique ab eodem uno peti poſſunt, in quo uno perfecta ſunt omnia, & *Canonis* inſtar abſoluta.

XVI. Jam ſi a virili exculpta forma, in qua dignitas eminere debet, ad muliebrem, in qua venuſtas præcipue dominatur, aciem intendamus, ecquis eſt, qui oculos a veſtra hac Venere Medicea, omnium intelligentium linguis ac præconiis celebratiſſima verecun-

recundiæ cauſa cum averterit, libentiſſime eoſdem ad miram S. Bibianæ Statuam, quæ Romæ in ejus Æde conſpicitur, a Bernino elaboratam non convertat? Non indulſit ille quidem in eadem fingenda nudi corporis venuſtati, quam ſacrum caſtiſſimæ Virginis reſpuebat ſimulacrum; ſed non minus certe in illud ingenii contulit atque artificii ſic, ut perfecto tam admirando ſigno tantum a ſe proficiſci opus potuiſſe auctor ipſe vix crederet. Et vero opus hoc dignum eſt, quod ſemel, iterum, tertio, & eo ſæpius inſpiciatur, ac diutius conſideretur. Quæ conſtitutio totius corporis! quam apta, quam decens, quam venuſta! quæ dignitas oris! quæ pulcritudo! neſcio quid non humanum, ſed cæleſte ac prope divinum ſpirantis. qui ſinus veſtium, corporis habitudini conſentientium! quam exquiſito artificio elaborati! qua exſtantes, qua recedentes, qua complicati, qua explicati, & elegantiſſimo nodo infra pectus conſtricti; quæ denique omnium convenientia partium! ut ſingulæ in unam operis plane ſingularis abſolutionem mirifica quadam ratione conſpirent. Quo exemplo monendi, atque adeo corrigendi mihi ſunt & Sculptores & Pictores, qui ſive errore quodam, ſive, ut ego arbitror, artis inopia, nudo corpori fingendo intemperantius, & vero etiam inverecundius perinde indulgent, quaſi aliter elucere ingenium, & eminere auctoris artificium non poſſet.

XVII. Quod ſi hic me quiſquam Mediceæ Veneris ſimulacro commonitus, ad elegantem muliebris nudi corporis conformationem, quam religione nulla de induſtria captabant Veteres, provocare non dubitet, (quanquam hoc prima ſpecie ab oratione mea abhorrere videri poſſit) provocationem tamen non recuſabo; atque hoc quidem in genere ſignorum tale exhibebo ſpecimen, quod & pudica oratio non reſpuat, & ſit hujuſmodi, quo excellentius nihil nec exhibuit, nec vero exhibere unquam cogitavit Antiquitas. Magnum certe quiddam eſt exprimere fœminei corporis venuſtatem, imitari naturam, & teretum conformatione membrorum, & delicata ac molli totius corporis habitudine. Sed multo certe majus aliquid efficere mihi videretur is, qui illa duo mihi ſciret ita componere ac temperare, ut quantum in nudo corpore fingendo arti ſerviat, tantum pudori conſulat ac verecundiæ. Hoc qui aſſequatur, vel fuerit aſſecutus, eum ego non cum ſummis artificibus comparo, ſed unum hac in arte ſummum duco. Atque hoc meo quidem judicio unus poſt hominum memoriam eſt aſſecutus Algardius in illo ſuo plane admirando, & prorſus hoc in genere ſingulari Sanctæ Agnetis a militibus ad lupanar deductæ ſimulacro, in quo eximiæ in nudo corpore pulchritudini, & promiſſo capillo, & brachiis ſupra pectus decuſſatis, & oris ad modeſtiam compoſiti dignitate tantum adjunxit

xit pudoris, tantum addidit verecundiæ, ut & Virginem agnoſcas, & Sanctam venereris.

XVIII. Quanquam quid eſt, cur in præclariſſimorum commemoratione operum, aut diutius immorer, aut immorer ſic, ut in ſingulis, comparationem mihi eſſe inſtituendam putem? Sunt enim quædam tam acute, tam ſollerter excogitata, tanto artificio perfecta, ut de iis nulla etiam adhibita comparatione ferri judicium poſſit. Horum porro de genere, quam multa, quam præclara, quam eximia, ea intentius obſervantibus, noſtris in artificibus occurrunt! Locanda erat in auguſtiore auguſtiſſimi Vaticani templi loco Petri Cathedra, & locanda ſic, ut tantilla res & inſigniter emineret, & loci majeſtatem atque amplitudinem adæquaret. Locavit Berninus, & ære atque auro ad dignitatem inculſam, & quatuor principum Catholicæ Eccleſiæ Doctorum mani bns ad operis coagmentationem ſuſtentatam, & parem areæ amplitudini fecit, & opus longe difficillimum tota plaudente Roma incredibili felicitate perfecit. Quid? minimæ molis Obeliſcus, qui Romæ conſpicitur, quanta cum ingenii ſagacitate Elephantis dorſo impoſitus ab Architecto fuit? Quid? ille hic apud vos Mediceus fons a peritiſſimo artifice excogitatus, quem neſcio an omnes attentius obſervent, ut d ignus eſt! qui & atattentius obſervetur, & maximopere ſuſpiciatur. Nam quo conſilii ſui rationem conferret artifex, cui conſtituen-

ſtituendus Medicea dignus magnificentia fons proponebatur, & aqua ad magnificentiam fonti conciliandam non ſufficiebatur. Admiramini cogitatum acuminis & ſollertiæ pleniſſimum; Nympha ænea e labro æneo eximia pulchritudine emergit, & remotos a tergo, & ante pectus collectos fluentes capillos utraque manu in pugnum conſtricta comprimit, & inde aquulam, quæ una ad tantum opus ſuppetebat, ſive potius aquæ guttas e capillis rorantes exprimit. Quid? quod interdum artifices noſtri ſummas ſe ſponte ſua in anguſtias conjecerunt, & ab iis ſtudio eſt quæſita difficultas. In illas ultro ſe conjecit, & hanc in celeberrimo Farneſiani ædificii *Pentagono* de induſtria quæſivit Vineola, & ſe ab anguſtiis mirandum in modum expedivit, & difficultatem feliciſſime ſuperavit. Quid plura colligam? quæ vos hac in urbe harum rerum affluentiſſima colligere per vosmet ipſi poteſtis, &, ſi ſtudium ac ſagacitas adſit, animadvertere.

XIX. Hic vero, ne exteras nationes, quas in tantæ ſocietatem laudis jam inde ab initio admittere non recuſavi, prorſus videar negligere, quid ego dicam aut ſentiam de externorum artificium his in artibus excellentia? Ut ego magnam iis laudem tribuam, quæ meritiſſimo eorum bene multis debetur, quî potero tandem noſtros exteris non anteferre? Non irrogabo iis, opinor, injuriam, ſi dicam id, quod ipſi ſatis apertis indiciis oſtendunt, & vero etiam ultro fatentur.

tur. An putatis tantos externorum hominum in Italiam quotidie concurſus fieri potuiſſe, niſi ſummam de noſtris hominibus his in artibus exteri opinionem imbibiſſent; niſi perſuaſum haberent hic apud nos vetera tum Græcorum, tum Latinorum aſſervari monumenta, hic quidquid reliqui vetuſtas fecit cuſtodiri, hic alternantem harum artium fortunam notari, hic recentiora præſtantiſſimorum artificum opera ſuſpici, Italiam denique unam pulcherrimis rebus omnibus abundare, unam affluere, unam eſſe dignam, quæ præteritis totius vel cultiſſimis nobiliſſimiſque Europæ regionibus viſatur, & tota iſtarum præſertim rerum gratia perluſtretur. Ecquis exſtitit vel noſtra, vel patrum noſtrorum memoria, paullo excellentior externus ſive Pictor, ſive Sculptor, ſive Architectus, qui ſibi harum artium diſcendarum cauſa Italicum iter ſuſcipiendum non putarit? Ecquis, qui in Italia non fuerit, qui totam non obierit, qui noſtra in primis exemplaria ſibi non inſpicienda, ſibi attentius conſideranda non duxerit? quis, qui illa non probarit? quis, qui in illis abſolutam excellentiæ formam non ſuſpexerit? quis denique, qui ad illa ipſa exemplaria aut ſe primum fingendum, aut emendandum non exiſtimarit. Nemo certe externus artifex excellens inter ſuos habetur, qui Italiam non viderit, & prorſus Italicæ ſit expers diſciplinæ. Non loquor de iis, qui patriam obliti, ibi ſtabilem ſibi delegerunt ſedem

dem, ubi ſuam has artes ſibi fixiſſe ſedem domiciliumque cognorant. Hos enim non exteros, non peregrinos, ſed domeſticos, ſed Italos exiſtimare debemus. His igitur omiſſis; ſi de reliquis ſermo inſtituatur, quid eſt, quod fere in eorum vel laudatiſſimis operibus aliquid intelligentes requirunt, quod in noſtris generatim atque univerſe nequaquam deſiderant? niſi quia excellentiam ipſam nec ſemper, nec omnino aſſequantur. Molliora ſunt noſtrorum ſigna Sculptorum, rigidiora exterorum. Pictores noſtri magis fere, quam exteri, ad rerum, quas exprimunt, veritatem, accedunt, & neſcio quid elegantiæ non nimium exquiſitæ in eorum tabulis elucet, ut prope ſoli illud, *quod ſatis eſt*, ſubtiliſſimo ſentire judicio videantur.

XX. Excerpam ab numero exterorum eximios in Pictura duos, qui Raphaelem, & Titianum æmulari viſi ſunt, & vero proxime ad tantorum Pictorum excellentiam acceſſerunt. Et primus quidem elegantiſſimam ceteroquin tabulam, opinor, emendaſſet ſuam, ſi veſtri Joannis a Sancto Joanne exhibitum Chriſto poſt quadraginta dierum jejunium eſurienti apparatiſſimum vidiſſet convivium; nec certe quidquam, præter pauculos fructus multo flore conſperſos, atque hydriam aquæ, ad tantam abigendam famem apposuiſſet. Contra vero noſter captata opportune a diuturnitate jejunii, & miniſterio Angelorum

rum occaſione quam multa! quam varia! quam ſolerter! quam ingenioſe! ad ſplendidum non ſolum convivii apparatum excogitavit, ſed ad ipſum etiam exhilarandum convivium feſtiviſſime appoſuit. Quæ ſedulitas in cæleſtibus Geniis! quæ trepidatio! qui motus! qui diſcurſus! Cernas alios alia fercula apponentes, alios aliud Chriſto exhibentes officium. Nihil horum in ea, quam dixi tabula; aliquot quidem appinguntur Angeli quorum unus ad Chriſti latus, alter ad pedes, ſed, ut apparet, nequaquam de miniſterio exhibendo ſolliciti, ſed eo prope habitu efficti, ut Chriſti potius eſuriem miſerantes credas, quam de aliquo tantæ inediæ afferendo ſolatio cogitantes. Quod defectu errat in hac, idem, ut ego ſentio, exceſſu peccat in alia tabula, in qua ad deponendum de cruce exſtincti Salvatoris corpuſculum non minus quam ſcalas quinque cruci admovet, quas certe eo numero illud opus minime videtur requiſiviſſe. Quanquam his ipſis in tabulis, quas hic commemoravi, & præſertim in ſecunda plane admirandus eſt. Sed ut in pulcherrimo corpore nævus inſignius eminet, ita in egregia tabula ſi quid peccatur, acrius intuentium percellit aciem. Verum ego de tanto, ac tam eximio Pictore loquens nimis fortaſſe progredior. Sed ignoſcet, opinor; ea noſtrarum artium cognatio eſt, ut ſicuti de populo quivis judicare de Oratore, ita ferre de Pictore judicium poſſit. Devorandæ nobis infinitæ imperito-

rum hominum ſtultitiæ ſunt, quorum ad numerum ſi me quoque volet adjungere, non repugnabo, & æquo animo feram.

XXI. Alter vero, quem indicavi, natione Belga, inter ſuos princeps eminet, atque adeo inter noſtros etiam, ſi non princeps, certe in primis emineret. Et vero ſummus Pictor eſt, grandis eſt, magnificus eſt; ſed idem neſcio quid efferatum ſuis in tabulis interdum ſpirat. Quid? quod rerum, quas repræſentat, exaggerationi nimium videtur indulgere. Tam immanem in egregia cæteroquin tabula Chriſti humeris truncum imponit, ut eum profecto vix duo valentiſſimorum hominum paria, totidem enim appingit, ſuſtinere ſufficiant; nec tantum certe pondus unus Chriſto ſuffectus ferre Cyrenæus potuiſſet, quin tanta immanitate trunci obteretur. In altera vero tabula, quæ crucis ipſis erectionem repræſentat, ſibi quidem conſentit, ſed hic etiam neſcio quid exaggeratum exhibet, quod exſtantium muſculorum niſus ſatis aperte projectusque declarant. Quorſum hoc in opere tanta contra veritatem molitio? machinatio tanta? quem ad finem, niſi forte, ut qui vitari debuit error, emendaretur, tanti, tamque expreſſi pro diverſo contendentium niſu, tororum ſive abſceſſus, ſive exceſſus? quales exſtare potuiſſe vix crediderim in Crotoniatæ Milonis corpore, cum in ſtadium proceſſit vivum humeris ſuſtinens bovem. *Pictoribus* utique *atque Poetis*

*Quid-*

*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*. Sed eatenus, arbitror, quatenus veritas, & certum judicium patiatur, non arbitrium ſuggerat atque temeritas. Sed hic quoque exorandam mihi video eſſe veniam, ſi temeritate quadam provectus de tanto Pictore loquens meam ſim auſus fortaſſis inepte ſententiam interponere.

XXII. Verum, ut ad noſtrorum præſtantiam artificum regrediar, quem tandem finem haberet oratio, ſi multa, quæ reſtant, perſequi vellem? Reſtaret ut de Arte *Fuſoria*, de Opere Vermiculato, de Plaſtica, de Toreumatis, de Gemmis, de Coagmentatione ſegmentorum dicerem, quæ quidem omnia vel prolixa extra modum capere nequaquam poſſet oratio. Quanquam Ars *Fuſoria* a me commemorari in primis debuerat, nec valvæ illæ æneæ miro artificio a cive veſtro elaboratæ præteriri, quas ut Bonarota vidit, cæli ipſius aditu dignas pronunciavit. Quanti vero illud artificii! quantæ ſubtilitatis eſt! gemmas ſive inſculpere, ſive exculpere, ut maculæ ipſæ, quas caſu natura gemmis illevit, conſilio ſervire cogantur ſic, ut inde erumpat apta ac decens forma, unde vix poſſe videbatur extundi. Atque hoc quidem in artificio noſtri ſic excelluerunt, ut cum priſcis artificibus comparari merito poſſint. Novi ego peritiſſimum artificem, qui ſubnigras maculas in gemma duas ita Bacchici capitis, quod e gemma exculpe-

re meditabatur, venuſtati ſervire fecit, ut inde nigricantis uvæ racemulos extunderet duos, qui utraque Bacchi tempora mirifice variarent atque diſtinguerent. Vermiculatum opus quam ad excellentiam evaſerit, hi norunt, qui Romana muſiva viderunt. De ſegmentis pretioſorum lapidum ad unguem committendis, deque hujus laborioſiſſimi artificii excellentia judicant quotquot ad hanc urbem intelligentes accedunt. Plaſtica vero, quæ tantopere ad ornatus parietibus inducendos valet, Raphaelis diligentia e veterum ædificiorum ruderibus emerſit. Prophyreticum marmor docile ſe veteribus artificibus præbuiſſe, eorum opera hoc ipſo in marmore elaboratiſſima declarant. Noſtris vero tandiu reſtitit, & ſcalprum reſpuens nullum admiſit ictum ad artis præſcriptum, quin ſcalpri vim plagam inferentis aciemque retunderet, donec noſtrorum artificum induſtria parere rurſus coactum eſt, & ratio inventa, qua, tanta duritie edomita, invictiſſimum marmor fingendum arti ſe iterum formandumque præberet. Sed finis ſit, quandoquidem ſatis multa diximus ad noſtrorum artificum his in artibus præſtantiam demonſtrandam, docendumque principatum.

XXIII. Verum ne in tanta domeſticorum commemoratione ornamentorum patriæ nimium caritati videar indulſiſſe; & ne quiſquam orationem hanc meam ad oſtentationem potius fuiſſe a me, quam ad utili-

tatem

tatem inſtitutam criminetur, de his ipſis artibus, ut ſe nunc habent, dicam, & quod ſentio, libere dicam, Florentini. Nam quid ſilentio prætercam? quid diſſimulem, quod recentia ædificia, quod ſigna, quod tabulæ, etiam tacente & diſſimulante me, ſatis docent, atque aperte loquuntur? Etenim ſive quod noſtri Artifices ab optimis exemplaribus oculos deflectere incœperint, ſive quod nunquam intermittendam delineandi contentionem ferre non poſſint, ſive quod novitatem quandam, quæ fere omnibus in rebus exitialis eſt, ſuis in operibus conſectentur, ſive alia paullo altius repetenda de cauſa, quæ infra indicabitur, certum eſt non parum eoſdem a priſtina excellentia his in artibus excidiſſe. Diſtortas nunc (generatim atque univerſe, & debita cum exceptione loquor) quaſdam cernere eſt, &, ut ita dicam, divaricatas ornandi formas in ædificiis, nulla apta & conſentienti deſcriptione partium; neſcio quid crudum in Pictura, auſterum in Sculptura, aliaque hujuſmodi notare licet atque animadvertere, quæ, quo loco apud nos hæ artes modo ſint, docent, earumque a priſtino dignitatis gradu in deterius prolapſionem ſatis oſtendunt.

XXIV. Quanquam, ut nunc exordia ſe dant, multo etiam deteriora licet in poſterum ominari. Etenim, rogo vos, Florentini, quo tandem has artes in Italia noſtra evaſuras proceſſu temporis arbitremini, ſi re-

ſi requiſitis ad earum abſolutionem aſſequendam præſidiis deſtituantur. Hæc ſi deſiderentur, eo iterum prolabantur neceſſe eſt, unde noſtrorum hominum diligentia evocatæ olim ingenioque emerſerunt. Optimis exemplaribus a majoribus noſtris ſummo ſtudio conquiſitis, & ad imitationem propoſitis vitam quodammodo hæ artes & ſpiritum debent, quæ ſi deſint, illud reliquum erit, ut iterum ſenſim deficiant, rurſus intereant, rurſus barbaries reviviſcat, ac dominetur. Iſta porro exemplaria quis eſt, qui non ſentiat in dies magis magiſque in Italia noſtra deſiderari? Quis eſt, qui, ſiquidem patria caritate moveatur, tantam jacturam non egre ferat, qui non lamentetur, qui ea hinc exportari, & alio importari cum videat, eorum abitum luctu propemodum ac lacrymis non proſequatur? Quotidie, luce ac palam, (non enim obſcura in re verſor, ſed in clara atque perſpicua) quotidie, inquam, noſtris ſignis, tabulis, columnis, marmoribus, aliiſque hujuſcemodi mercibus onerariæ ſtipantur, & opes illæ longe auro argentoque pretioſiores, quæ tantam Italiæ noſtræ dignitatem contulerunt, in externas terras regioneſque deferuntur. Verrinam illam onerariam *Cybæam*, de qua tam multa ſuis in Actionibus Tullius ille noſter contra impuriſſimum nequiſſimumque Siciliæ Prætorem & ſcripſit & queſtus eſt, quæ Siciliam totam pulcherrimis hujus generis monumentis ſpoliatam expila-

pilatamque reliquit, illam, inquam, Verrinam *Cybæam* maria iterum noſtra tranſmittentem, & noſtra alio nullo fine ornamenta aſportantem non ſine gemitu videre mihi videor. Jam externorum hominum domus, porticus, atria, conclavia, villæ noſtris ſignis, tabulis, marmoribus, columnis referta ſunt. Hæc ipſi popularibus oſtendunt ſuis, & non ſine Italorum probro, qui ea ſibi pretio deliniti auferri paſſi ſunt, oſtentant. Jam prope Italia noſtra his monumentis viduata eſt, quibus olim ſupra reliquas gentes abundabat, & una maxime ferebatur. Jam, ut olim Siculi Myſtagogi ereptis Ædium ſacrarum a Verre ornamentis ablatiſque ſignis & tabulis non habebant, quod advenis oſtenderent; ita noſtri *Cimeliarchæ* nihil prope nunc habent, quod alicujus pretii ſit, quod advenis harum rerum ſtudioſis, & viſendi cupidis oſtendant. Jam ut olim illi, ſic hi converſam propemodum habere coguntur demonſtrationem. Hic & illic egregium fuiſſe ſignum; hic aut illic excellentem extitiſſe tabulam; hic & illic pretioſam conſtitutam columnam; hæc vero, & alia hujuſmodi amplius non apparere, propterea quia navigarint jam, & in externas regiones conceſſerint. Loca vacua demonſtrabunt, baſes inanes oſtendent. Quid? cum docere adigentur advenas cauſam hujuſce inanitatis ſciſcitantes, tantam, non jam a Gothis, non ab Unnis, non a Vandalis, ſed ab Italis ipſis importatam fuiſſe vaſtitatem. Egregium enim vero

Italiæ noſtra decus, cum exteri ea a nobis negligi intelligent, quæ plurimi ab ipſis fiunt, & quæ tanto ipſi ſtudio ſibi conquirunt.

XXV. Non hæc ego dico, quo de exteris nationibus perinde conquerar, quaſi aliqua nobis ab iiſdem irrogaretur injuria. Angli enim præſertim, ut ſunt harum rerum acerrimi in primis indagatores, & inſpectores acuti, ſigna noſtra, tabulas, gemmas, vetera numiſmata incredibiliter concupiſcunt. Ea vero non ſolum coemunt, quod Prætor ille furaciſſimus & prædo nefarius non faciebat, ſed magno etiam pretio coemunt. Hoc ego non condemno, immo vero ſummopere laudo, ac vehementer probo. Ego ipſe, ſi externus eſſem, ſiquidem facultas ſuppeteret, idem mihi in optima merce faciendum exiſtimarem. Quod condemno, & nullo modo ferendum duco, illud eſt, quod pretioſiſſimam hanc mercem nos ipſi venalem exponamus, eamque ab Italia noſtra, nobis non modo non invitis, ſed ultro etiam offerentibus, atque adeo obtrudentibus, per ſummum dedecus, illecti pretio averti patiamur. Pro exigua admodum Raphaelis tabula duo aureorum millia ab Anglo perſoluta neſcio quis Italus cum audiſſet, tantam auri jacturam Anglo exprobrare non dubitavit, cui ille; *Aurum*, inquit, *inveniri*; *artifices vero*, *qui hujuſmodi tabulas perficerent*, *amplius inveniri*. Quo reſponſo Itali fatuitatem intelligens Anglus egregie retudit, & merita repræhenſione mulctavit. XXVI.

XXVI. Atque hac ego quidem ipſa de cauſa ſummam habeo Architecturæ gratiam, quæ opera ſua conſtituit ſic, ut loco moveri non poſſint. Diſpari, licet, domino dominentur, dummodo permaneant. Attentent exteri, ſi poſſunt, ædificia noſtra, & appoſitis ea machinis alio curent aſportanda. Utinam ſimilem habere poſſem & Picturæ & Sculpturæ gratiam. Sed Pictura fere telis opera ſua committit ac tabulis, quæ facile aſportantur, & dominorum arbitrio diſtrahuntur. Providum ſane eorum conſilium Pictorum fuit, qui maluerunt picturas ſuas parietibus, quam telis ac tabulis credere; ſed illud præcavendum omnino erat, ne ſub Dio expoſitæ aeris injuria delerentur, quod ii ſemper præcavere aut neglexerunt, aut neceſſitate adacti non potuerunt. Sculptura vero, cui cum marmore res eſt, ſibi quidem ipſa providit, ſed non uſquequaque providit. Statuæ quidem, deletis vetuſtate picturis, ad noſtra uſque tempora perdurarunt; quarum nonnullis ipſa ruina ſaluti fuit, & altius ſub terra conſepultæ tandiu in Italia perſtiterunt, quandiu eas ruina tutata eſt. Verum hæ quoque e ruderibus effoſſæ commune reliquis monumentis ſubire infortunium coactæ ſunt, ut propemodum majorum noſtrorum diligentia in apricum proferri nihil attinuerit, ſi is demum hujus diligentiæ exitus futurus erat, ut minorum interverti avaritia, atque alio extra noſtram aſportari Italiam debuerint. Quare exteri homines, ſi ha-

harum rerum ſtudio capiuntur, ædificia noſtra, noſtras tabulas, noſtra ſigna, per me licet, deſcribant, atque hoc ea modo ſecum in patriam deferant. Sed parcant picturis, parcant ſtatuis, & a noſtris monumentis abſtineant. Quod autem ad ſtatuas ſingulatim attinet, non exiſtimo earum gypſo inducendarum facultatem exteris facile eſſe artificibus impertiendam. Formæ enim hoc modo expreſſæ nihil differunt ab exemplaribus, nec iis quidquam de elegantia ac venuſtate concedunt. Atque hac quidem in re nimiam noſtrorum hominum liberalitatem non probo. Nam, prætterquamquod non minimum ſigna ipſa labefactantur, res hæc plurimum certe officit & noſtrorum artificum, & Italiæ ipſius rationibus, quibus primum, & multo potiori jure, quam exterorum commodo & ſtudio, conſulere debemus atque proſpicere. Contenti igitur exteri noſtris ſignis atque picturis delineandis deſcribendiſque ſint, &, ſi nos volemus, contenti erunt.

XXVII. At enim rei familiaris anguſtiæ interdum ad probroſas hujuſmodi venditiones noſtros homines adigunt. Verum quæ tandem erunt iſtæ rei familiaris anguſtiæ, quæ familias ipſas in majores conjiciant anguſtias? Conſumpta enim quam breviſſime corrogata hoc modo pecunia, in vacua his ornamentis domo rurſus egebit dominus, & ad majorem redigetur in dies egeſtatem. Atque ut fere connexæ calamitates ſunt, avitis omnibus ſpoliata amplitudinis inſigni-

gnibus nobilitate; & una ſimul opibus deſtituta, is tandem harum venditionum multo funeſtiſſimus erit exitus, ut illa a priſtino dignitatis gradu deturbata prope ad infimum vulgus provolvatur. Non hæc, meo quidem judicio, ratio eſt, quæ familiarum inopiam levet, earumque conſulat perpetuitati. Immoderata fere luxuries familias perdit; pernox alea integra ſæpe patrimonia conſumit; hæc, aliaque hujuſmodi voragines ſunt, gurgites ſunt, quæ infinitam auri vim exſorbent, quæ opes devorant, quæ denique faciunt, ut cum ſatis ad æs alienum diſſolvendum pecuniæ non ſuppetat, ſtatim de tabulis ſigniſque vendendis cogitetur. Exhauſtis iſta ratione opibus, & alio quo non oportebat, & quo fortaſſe minime decebat, derivatis, & neceſſario illæ conſequentur anguſtiæ, & aurum ad has artes alendas non ſuppetet, quæ ſolis potentiorum ac ditiorum opibus ſuſtentantur.

XXVIII. Quo loco artifices noſtros, qui nunc a priſtina excellentia deſciviſſe exiſtimantur, ſi re ipſa deſciverint, cogor abſolvere. Alia litterarum, atque harum artium ratio eſt; illas bene multi colunt, non inopia adacti, ſed una ipſarum cognoſcendarum cupiditate pellecti. Contra vero, qui his artibus ſtudent, & Picturæ præſertim dant operam, tametſi honeſto loco nati ſint, ea tamen cogitatione, ſive potius neceſſitate ad eam ſe conferunt, ut inde eis ſuppetat, quo & ſe & liberos alant ſuos; quibus ſi copia di-

vitum

vitum deficiat, aut prorſus de excellentia artis deſperent neceſſe eſt, aut certe ad ſummam redigantur inopiam. Nam quid magnifici ad ſplendidam Vitruvii normam Architectus meditetur, cui neceſſaria ad perficiendum ædificium pecuniæ vis nequaquam ſuppeditatur? Quid Sculptor dies noctesque in fingendo ad Polycleti *Canonem* ſimulacro inſudet, qui paucos vix obolos ab eo, qui ſimulacrum imperavit, queat exculpere? Quid tabulas Pictor ille vel Zeuxi aut Apelle dignus conficiat, ſi, venali propoſita tabula, aut emptores non inveniat, aut illam ad abjectiſſimam infimi pretii conditionem cogatur demittere? Quid faciant miſeri artifices in eas conjecti anguſtias, ut ſi quid lucrari velint, artis præſcriptis minime ſibi eſſe parendum ducant? Quid vero cum audiunt ſummam auri argentique vim in theatris, in conviviis, aliiſque hujuſmodi oblectamentis profundi, quæ liberalius utique liberaliſſimis his in artibus fovendis ſuſtendandiſque impendi & potuiſſet, & debuiſſet? Quid denique dicturos artifices putabimus? quam ſecum ipſos arbitrabimur ratiocinationem habituros? cum Muſicum uno laſcivientis voculæ lenocinio ingentem pecuniæ vim auferre, auro gemmiſque ditari vident; ſe vero negligi, contemni, opera perinde ſua deſpici, quaſi nullius pretii eſſent. Animum deſpondeant neceſſe eſt; valedicant arti, & curas alio ſuas cogitationeſque convertant.

XXIX.

XXIX. Verum, ut eo unde digreſſus ſum revertar, fac noſtros artifices non lucro aliquo, non ulla mercede, ſed ſolo harum artium addiſcendarum & excercendarum ſtudio moveri; quid tandem egregii, remotis atque alio aſportatis exemplaribus, efficere poterunt? Hic quoque unum de duobus reliquum erit, ut aut has artes omnino dediſcant, aut, ſi aliquod harum artium ſtudium fovebunt, eo ſit ipſis, quo optima artium ipſarum comportata fuerint exemplaria, neceſſario commigrandum. Has in anguſtias nequiſſimi, de quo ſupra mentionem fecimus, Prætoris injuria conjecit Siculos, quibus Romam contendendum fuit, ſubeunda Verris domus, luſtranda atria, porticus, horti, ſiquidem Deorum ſuorum ſimulacra ſibi turpiſſimi avaritia hominis nequitiaque erepta venerari voluiſſent. Idem, tametſi diſpari de cauſa, eadem tamen compulſi neceſſitate noſtri facere cogentur artifices, ſiquidem optima inſpicere cupiant exemplaria, ex iiſque aliquid ſuis in artibus velint addiſcere. Diſcedendum iis etiam erit ex Italia, longiſſima itinera ſuſcipienda, & ad ultimum uſque Septentrionem contendendum. Academiæ, quas hic apud nos exteræ gentes harum artium percipiendarum gratia conſtituerunt, a nobis erunt apud eas ipſas gentes, a quibus fuerimus neceſſariis ad eas addiſcendas expoliati præſidiis, converſa propter iniquitatem temporum vice, conſtituendæ. Has in anguſtias proceſſu

tem-

temporis Italia noſtra compelletur, ut ab iis adjumenta his in artibus petat, quibus ea affatim ſuppeditare antea ipſa conſueverat. Utrum vero ſit hoc Italiæ noſtræ rationibus conſulere, communi proſpicere exiſtimationi, artificum noſtrorum ſtudia fovere, an potius eo rem adducere, ut in pejus omnia rurſus prolabantur, ingenuæ artes prorſus intereant, optima ſtudia omnino extinguantur, vos ipſi judicate.

XXX. Sed pergant porro, pergant, inquam, quandoquidem ita neceſſitas adigit, proficiſcantur licet bonis avibus in exteras regiones artifices noſtri; Italiam relinquant, & ſe vel in intimiores abditioreſque Septentrionis partes conjiciant. Quid tandem inter gelu & nives conſtituti proficient? quid inclementiſſimi cæli rigidiſſimam ferre intemperiem coacti aſſequentur? quid Hypocauſtis clauſi, aut ferarum pellibus involuti laude dignum efficere poterunt? Sudabunt ii quidem, opinor, ſed nequidquam operibus ipſi ſuis perficiendis abſolvendiſque inſudabunt. Gelu ac nivibus duratum quodammodo ipſum obſtupeſcet ingenium, & tandem poſt incommodam peregrinationem, poſt incommodiorem commorationem, cum domum remendum erit, quid demum in Italiam, niſi quandam ingenii tarditatem ſtuporemque reportabunt? Evocatus a potentiſſimo Rege Laurentius Berninus, quandiu in frigidiſſima regione perſtitit, tandiu Italiam & Romam reſpectavit, illud aperte profeſſus ſibi quodammodo obri-

obriguiſſe ingenium, nec quidquam egregii in arte ſua cogitare propemodum atque efficere potuiſſe. Omnino ſic eſt mites hæ artes, ut noſtræ, ſunt, mite cælum, mite ingenium requirunt, & uti frigidum ſolum fructus per ſe jucundos non parit, quin neſcio quid crudum & minime coctum ſapiant; ita frigida regio nihil in his etiam artibus gignit, quod auſterum non ſit, & ſuam aſſequatur maturitatem.

XXXI. Jam vero nudata prorſus hoc, uti diximus, modo nobilioribus Italia noſtra ornamentis, aſportatis alio neceſſariis ad has artes perdiſcendas adjumentis, quid tandem ſive ad famam, ſive ad opes reliqui nobis fiet, quo & artificum noſtrorum rationibus, & communi exiſtimationi conſulamus? Quæ opinio noſtrorum hominum de opificiis noſtris nunc ſit, ſuperiore oratione indicavimus. Sola jam noſtris hominibus in minoribus artificiis peregrinitas placet, ſola probatur, ſola quovis pretio emitur. Jam lanificia noſtra conciderunt; externa tantummodo ſummo ſtudio conquiruntur, & vero etiam ſummo pretio comparantur. Cum hæc quondam hac ipſe in urbe vigerent, ex minimo vectigali, quod pro lana obſignanda pendebatur, tantum auri, ut ego ipſe a vobis didici, collectum fuit, quantum ad præclariſſimam hanc veſtram turrim Jotti modulis educendam exædificandamque ſuffecit. Nam quid de textrinis, textilibuſque ſericis operibus querar? quæ eandem, ac lanificia calami-

ta-

tatem ſubierunt. Jam nihil prope in his operæ, nihil artificii noſtri homines inveniunt, quod quidem probent; multo autem minus, quod eos ad emendum alliciat, quandoquidem illis, quæ ſola rebus pretium facit, ſola venuſtatem confert, peregrinitas deeſt. Ego item & a vobis didici, & narrari ſæpius audivi; Serica quædam hac ipſa in urbe quam ſcitiſſime elaborata hinc fuiſſe comportata Pariſios, & inde huc, ubi re ipſa perfecta fuerant, caſu importata; itaque non jam amplius ut domeſtica, ſed ut externa tanto pluris divendita, quanto oſcitantis emptoris inepta fatuitas mulctari merebatur. Nimirum ſic eſt, ut vina navigare, ita opificia noſtra e longinquis deferri ad nos regionibus debent, ut aliquid pretii apud noſtros homines acquirant, quorum contemptu atque faſtidio eo abjectionis prolapſa ſunt, unde relevari vix poſſe videantur. Mercaturam vero, quæ & quæſtuoſiſſima eſt, & in qua ineſſe quodammodo nervi Reipublicæ exiſtimandi ſunt, noſtra jam nobilitas facere dedignatur; perinde quaſi eam exercere vituperanda res eſſet, quæ certe, (Cic. Off. lib. I. cap. XLIV.) *ſi magna ſit & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens vituperanda non eſt*. Jamdiu navigatio noſtra maxima ex parte conquievit, nec jam amplius noſtræ onerariæ noſtris mercibus onuſtæ externos ad portus comeant, nec inde externarum mercium copia refertæ remeant. Hanc etiam, qui reliqua,

qua, quæſtuoſam lucrandi in primis negligentia noſtra nobis rationem exteri eripuerunt. Ii nunc prope ſoli ad novi orbis portus navigant, & non maximo ſine quæſtu compendioque navigant. Hic vero te Genuenſis Columbe, hic te Americe, a quo quarta terrarum orbis pars nomen ſortita eſt, Veſpucci Florentine, voſque omnes præclariſſimi facinoris conſortes, & gloriæ ſocii compello. An cum vos non ſine maximo vitæ veſtræ diſcrimine ignota in maria vos met ipſi conjeciſtis, cum tot periculis caput veſtrum objectaſtis, de novo externorum tantummodo navibus patefaciendo itinere cogitaſtis? Nihilne veſtra vobis ſuccurrit Italia, cujus potiſſimum rationibus ſerviretis? Multum ii quidem, atque adeo plurimum de ea cogitarunt, ſi oblata uti opportunitate Itali voluiſſent.

XXXII. Jam de fama armis propaganda Italis eſſe deſperandum ſuperiore oratione diximus. Nobis hic quoque laudis aditus propemodum nunc eſt omnino intercluſus. *Fuit Ilium, & ingens Gloria Dardanidum; Fuimus Troes.* Equidem non dubito, ſi noſtra nunc iterum natio arma capeſſeret, quæ olim & Pœnum ferocem, & indomitos Dacas ſuperavit, non dubito, inquam, quin eadem eadâm uſa virtute atque fortuna cæteras nunc quoque nationes ſibi parere cogeret, imperiumque in omnes iterum terrarum orbis partes propagaret. Eſt idem, ut quondam, eſt animus, eſt eadem virtus, idem cælum, eadem Italiæ conſtitu-

tio, hinc & hinc adhuc alluta mari & ſupero & infero, adhuc a tergo montibus vallata aſperrimis, domi tuta, externis nationibus ſitu, conſilio, ingenio, magnanimitate, contemptu vitæ & periculorum formidanda. Quæ tellus extulit quondam & Marſos, & pubem Sabellam, & Volſcos verutos, & Decios, & Marios, & Camillos, & Scipiadas, & alios hujus famæ innumerabiles viros, quid eſt quamobrem horum ſimiles amplius efferre non poſſit? Mutata nunc ſit armorum ratio; non amplius veru pugnetur, non amplius appoſitis vineis & actis teſtudinibus mœnia capiantur; relicto veru nova tractare arma Itala virtus & condiſcet, & aſſueſcet. Arma nova ſint licet, modo adſit mens, ratio, conſilium, quæ virtutes certe Italis, & præcipua ad bellorum adminiſtrationem præſidia minime deſunt. Verum nunc multo aliter ſe res habent, & eo deductæ ſunt, ut ad veterem in armis gloriam nequaquam aſpirare iterum Italia poſſit. Eſt ſane quod exteræ nationes magnam præſenti Italiæ conſtitutioni gratiam habeant, qua fit, ut ejus vires in unum coire nequeant; quod ſi ſecus eſſet, fortaſſe de veteri in armis recuperanda gloria cogitare rurſus Italia poſſet.

XXXIII. Tot igitur partim deſperatis, partim amiſſis, partim noſtrorum hominum incuria neglectis ad famam nomenque prodendum adjumentis, quid tandem nobis reſtat, Florentini, quo inter reliquas Euro-

pæ

pæ nationes ſi non amplius emineamus, ſaltem ne omnium gentium abjectiſſimi, ac deſpicatiſſimi ſimus? Unum opinor, ad litterarum ſtudia vehementer incumbere, & has ipſas artes, de quibus hactenus multa dixi, impenſe, quantum poſſumus, fovere; conſulere honeſtiſſimorum artificum commodo; eorum rationibus utilitatique ſervire. Hæ ſunt, quæ ſecundum liberales diſciplinas, urbes noſtras maxime illuſtrant, & ſummum Italiæ noſtræ decus ornamentumque conciliant. Hac de cauſa, ut diximus, tanti exterorum hominum in Italiam noſtram concurſus fiunt. Noſtris ædificiis exteri mirum in modum capiuntur, noſtræ illos picturæ tenent, noſtra ſigna delectant. His de medio ſublatis nihil eſt, quamobrem ſibi Italiam viſendam putent. Unum tantum egregium ſignum, una excellens tabula, unum nobile ædificium totam urbem nobilitat. Multa caput gentium Roma exteris admiranda gentibus proponit; ſed unum prope Vaticani templi ædificium omnium præcipue ad ſe oculos attrahit, admirationemque convertit; unum Italorum maxime commendat ingenium. Jactent, per me licet, exteri tantam ſuis fuiſſe impenſis molem excitatam; quanquam hoc nulla adhibita circumſcriptione falſum eſt; ſed tamen hoc ipſum, per me licet, jactent, & ita ſit, uti dicunt; aurum ipſi & argentum, quantum volunt, erogarint, dummodo Itali artem & ingenium contulerint; quod quidem ſi tanto ædificio non affuiſſet,

quid tandem haberemus, niſi quendam, immanem illum quidem, ſed nullo ordine, nulla apta partium deſcriptione lapidum acervum, indiſcretamque congeriem.

XXXIV. Neque vero hæ artes urbibus tantum ſplendorem ac magnificentiam afferunt, ſed privatis etiam familiis ſingulare decus conferunt. Aurum divites & locupletes facit, genus hoc ornamentorum generoſos conſtituit atque magnificos. In his enim quædam dignitas ineſt atque amplitudo, quæ familias honeſtat maxime, & ab vulgi abjecta conditione ſecretas in excelſiore quodam ſupra reliquas, quæ auro ſolum atque argento cenſentur, dignitatis gradu collocat. His amiſſis, mea ſententia, & dignitatis gradu decident, & divitias requirent. Cætera vero, quæ conſectari plus nimio, & quærere in aleis, luxu, conviviis, theatris oblectamenta nobilitas ſolet, caduca ſunt, fluxa ſunt, & momento temporis tranſeunt. Quæ vero ab his artibus ornamenta proficiſcuntur, durant, perſtant, & ad ſempiternum familiæ decus perſeverant. Hæc faciunt, ut dominus in lauta domo lautius & ſplendius diverſetur, & ſiquidem, uti par eſt, conſerventur, non erit, cur poſteri conſignata domeſticis commentariis hujuſmodi monumenta cum legent, ea a majoribus requirant, quæ nimirum aut eorum avaritia diſtraxerit, aut incuria perdiderit, aut luxuries exſorbuerit. Denique hæ dignæ ſunt & omnium ſtu-

ſtudio, & potentiorum opibus, & Regum ipſorum patrocinio ac magnificentia.

XXXV. Quæ cum ita ſint; ſi communis exiſtimatio nobis cordi eſt, ſi aliqua ratione inter reliquas gentes, amiſſis jam tot ornamentis, quibus olim abundavit Italia, cenſeri volumus; has artes conjunctim cum liberalibus diſciplinis retineamus. Dico has artes conjunctim cum liberalibus eſſe diſciplinis retinendas, propterea quia ſic inter ſe conglutinatæ ſunt & coherent, ut aut vigeant ſimul, aut una ſimul intereant. Æque propemodum in omnibus dominatur ingenium, & certa quædam liberalis requiritur ingenii habitudo. Quare ſemper ab ingenioſis nationibus excultæ ſunt, nullum ut fortaſſe certius & politioris ingenii, & cultioris humanitatis ab ulla proferri indicium natione poſſit, quam plures ut in liberaliſſimis diſciplinis, ita honeſtiſſimis his in artibus excellentes viros ſive Architectos, ſive Pictores, ſive Sculptores extuliſſe. Cujus rei illud etiam argumento eſt, quod hæ artes nuſquam floruerunt melius & viguerunt felicius, quam apud cultiſſimas gentes; & præſertim ubi una cum litterarum dignitate ampliſſimum conſtitutum fuit imperium. Hoc animadvertere licuit in duabus nationibus Græca, atque Latina, apud quas, vigente dominatu, litterarum quoque dignitas cum harum artium præſtantia atque excellentia certavit. Hoc item recentiore memoria illo ipſo ſæculo obſervari potuit, quo exacta barbarie,

una ſimul cum litteris hæ quoque artes e tenebris in lucem prodierunt, Italiamque noſtram ſingulari ornamento illuſtrarunt. Itaque aut conjunctim retinendæ omnes, aut omnes ſimul, una cum dignitate, quam cultoribus afferunt ſuis, amittendæ. Quod ſi culpa noſtra ac vitio accidat, non erit recuſandum, quin omnibus ſpoliati ornamentorum inſignibus, qui ſupra reliquas nationes efferebamur, infra omnes per ſummum dedecus atque infamiam detrudamur.

Hæc de Artibus Architecturæ, Picturæ & Sculpturæ Parthenius. De iiſdem etiam exſtat oratio Joan. Bapt. Roberti, S. J. ab eo ſemel & iterum Bononiæ habita, & ibidem impreſſa an. 1758. qua nihil pictius & elegantius legi poteſt. In ea Clariſſimus Auctor reconditam harum artium notitiam oſtendit, de iiſque ita differit, non ut quivis de populo, quod Parthenius ingenue de ſe fatetur, ſed ut earundem ſcientiſſimus haberi merito debeat. Ego ipſe, qui hæc adſcribo, hanc ipſam otationem legi, nec memini me quidquam legiſſe venuſtius, ut mihi quidem Roberti noſtri ejuſque eloquentiæ caracterem effeciſſe Tullius ipſe videatur, ubi de Claris Oratoribus num. LXXIX. & LXXX. M. Calidium laudat, & hoc ornat elogio. „ Sed de M. Calidio „ dicamus aliquid, qui non fuit Ora- „ tor unus e multis; potius inter „ multos prope ſingularis fuit; ita „ reconditas exquiſitaſque ſententias „ mollis & pellucens veſtiebat oratio. „ Nihil tam tenerum, quam illius „ comprehenſio verborum; nihil tam „ flexibile; nihil, quod magis ipſius „ arbitrio fingeretur, ut nullius Ora- „ toris æque in poteſtate fuerit; quæ „ primum ita pura erat, ut nihil li- „ quidius; ita libere fluebat, ut „ nuſquam adhæreſceret; nullum, „ niſi loco poſitum, & tanquam *in* „ *vermiculato emblemate*, ut ait Lu- „ cilius, ſtructum verbum videres. „ Nec vero ullum aut durum, aut „ inſolens, aut humile, aut longius „ ductum; ac non propria verba re- „ rum, ſed pleraque tralata, ſic ta- „ men, ut ea non irruiſſe in alie- „ num locum, ſed immigraſſe in „ ſuum diceres. Nec vero hæc ſolu- „ ta, nec diffluentia, ſed adſtricta „ numeris, non aperte, nec eodem „ modo ſemper, ſed varie, diſſimu- „ lanterque concluſis. Erant autem „ & verborum & ſententiarum il- „ la lumina, quæ vocant Græci

„ σχή-

„ σχήματα, quibus tanq uam in-
„ ſignibus in ornatu diſtingueb atur
„ omnis oratio „. Porro ſi reliqua, quæ addit Cicero, convenire in Robertum quis putet, is profecto errabit, & Ciceronis mentem non aſſequetur. Requirit Cicero a Calidio, qui cauſas in foro tractavit robur quoddam eloquentiæ, quo deſtitutus Calidius erat, & jure requirit. Subdit enim „ Quod
„ ſi eſt optimum ſuaviter dicere;
„ nihil eſt, quod melius hoc quæ-
„ rendum putes. Sed cum a nobis
„ paullo ante dictum ſit, tria videri
„ eſſe, quæ orator efficere deberet,
„ ut doceret, ut delectaret, ut mo-
„ veret; duo ſumme tenuit, ut &
„ rem illuſtraret differendo, & ani-
„ mos eorum, qui audirent, devin-
„ ciret voluptate. Aberat tertia illa
„ laus, qua permoveret, atque in-
„ citaret animos, quam plurimum
„ pollere diximus. Nec erat ulla
„ vis atque contentio; ſive conſi-
„ lio, quod eos, quorum altior
„ oratio, actioque eſſet ardentior,
„ furere & bacchari arbitraretur; ſi-
„ ve quod natura non eſſet ita factus;
„ ſive quod non conſueſſet; ſive
„ quod non poſſet. Hoc unum illi
„ ſi nihil utilitatis habebat, abfuit;
„ ſi opus erat, defuit „. Alia, ſi de Roberto loquimur, ratio eſt, cujus eloquentia non in eo argumentorum genere verſata eſt, quæ vim forenſem poſtularent, ſed quæ venuſtatem in expoliendo ornandoque elegantiam requirerent. Qua in re Oratoris elucet judicium, qui rebus, quas tractandas ſuſcepit, eloquentiam ipſam accommodavit. Qua etiam in re multi inſcitia peccant, nec diſtinguere norunt quod cuique argumentorum generi dictionis conveniat genus. Tragœdias excitant in nugis; granditatem affectant in rebus humilibus; grandia vero orationis humilitate abjiciunt; plautinos nullo diſcrimine & modo congerunt ſales, ut hoc ipſo ipſi ſint inſulſiſſimi. Prolixior in his adnotandis fortaſſe fui, ſed prolixitatem hanc meam non ægre, opinor, feret Parthenius, adſcriptamque adnotationem æqui bonique faciet, quippe quæ & eſt ad ejus mentem exarata, & ex ipſo Cicerone deprompta.

DE CONSERVANDIS

# SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTIS

AD QUIRITES

## *ORATIO.*

SI unquam alias ſtudia Antiquitatis cum tota paſſim Europa, tum in Italia præſertim noſtra viguerunt atque exculta ſunt, hoc certe tempore & vigere quam maxime, & excoli vehementer neminem veſtrum ignorare arbitror, Quirites. Etenim quis eſt politioris nunc litteraturæ paullo amantior atque ſtudioſior, qui ad reliqua gravioris doctrinæ præſidia hoc etiam eruditionis genus tanquam ornamentum aliquod ſibi adjungendum non putet? Quanquam, ſi attentius hæc ipſa ſtudia inſpiciantur, non aliquod tantum ſuis afferre ornamentum cultoribus judicabuntur, ſed plane digna reperientur,

in

in quibus & doctorum hominum verſetur induſtria, & acuta præſertim ingenia ſumma cum laude exerceantur. Sunt enim hujuſmodi, ut exquiſitam quandam ab iis, qui ſe ad illa conferre volunt, plurimarum rerum cognitionem poſtulent; & ſummum in excogitando acumen, & præcipuam in indagando ſolertiam requirant. His accedit, quod minime vacua utilitatis ſunt; immo vero multa ſecum ad ipſam expoliendam perficiendamque doctrinam important commoda; quæ nemo ſane diſcendi cupidus aſpernetur. Nam, præter quam quod mira nos voluptate afficiunt, cum ea, quæ reliqua nobis vetuſtas fecit, noſtris ipſi oculis uſurpamus, ſi recte; uti decet; inſtituantur; nos etiam incredibiliter erudiunt, animumque noſtrum multiplici pulcherrimarum maximarumque cognitionum varietate complent ac locupletant. Quid? quod Hiſtoriam ipſam, cujus omnino deſtitui præſidio non poſſumus, mirifice adjuvant, eamque obeuntibus facem quodammodo præferunt, qua obſcurioribus ejuſdem locis lumen adhibetur, ut ea propemodum ſine Antiquitatis notitia inoffenſo luſtrari pede non poſſit. Quare hæc ſtudia, ut quidam temere jactare non dubitant, neque ad inanem ſolummodo oblectationem, quæ oculis quæratur, referuntur; neque vero quaſi aliquod tantum ornamentum, quod reliquis noſtris ſtudiis accreſcat, & quo facile carere poſſimus, exiſtimanda ſunt. Hoc ſentire his de ſtudiis nemo

mo poteſt, niſi qui eorum naturam vel compertam omnino non habeat, vel non ſatis perſpectam; aut ſit is, qui ſcientiam una tantum inanium quorundam & ſubtiliſſimarum commentationum circumſcriptione definiat. Quod ſi hæc ſtudia doctis omnibus & cultis viris generatim atque univerſe, ut docuimus, commendata eſſe debent, quanto nominatim commendatiora nobis eſſe Romæ degentibus debebunt? Tanto ego arbitror, quanto hujus urbis magis, quam reliquarum, propria ſunt, ac prope ſingularia; ut nos ea nullo modo, & non ſine maxima vituperatione negligere poſſimus. Romæ ſumus, Romæ diverſamur, hoc eſt in urbe vetuſtiſſimorum monumentorum refertiſſima, in qua oculos quocumque convertimus, hæc ipſa monumenta conſpicimus, & quocumque incedimus *pedem quodammodo ponimus in Hiſtoria*. Qua de cauſa tam probroſum ac turpe nobis eſſet ea, quæ ad Antiquitatem ſpectant, ignorare, quam turpe ac probroſum eſt in propria eſſe patria hoſpitem ac peregrinum. Quanquam ne hoſpites quidem omnes ac peregrini hæc ignorant, quorum bene multi ſic ad hanc urbem accedunt, ut his de rebus ſatis inſtructi veniant, & ea interdum, quod pudeat, ipſi nos doceant, quæ doceri a nobis multo æquiori jure deberent. Itaque videtis, opinor, Quirites, quanti Antiquitatis ſtudia fieri mereantur, quam ſint culto homine digna, quanta cum utilitate con-

conjuncta, quam nobis Romæ commorantibus neceſſaria, quam denique hujus urbis propria, ac propemodum ſingularia. His de cauſis neminem arbitror eſſe poſſe, cui alienum a Rhetore, ab ejuſque more dicendi abhorrens videri debeat, ſi nunc a me & ex hoc loco, & hac in urbe, & hoc potiſſimum tempore his ipſis de ſtudiis oratio inſtituatur. Verum cum longe lateque pertineant, & utriuſque eruditionis tam prophanæ, quam ſacræ comprehendant genus, quandoquidem utrumque complecti orationis modus non ſinit, priore omiſſo genere, de altero ſolum in præſentia dicam, quod tanto illi præſtare exiſtimandum eſt, quanto rebus omnibus Religio antecellit, & quæcumque illam quoquo modo attingunt, jure ac merito ſunt anteponenda. Dicam igitur de ſolis ſacræ Antiquitatis monumentis, dicam de iiſdem conſervandis, dicam de eorum pretio & dignitate, ſed ita more meo dicam, ut a me plenam hujus argumenti tractationem, quam mihi, ſi oblata opportunitate uti vellem, bene multa harum rerum referta volumina ſuppeditarent, nolim exſpectari. Adhibebo modum, nec plura oratione hac mea perſequar, ſive potius delibabo, quam quæ ego ipſe, ſacra Urbis monumenta religionis cauſa obeundo, quaſi præteriens didici; quæ quidem fore vobis eo nomine gratiora confido, quod non aliunde accepta, ſed ex meo ſenſu deprompta erunt, & vero etiam ex præcipuo quodam, quo erga eadem feror,

qua-

qualecumque illud demum ſit, pietatis ſtudio proficiſcentur.

II. Urbem hanc veſtram, Quirites, ſive potius noſtram, quandoquidem omnium gentium patria, & commune quoddam veluti domicilium Roma ſemper fuit, ſupra reliquas totius terrarum orbis, qua tandem cumque dignitate atque amplitudine cenſeantur, urbes, tot tantiſque fuiſſe ornamentorum inſignibus diſtintam & cumulatam, ut omnibus una maxime & dignitate, & amplitudine antecellat, neminem opinor eſſe, aut eſſe poſſe, qui neget. Etenim ſi unam tantum Hieroſolymariam urbem, cæleſtis ipſius patriæ imitatione celeberrimam, & auguſtiſſimis ſanctiſſimiſque cæremonis conſecratam excipiamus, nulla urbs extitit, neque vero, ut augurari licet, exſiſtet in poſterum, quæ cum hac noſtra ullo modo ſit conferenda, cui quidem ſecundum illam principatus unanimi omnium gentium conceſſu ſententiaque defertur. Et vero ad nobilitandam hanc urbem, ac ſupra cæteras in excelſiore dignitatis gradu collocandam, tot ac tanta in unum coaluerunt ornamenta, quanta reliquis non modo non conjunctim, ſed ne diviſim quidem vel nobiliſſimis clariſſimiſque impertita urbibus unquam fuerunt. Nihil hac in urbe commune, nihil humile, nihil vulgare, nihil mediocre. Hic omnia magna, inuſitata, inſignia, ſumma, ac plane ſingularia; ſitus urbis, conſtitutio, exorſus, proceſſus, incrementa, res præclare terra marique

geſtæ,

geſtæ, civium mens, ratio, conſilium; diſciplina civilis, militaris, navalis, inſtituta, duces, imperatores, bella, victoriæ, triumphi, cætera.

III. Et vero ſi a prima hujus urbis origine exordiri velimus, ea, meo quidem judicio, multo eſt altius repetenda, quam arceſſere illam ſolent Hiſtorici omnes ſive Græci, ſive Latini, qui *Æternæ urbis*, ut olim appellabatur, primordia ac præclara facinora narrare agreſſi materiam ſcribendi inde ſibi certatim ſumpſerunt, unde non tam huic urbi decus quærerent, quæ ſatis ipſa per ſe commendabatur, quam ſibi famam illuſtri argumento exiſtimationemque conquirerent. Exordium recte ſane capiunt a Romulo illo, qui omnium princeps accolas & convenas hunc in locum congregaſſe dicitur, & prima ejus imperii jeciſſe fundamenta, quod poſtea ad tantam, quantam nemo ignorat, tamque exaggeratam magnitudinem incredibili felicitate & celeritate pervenit. Atque hæc ii quidem ex hiſtorica veritate; neque enim altius cognitione ipſi ſua evadere poterant atque aſpirare. Verum nobis in Romanæ urbis laudem ingreſſis multo altius progredi licet, primamque ejus veluti originem non in mendaciſſimarum inanitate fabularum inquirere, ſed in ipſa divinarum veritate Scripturarum inveſtigare. Una enim non ſolum caput ac ſedes imperiorum, quæ in ſacris Codicibus memorantur, Roma fuit, ſed etiam multo ante, quam re ipſa exſiſteret,

non

non obſcuris a Deo ſignificationibus indicata. Quo quidem novo præconii genere ita ejus origo diſtinguitur, ſic prima veluti incunabula nobilitantur, nihil ut putem illuſtrius, nihil honorificentius a quoquam ad tantæ urbis famam commendationemque afferri poſſe.

IV. Et vero tantis digna, ut eſſe debuit, atque ea, quæ conſecuta ſunt, eventa declararunt, & ſignificationibus & vaticinationibus Roma fuit. Tale enim ac tantum adepta eſt imperium, ut cætera vel clariſſima imperia & rerum præclare geſtarum magnitudine, & temporis diuturnitate, & vero etiam diffuſa in omnes terrarum orbis partes dominatione longe multumque ſuperarit. Nam Aſsyriorum regnum vetuſtate quidem cenſetur, ſed, præter quam quod ad fabuloſa rejicitur tempora, exiguam admodum Aſiæ partem obtinuit. Medorum vero longius propagatum quidem imperium fuit, ſed non multum habuit diuturnitatis, & intra quartam progeniem diſſolutum atque extinctum eſt. Perſæ, Medis ſuperatis, Aſia ferme tota dominati ſunt, ſuiſque egreſſi finibus Europæ gentes attentarunt, ſed non multas in ditionem ſuam redegerunt, nec diutius in imperio permanſerunt. Qui conſecuti ſunt Macedones magna quidem ac præclara aggreſſi Alexandri potiſſimum rebus geſtis victoriiſque cenſentur. Sed prœmatura tanti Regis mors incitatiſſimum illum victoriarum ac triumphorum curſum non retardavit ſolum, verum etiam intercepit. Jam nihil attinet

tinet dicere de Athenienſibus ac Lacædemoniis, quorum imperia nullo modo non dicam cum Romano, ſed ne cum illis quidem, quæ commemoravimus, imperiis conferri poſſunt.

V. Quorſum iſta quiſquam fortaſſe dicet, tam alte repetita? Nolim equidem hæc aut fruſtra a me hoc loco cuiquam videri commemorata, aut a quoquam ad vanam oſtentationem relata exiſtimari, perinde quaſi blandiri ego vobis in præſentia velim, Quirites. Alio mea mens reſpicit, alio ſpectat oratio, quam ut vel ad inanem oſtentationem, vel ad turpem lenocinationem in re graviſſima a me nunc abjiciatur. Mihi enim, ut cogitatum quoddam meum patefaciam, vobiſque communicem, in tanta ornamentorum copia, quibus hæc urbs ſupra reliquas poſt hominum memoriam cumulata fuit atque diſtincta, mihi, inquam, ſingulare quoddam ac præcipuum divini Numinis nihil non providentiſſime ac ſapientiſſime accurantis conſilium videor agnoſcere. Etenim cum hanc ipſam urbem Catholicæ Religionis ſedem ac domicilium conſtituere decreviſſet, eam, ut ego arbitror, hac ſingulari adhibita ratione, tantæ parem reddere amplitudini voluit; itaque illa huic potiſſimum ornamenta urbi contulit, quibus diſtincta atque inſignita tantum principatum ea, qua par erat, dignitate ſuſtineret. Qua etiam in re idem ſapientiſſimum Numen humanæ mihi videtur quodammodo indulgere

re infirmitati voluiſſe, & mollire, ut ita dicam; externarum gentium animos, ut quam urbem præ omnibus incredibili ornamentorum copia locupletatam viderent, unam quoque præ omnibus ſuſpicerent, unam venerarentur, unam ſibi anteponi non iniquo animo ferrent. Nam quæ tam ſuperba natio? quæ gens tam gloriæ appetens? tam ſui unice amans? tam contemptrix reliquarum? quæ denique tam parum religioſa reperiri uſquam poterit, quæ ſe in iis, quæ ad Religionem maxime ſpectant; ejus urbis poteſtati dedere renuat, quam præ reliquis honeſtatam videat, & in qua Religionis ipſius reſidere principatum agnoſcat?

VII. Atque hæc mihi quidem animadvertenti, & mecum attentius cogitanti cum æquitati maxime conſentanea, tum etiam a Divini conſilii ratione minime ea certe abhorrentia viſa ſunt. Et vero non diſſimilis ratio conſilii in Hieroſolyma illa, de qua ſupra mentionem fecimus, obſervari videtur poſſe, quæ, & ipſa in totius Judææ caput, & Religionis ſedem electa nihil profecto requiſivit eorum, quæ maxime ad augendam loci amplitudinem, venerationemque ei non domeſticorum modo, ſed exterarum etiam gentium conciliandam pertinerent. Situs urbis, mœnia, colles, qui ambitu urbis continebantur, omnia vetuſtiſſimis ſanctiſſimiſque monumentis diſtincta fuerunt atque inſignita, ut merito ab Rege Propheta *eam ſibi Dominus*

*minus in habitationem elegiſſe* affirmetur, & *fundamenta ejus in montibus ſanctis* conſtituta dicantur. Unum illud templum a Deo ipſo imperatum, & admiranda deſcriptione perfectum quantum urbi illi ſplendoris attulit? quantum ornamenti contulit? quantam non toto Oriente ſolum, ſed ubique terrarum famam venerationemque conciliavit? Certe nullum molitione, ordine, conſenſione partium nobilius, nullum auro, ære, lapidibus pretioſis, congeſtis theſauris & opibus ſumptuoſius uſquam exſtitit, neque vero exſiſtet in poſterum; in cujus aliquam contentionem ſi ampliſſimum aliquod aliquo venire modo ædificium poſſet, unum poſſet Vaticanum: ut hoc etiam divino factum conſilio videatur; ut quæ duæ nobiliſſimæ & celeberrimæ urbes Religionis fuiſſent a Deo conſtitutæ ſedes, ambæ magnificentiſſimo auguſtiſſimoque ſupra reliquas templo decorarentur.

VII. Jam ut eo, quo mea potiſſimum ſpectat oratio, veniam; tametſi, quæ ſum hactenus perſecutus, aliena ab argumento exiſtimanda non arbitror; ſed tamen, ut eo veniam, & propius accedam, quis dubitet ſacra præcipue monumenta illam, de qua dico, amplitudnem huic urbi contuliſſe, eandemque in eo dignitatis faſtigio collocaſſe, in quo datum ſibi Catholicæ Religionis principatum, ea, qua decet, non majeſtate ſolum, ſed ſanctitatis etiam opinione tueretur. Hic vero in ſumma ſacrorum hujuſmodi monumentorum co-

pia, qua circumfundor, unde potiſſimum exordium capiam, Quirites? ubi deſinam? quod ex innumerabilibus, quæ hic ubique incredibili multitudine occurrunt, ſacris monumentis excerpam? quod e multis, atque adeo e præcipuis ſilentio prætercam? Romæ dico, hoc eſt ea in urbe dico, cujus affluentiſſima ſemper cum in omnibus, tum in his præſertim ornamentis vis & copia fuit. Utar igitur ea circumſcriptione, qua profecto non uterer, ſi alia & in urbe, & de urbe dicerem. Plleraque omittam, aliqua generatim complectar, pauca ſingillatim attingam.

VIII. Ac jam Roma illa vetus & prophana ornamenta exhibeat ſua, victorias prædicet, triumphos celeoret, trophæa ad perennitatem nominis immortalitatemque erecta oſtentet. Verum in tanta oſtentatione ornamentorum poteritne Roma hæc noſtra, ſacra & religioſa, in hujus certamen gloriæ contentionemque venire? poteritne æmulæ intemperantius inſoleſcentis ſuperbiam faſtumque compeſcere? Poteſt, poteſt, inquam, Quirites; & jure ac merito poteſt. Sua etiam ipſa pro tuenda amplificandaque Religione bella fortiter con, ſtanterque pugnata commemorat, ſuas victorias numerat, triumphos recenſet ſuos. Habet ſua trophæa ad ſempiternam famam nomenque prodendum poſita, quæ tanto prophanis præſtare cenſenda ſunt, quanto divina humanis antecellunt. Quid? quod eo amplitudinis evaſit, quo certe eam provehere nequaquam

pote-

poterant nec arma illa ſua victricia, nec illæ invictæ cohortes, nec *fulmineæ* legiones, nec ſuorum illa triumphantium inaudita felicitas Imperatorum. Eum ab Catholica hic primum conſtituta Religione tenuit dignitatis gradum, & tenet adhuc, & tenebit in poſterum, ut omnino neque ulterius progredi, neque vero altius poſſit aſcendere. Etenim *per ſacram Beati Petri Cathedram* ( S. Leo Magn. in die Nat. Apoſt. ) *caput orbis effecta latius præſidet Religione divina, quam dominatione terrena; & quamvis olim multis aucta victoriis jus imperii ſui terra marique protulerit, minus tamen eſt, quod ei bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit*. Hinc illud imperium, quo nullum eſt ſanctius; hinc illa poteſtas, quæ labefactari non poteſt; hinc illa præcipua, quibus inſignitur, decora atque ornamenta; hinc denique illæ ipſæ, quibus diſtinguitur, multo honorificentiſſimæ appellationes, *ut Gens ſancta, ut Populus electus, ut Civitas ſacerdotalis ac regia* & nominetur, & habeatur.

IX. Ab his exordiis, quæ deinceps conſecuta ſunt, & quomodo tantum imperium re ipſa toto terrarum orbe diffuſum fuerit ac propagatum, non hic ego dicam. De ſacris hujus urbis monumentis dicere inſtitui, de his mihi ſolis in præſentia dicendum eſt. Quo loco rogo vos, Quirites, obteſtorque, ſi ego nunc fortiſſimorum Heroum, qui hac ipſa in urbe glorioſiſſimam pro aſſerenda Catholica Religione in-

credibili numero mortem oppetiverunt, ſacros tantum cineres, ſi oſſa protulero, ſi indicabo loca illuſtrium certaminum & agonum conſcia, ſi ſepulcra quodammodo patefaciam, ſi tumulos referem, ſi cujuſquemodi ad hunc uſum *conditoria* vobis oſtendam, quæ tandem aut religioſiora proferri a me, aut ſanctiora requiri a vobis unquam poterunt monumenta? Exponi hæc autem, nemo, opinor, poſtulabit, cum ſaltem præcipua nota ſint omnibus; recenſeri vero, ne id quidem arbitror, cum tam multa ſint, ut eorum facile numerus iniri non poſſit. Etenim quam ſacram hac in urbe Ædem, ſive vetuſta, ſive recens illa ſit, reperire eſt, quæ non plurimis, & iis quidem inſignibus hujuſmodi monumentis nobilitetur, cum reliquæ urbes, ſi uno aut altero cenſeantur, perbeatæ atque adeo beatiſſimæ exiſtimentur.

X. Quanquam totam hanc urbem ſacrum veluti quoddam monumentum eſſe ſi dicam, videborne vobis aliquid aut alienum a veritate, aut nimis exaggeratum affirmare? Nihil minus; ut non tam verax habendus videatur, qui id affirmet, quam mendax, qui neget. Quanta hac in urbe facta veterum fuerit cædes Chriſtianorum, quam crudelis, quam inhumana, quam diuturna, quam infinita quis ignorat? Locus adhuc oſtenditur, qui antiquiſſima appellatioue *Macellum Martyrum* nominatur, quo ego quidem nomine totam jure appellandam Romam, meritoque crediderim.

Nam

Nam cui flumini exuberantius intumeſcenti Martyrum ipſorum ſanguinem non comparandum putabimus, qui *tanquam aqua in hac nova Hieruſalem effuſus* tanta copia efferbuit, atque exundavit, ut eo & fora, & viæ, & compita, & vici, & loca denique omnia, vel abdita atque inacceſſa, non immaduerint ſolum, verum etiam redundarint. Omnino, Quirites, omnino, inquam, *Locus, in quo ſtamus, terra ſancta eſt*; *ſancta* inquam, & plurimis ea quidem nominibus *ſancta*, ſanctis habitata, ſanctis peragrata viris, & ſanctorum præſertim ſanguine Martyrum conſecrata. Itaque uon jam, quod indicavi a principio, *quocumque hic incedimus, pedem ponimus in hiſtoria*, ſed Martyrum ipſorum veſtigiis inſiſtimus, & loca ſacro imbuta ſanguine calcamus. Et mirabimur? aut vero etiam quiſquam erit tam ab omni averſus hiſtorica veritate, cui, quod memoriæ proditum eſt, incredibile videatur, terram hanc ipſam a ſanctis viris pugno compreſſam, & ſumpta de Martyrum tumulis lintea, eademqne vel ferro inciſa, vel acu compuncta vivo cruore manaſſe?

XI. Verum in hac ſacrorum prætermiſſione potius, quam commemoratione monumentorum, quæcumque tandem mihi tum pro orationis modo, tum pro infinita rerum dicendarum copia adhibenda neceſſario circumſcriptio ſit, illud certe monumentum nullo modo præteribo, quod ampliſſimum & præcipuum eſt, quo maxime

xime Roma cenſetur, quo uno, ſi reliquis deſtituta prorſus hujuſmodi monumentis foret, omnibus Catholici orbis jure eſſet urbibus anteponenda. Illud dico ſanctiſſimum venerandumque Sacrarium, illa dico *Apoſtolorum Limina*, illa *eorundem Trophæa*; illam *Beati Petri*, quam vocant, *Confeſſionem* dico; fama ubique gentium notiſſimam, viſis atque oſtentis inſignem, religione antiquiſſimam, & jam inde uſque ab ultimis naſcentis Eccleſiæ primordiis ſummo Catholicorum prope omnium concurſu frequentiaque celebratam. Nam quis eſt tam longinquis in regionibus conſtitutus? quis tanto a nobis Italiave noſtra ſive terrarum ſive marium intervallo disjunctus, qui, ſiquidem poſſit, Romam non veniat; ſacramque hujuſmodi peregrinationem non volens lubenſque ſuſcipiat? quis, qui longiſſimum, ærumnoſiſſimumque iter ingreſſus lætus huc alacerque non properet; atque ad hanc urbem quo propius adventat, contentiore greſſu non feſtinet? quis denique, qui hoc exhibere B. Petro ſtudii ac religionis ſuæ hoc ipſo in loco teſtimonium præſens non cupiat? Huc porro qui veniunt, tanquam ad arcem Religionis veniunt; ſic accedunt, tanquam ad firmiſſimam *Petram* illam accedant, *ſupra quam* Chriſtus ipſe *Eccleſiam ædificavit ſuam*; ſic adſtant, ut ea propemodum Chriſti Domini verba auctoritatem interponentis ſuam audire ſibi videantur, quibus tanto ædificio promittitur firmitas, contra quod *Portæ inferi non prevalebunt*, ne dum illud

illud humana ulla labefactare vis poſſit atque concutere.

XII. Neque vero huc infimæ tantum ſortis homines veniunt, quorum fere concurſum frequentiamque conſpicimus, ſed etiam ejuſdem incenſi religionis ſtudio Reges huc ipſi Imperatoreſque venerunt. Hic ſceptra, hic diademata, hic ſive imperatoria, ſive regia accipere inſignia ſolemne quondam illis fuit; neque enim aliunde religioſiſſimi Principes a ſe felicius capi felicis initium regiminis exiſtimarunt, quam ſi illud hoc ipſo in loco, & coram Beatiſſimo Petro, cui ſummam in Eccleſia Chriſtus ipſe contulit poteſtatem, fuiſſent auſpicati. Atque ut de multis potentiſſimis Imperatoribus & clariſſimis Regibus ſileam, Conſtantini præſertim illius Magni, & Caroli item Magni plane ſingularis hoc ipſo in loco, de quo dico, erga Beatum Petrum pietas exſtitit atque religio; quorum alter auguſtiſſimum ejus ſepulcro templum excitandum curavit, & vero humeris ipſe ſuis ad templi ædificationem lapides comportare non erubuit, alter non illud ſolum donariis muneribuſque ampliſſimis copioſiſſime auxit, ſed præterea regnis provinciiſque ditavit.

XIII. Hi vero o Veſpaſiani, Domitiani, Trajani, Antonini, Adriani, o Decii, Valeriani, Diocletiani, Maximiani, cæterique Catholicæ Religionis oſores acerrimi, qui tantum innocentiſſimorum ſanctiſſimorumque hominum cruorem profudiſtis, & tu ſingillatim

Claudi Nero, ſi ab illa, qua ureris, tartarea flamma ſempiternum in tempus non exſtinguenda, caput quodammodo attollere licuit, qui ſenſus eſſe debuerunt tui? quæ ægritudo animi? qui cruciatus? quæ deſperatio? cum tantis affectum honoribus ab iis ipſis, quos in imperio ſucceſſores habueris, illum ipſum vidiſti, quem per ſummum ſcelus atque calumniam una cum præclarorum conſorte facinorum Paullo illo, cui juſſu tuo cervices abſciſſæ ſunt, cruci affigendum abſumendumque curaſti. Ubi nunc impuriſſime homo atque nequiſſime inſanæ illæ hac in urbe molitiones tuæ, quæ Quirites migrare Vejos uſque coegerunt? ubi nunc illa Claudiæ gentis tuæ monumenta? ubi nunc domus aurea illa tua? ubi coloſſus? ubi circus ille tuus? omnia diſturbata, perculſa; disjecta ſunt, omnia ad ſempiternum nominis tui dedecus atque infamiam æquata ſolo. Circus ille ipſe tuus Vaticani templi areæ atque amplitudini ceſſit, & obeliſcus ille in ejus olim medio conſtitutus, & tantis ſuperſtes ruinis ad augendam ejuſdem templi majeſtatem ſplendoremque conceſſit. Sed in tanta, tamque incredibili monumentorum copia, ne in magnis quidem, & ad prædicationem illuſtribus, & ad laudem ac decus præcipuis immorari diutius licet.

XIV. Jam, ut ad reliqua progrediamur, quem tandem dignitatis obtinere gradum in ſacrorum commoratione monumentorum celeberrimæ illæ exiſtimabuntur viæ? Triumphalis, Oſtienſis, Portuenſis, Ap-

Appia, Latina, Lavicana, Nomentana, ambæ Salariæ, Flaminia, & reliquæ non tam ſanctiſſimorum virorum luſtratæ paſſibus, quam Martyrum ipſorum victoriis atque triumphis illuſtratæ? Ecqua ex his eſt, quæ fortiſſimorum Athletarum agonibus diſtincta non ſit? quæ non inſignita palmis? quæ non eorundem fuſo triumphali ſanguine conſecrata? Hic vero mecum animadvertite, Quirites, quod præcipua, meo quidem judicio, animadverſione dignum eſt, quam præclarum, quam ad prodendam memoriam inſigne ſit; quam denique huic urbi proprium uni ac ſingulare; Cum Martyrum agones, recepto jam inde ab antiquiſſimis uſque temporibus in Eccleſia more recitantur, non Romam ſolum, non Latium nullo diſcrimine appellari, ut fere hiſtoricorum inopia monumentorum, cum aliquid ejuſmodi aliis de urbibus atque provinciis enunciatur, evenire ſolet, ſed indicari viam, ubi Martyrum quiſque paſſus eſt, præclari certaminis locum diſtingui, circumſcribi, demonſtrari, atque ipſa interdum ab urbe intervalla definiri, ut ſi quis a Columna Milliaria, quæ in foro Romano conſtituta erat, numerare incipiat, ad ipſa commemoranda ac veneranda loca ullo ſine errore perveniat.

XV. Et quandoquidem has in vias oratione mea delatus ſum, ne tam cito ab iis digrediar, atque alio deflectam, quo eas tandem frequentandas a nobis non religionis ſolum ac pietatis, ſed grati etiam animi ſenſu

cele-

celebrandaſque putabimus? Nam, præterquamquod, ut diximus, ſacro Martyrum cruore conſperſæ ſunt atque imbutæ; earumque bene multæ ſacris adhuc Martyrum ipſorum corporibus & Baſilicis decorantur, ut Triumphalis Petri; Oſtienſis Pauli; Tiburtina Laurentii; Appia Sebaſtiani; Nomentana Agnetis; Aurelia Pancratii; eorum etiam ſanctiſſimorum virorum memoriam commovent, qui primum ex hac urbe ab Apoſtolo Petro; tum ab ejus ſubinde in vicaria Chriſti poteſtate ſuffectis Pontificibus miſſi in *præparationem Evangelii pacis*, *& pro Chriſto legatione fungentes* iiſdem viis inſtiterunt; & in omnes orbis terræ partes diffuſi Romanam ubique gentium & Catholicam Fidem importarunt. Proceſſerint, licet, his ipſis olim viis victores illi exercitus; atque ad tutandos Romani imperii fines amplificandoſque proceſſerint; tum rebus feliciter atque à ſententia confectis Romam trophæis onuſti ac laureati remearint. Sed quid demum exteris illi gentibus, profligatione hoſtium, expugnatione urbium, deditione provinciarum, quid, inquam, niſi clades, ruinas, exitium, vaſtitatem, qui fere bellorum omnium, atque inſoleſcentis calamitoſi victoriæ ſunt exitus; attulerunt? Conferamus nunc, Quirites, illorum, quos dixi, ſanctiſſimorum ab hac urbe virorum abitum in exteras terras & profectionem cum tot exercituum expeditione atque diſceſſu, pacatum illorum adventum cum horum hoſtili irruptione, Chriſtianam continentiam cum militari licen-

licentia, ovium manſuetudinem cum rapacitate luporum, bellum cum pace; quæ utraque ex parte conſecuta ſunt commoda & incommoda invicem contendamus, tum certe ab illis converſum in melius ac plane conſtitutum; contra vero everſum ab his ac prope deletum orbem fuiſſe terrarum comperiemus.

XVI. Atque ut ad te ſingulatim hoc loco orationem meam, Roma, convertam, nonne his ipſis viis Apoſtolorum ad te Princeps cum Paullo illo ſuorum laborum ſocio, qui ad Cæſarem, atque ad hoc tribunal tuum civis ipſe tuus appellarat, quondam venit? Cum autem huc venit, quid tandem offendit? Non eſt cur erubeſcas tua ſi tibi nunc a me commemorari probra audias atque dedecora, quæ poſtea in ſummam tui nominis gloriam commendationemque ceſſerunt. Age, igitur, quid Petrus cum ad tuam hanc urbem venit, invenit? quid Paullus reperit? Pudet dicere, dicendum tamen; *Niſi ſylvam* (S. Leo Magn. ut ſupra) *frementiam beſtiarum & turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum. Hic conculcandæ Philoſophiæ opiniones erant; hic diſſolvendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, ubi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quidquid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum*. Ferebare miſera in omne nefas, & in omnem cæco impetu rapiebaris impietatem; *& magnam tibi videbaris aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebas*

-bas falſitatem. Jam quæ ab adventu Apoſtolorum ad tuam hanc urbem, eorumque in eadem commoratione conſecuta ſunt bona, ut non ignoras, ſic te ſemper meminiſſe decet, & nunquam grata animi cum ſignificatione non profiteri. Frementes illæ beſtiæ divina vi manſuefactæ ſunt, turbulentiſſima profundi illius oceani mitigata tempeſtas; & ſi tantæ ſubito tempeſtatis motus non conquievit, tamen poſt diuturnam Apoſtolicæ naviculæ jactationem *facta* tandem aliquando *eſt Chriſto increpante tranquillitas magna*. Conculcatæ delirantis Philoſophiæ opiniones, diſſolutæ terrenæ ſapientiæ vanitates, confutati dœmonum cultus, deſtructa ſacrilegiorum impietas, eliminata prorſus ſuperſtitio, & *quæ eras magiſtra erroris facta es diſcipula veritatis*; neque vero diſcipula ſolum, ſed illa in te Cathedra veritatis conſtituta fuit, ad quam tanquam ad oraculum omni ex parte Catholicus orbis confugeret ac properaret. Itaque *quantum fueras* per Diabolum tenacius illigata *tantum fuiſti per Chriſtum* illorum ipſorum, quos dico, Apoſtolorum opera *mirabilius abſoluta*.

XVII. Neque vero hic mihi exteris injuriam nationibus videbor irrogare, ſi quod de urbe omnium principe dixi, reliquis quoque urbibus ac gentibus, ne excepta quidem Italia, accommodandum putem. Adeat unaquaque natio annales, quæſo, ſuos; vetera monumenta perlegat, & civitatum memoriam ſuarum, quantum poteſt, eruere conetur ultimam, tum qui rerum ante

ſuſce-

ſuſceptam Catholicam Fidem fuerit ſtatus ediſcat, quæ perverſio, quæ conſtitutio, quæ facies; præterea quæ ſuperſtitio & quam deteſtabilis, quæ impietas & quam nefanda, qui mores & quam corrupti, quæ leges, quæ jura, quæ inſtituta, quæ denique feritas, barbaries, inhumanitas fuerit cognoſcat. Nam quid diſſimulemus? quod tegere, quod negare non poſſumus, quod annales teſtantur, quod monumenta loquuntur, quod Italiæ ipſi noſtræ, quod omnibus commune gentibus fuit. Pudet, non diffiteor, illa legere, pudet recordari, quæ majores noſtros & ſentire & facere turpiter non puduit. Sed pudeat, licet, non idcirco illa minus vera ſunt, & certiſſimis annalium conſignata monumentis. Quanquam non tam nobis juſta eſt cauſa pudendi, quam multo juſtior lætandi, quandoquidem tanta in melius rerum omnium a ſuſcepta Catholica Religione eſt facta converſio. Exacta impietas, eliminata barbaries, compoſiti mores, inducta humanitas, pietas, religio, fides. Quæ bona cum ſingulari primum divini Numinis beneficio, tum, ſecundum Deum; huic potiſſimum urbi referre debemus accepta. Hinc enim, hinc inquam illa profecta ſunt, hinc in omnes gentes derivata, ut jure gentes omnes hanc urbem tanquam parentem agnoſcere, diligere ac revereri debeant, niſi ingratiſſimæ, & acceptorum beneficiorum prorſus immemores haberi velint.

XVIII. Verum ut, unde deflexit oratio, ad ſacra monumenta revocetur, neſcio an hujus ipſius, de qua

qua dico, Antiquitatis verior uſquam effigies appareat, & magis ejuſdem expreſſa cernatur ad vivum imago, quam in ſacris *Cæmeteriis*, ſive *Catacumbis*, quas vocant, quæ in gyrum extra urbis mœnia diſpoſitæ totam hanc urbem firmiſſimo obvallantes præſidio muniunt atque defendunt. Obſtupeſcunt enim vero Advenæ omnes, qui Romam ſumma frequentia veniunt, poſtea quam lautiſſimorum capti magnificentia ædificiorum, cæterarumque rerum copia, ſplendore, majeſtate illecti perluſtrarunt totam, obſtupeſcunt, inquam, cum audiunt, alteram inferiorem latitare Romam, quam altiſſime ſub terra depreſſam & conſepultam; eandem vero ſuperiore & frequentiorem eſſe viis, & multo etiam latius longiuſque diffuſam. Hoc primum ipſis videtur incredibile, nec ullo adduci modo poſſunt, ut credant; negare ſe nemini propriis niſi oculis fidem habituros. Cum vero ſubterraneam hanc Romam ſubeunt, oculis ipſis fidem facientibus, mirari ancipites vias, ſemitas, anfractus, diverticula, nec ſatis aſſequi poſſe, quomodo tantum ſoli tanto labore egeri, quomodo tanti ſub terra agi potuerint cuniculi, tam alte deprimi, tam longe produci. Cum vero audiunt varios viarum diſtingui ordines, quorum alius alio inferior ac depreſſior eſt, ut alicubi ad quintum uſque deſcendatur, tanta rei novitate perculſi hærent, nec habent quid reponant, niſi ſe tale quidquam vidiſſe nuſquam,

quam, nec vero legendo unquam audiendoque cognoſſe.

XIX. Cæterum, præter novitatem, tanta eſt horum locorum ſanctitas, tanta religio, ut qui Romæ fuit, & ea non adierit, hunc ego quidem Romæ fuiſſe propemodum negem. Romæ fuit cum alias, tum adoleſcens Hieronymus, atque hæc loca, ut ipſe teſtatur, (In Ezech. cap. XL.) non adiit modo, ſed etiam celebravit, quæ ſic graphice deſcripta nobis reliquit, ut ea pene legentium oculis ſpectanda exhibuerit. *Dum eſſem*, inquit, *Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis, ſepulcra Apoſtolorum, & Martyrum circumire; crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, deſcendant in infernum viventes. Et raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperat tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen demiſſi luminis putes, rurſuſque pedetentim acceditur, & cava nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur;*

*Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.*

Hæc Hieronymus; cui quidem *horrorem* occupare animos facile aſſentior, ſed ſacrum quendam horrorem interpretor. Quod autem additur *ſilentia terrere*, hunc ego certe terrorem, quoties ſacra hæc ipſa loca non

tam

tam viſendi cupiditate illectus, quam religionis inductus ſtudio vel incomitatus adii, & ſolus *cæca filo regente veſtigia* perluſtravi, non ſum expertus.

XX. Nam cui ſacras has cryptas vix ingreſſo non ſtatim illa ſubeat? cui totum illa confeſtim animum cogitatio non occupet? His Chriſtianos illos veteres abdi ſolitos eſſe latebris, in has deſcendere cavernas, hic tandiu, dum vehementior aliqua crudeliſſimarum proſcriptionum edictorumqne procella aliquantum detumeſceret, latitare conſueſſe? Qua cogitatione quid eſſe poteſt ad pietatem commovendam acrius & ad erigendam confirmandamque Fidem vehementius. Hic ego vos appello ſanctiſſimi viri, qui tantum pro religione Catholica ſanguinem profudiſtis, qui tam dura atque acerba pro eadem conſervanda aſſerendaque pertuliſtis; hucne igitur vos perſequentium rabies Tyrannorum compulit? huc adegit? haſne compulſi in cryptas, has in latebras depreſſi, & cavernis latitantes veſtros habere conventus, veſtras celebrare *ſynaxes* cogebamini, ut prope dixerim his in ſepulchris viventes contumula35remini? Nos vero eandem profeſſos Religionem, iiſdem inſtitutos præceptionibus, eadem ſempiternorum propoſita mercede gaudiorum non pudebit quam molliſſime & delicatiſſime vivere, & vel leviſſima tolerare pigebit incommoda, nec ad tantæ conſtantiæ, patientiæ, fidei imitanda exempla excitabimur? Jam qui vivi hic propemodum habitare cogeban-

bantur, huc mortui incredibili numero inferebantur. In celeberrimo Calixti, via Appia, Cœmeterio ad centum ſeptuaginta quatuor millia illata Martyrum corpora dicuntur & conſepulta. Nec vero temere atque indiſcriminatim condebantur; ſed appoſitis, quibus diſtinguerentur, certiſſimis ad ſepulcra notis. At quæ tandem erant iſtæ notæ? Sanguis, Quirites, ſanguis inquam, vitreis, aut teſtaceis exceptus ampullis, ſpongiæ rorantes ſanguine, capilli, lintea ſanguine imbuta, hæ erant notæ, quibus monumenta Martyrum novo inſcriptionis genere ſignabantur, ut ſanguis ipſe pro Chriſto conſtanter fuſus, & cauſam mortis doceret, & fortiſſimorum Heroum fidem conſtantiamque prædicaret. Cernuntur adhuc hæ ipſæ ampullæ ſacro cruore tinctæ, & egomet plura earum fragmenta collegi, quarum aliquæ noſtra prope memoria vivo ac liquenti poſt tot ſæcula refertæ ſanguine, a ſollertibus harum rerum indagatoribus (Aringhius Rom.ſubt.lib.II. cap.XXIII. Boldettus de Cœmet. lib.I. cap.XXIX.) repertæ dicuntur.

XXI. Verum, ut revertar eo, nuſquam hujus generis, de quo dico, monumenta evidentius ſpectanda proponuntur, nuſquam crebrius occurrunt, quam in his ipſis Cœmeteriis, in quibus non eorum adumbratio veluti quædam aſpicitur, ſed expreſſa imago cernitur atque perſpicua. Hic nihil eſt, quod harum rerum ſtudioſus deſideret, nihil, quod requirat, nihil, quod

oculis ipſe ſuis uſurpare non poſſit. Hic templa ad ſacros celebrandos conventus deſtinata, hic ſacella in miram altitudinem depreſſa, hic antiquiſſimo opere muſiva, hic inſcriptiones adſcriptis Conſulibus notatæ, hic *Agapæ*, hoc eſt convivia caritatis, vetuſtiſſimis expreſſæ picturis, hic marmoreæ ad eum ipſum uſum menſæ, hic Chriſti Salvatoris effigies, & vivificæ Crucis imagines. Nam quid dicam de *Symbolis*, *Hieroglyphicis*, de *Monogrammatis*, de *Programmatis*, vitris, lucernis, aliiſque hujuſmodi prope innumerabilibus pia atque attenta animadverſione digniſſimis, prorſus ut hæc loca, qui diligenter peragret, & diligentius inveſtiget, omnes veteris Eccleſiæ ritus, cæremonias, inſtitutioneſque cognoſcat. Jam, quæ reliqua hoc de genere hac in urbe, magna copia exſtant, & paſſim cernuntur, ſigna, picturæ, muſiva, Baſilicæ, in Baſilicis abſides, pulpita, cathedræ, cancelli, gradus, porticus, ſubterraneæ cameræ, aliaque hujuſmodi innumerabilia non ego hic prolixa extra modum oratione colligam. Facile ea quiſque per ſe ſacras obeundo Baſilicas obſervare poteſt, & ſiquidem harum rerum ignarus omnino non ſit, earundem tempus, ætatem, uſum notare, diſtinguere, definire, ex iiſque acutius notatis, diſtinctis, definitis omnem propemodum antiquæ diſciplinæ elicere morem atque ediſcere. Omnino, quemadmodum ab initio dixi, ut nulla urbs prophanis, ſic nulla ſacris refertior Româ monumentis
eſt

eſt & locupletior. Uſque adeo ad hanc urbem nobilitandam omnia utriuſque generis, & vero etiam omnium generum decora atque ornamenta confluxerunt.

XXII. Nunc vero cum ſatis multa de incredibili ſacrorum, quibus hæc urbs abundat, monumentorum copia dixerim, de eorundem pretio ac dignitate quid hic ego addam, Quirites? Paucis me expediam, ſi dicam, his Religionem ipſam pretium facere, Religionem dignitatem conferre, Religionem hæc nobis quam maxime commendare; ut ob hanc cauſam nobis cariſſima in primis eſſe debeant, a nobiſque ſint ſummo ſtudio diligentiaque cuſtodienda. Nec vero ſi horum aliqua, prima ſpecie atque aſpectu, oculos a ſe repellere noſtros videantur, idcirco aut contemnenda, aut minori in pretio habenda ſunt. Nihil ſane in hujuſmodi monumentis, rudi fere opere confectis, quod noſtros magnopere alliciat oculos, objicitur; nullum in picturis, nullum in ſignis, nullum in muſivis, nullum in ædificiis artificium cernitur; ſed ne ullum quidem ab æquis harum rerum atque idoneis æſtimatoribus requiritur; nec vero a quoquam, qui omnino imperitus non ſit, requiri poteſt. Nam, quid in illa primorum ſæculorum inopia, quid Chriſtiani illi veteres aut magnifici, aut elegantis in quaque re, ſive opere cogitare? quid moliri? quid perficere poterant? Quomodo Chriſtiani artifices artibus quique ſuis ſervirent, qui quotidie conquirebantur ad necem, quibus libere non

modo vivere, ſed ne reſpirare quidem conceſſum erat? Quare ſuis in opificiis, quæ Religionis uſus poſceret, ea tantum ſatis habebant quoquo modo efficere; nec ſibi aut venuſtatem in picturis, aut ſpeciem in ſignis, aut reliquis in rebus elegantiam quærendam arbitrabantur. Quorſum iſta, quæ uſus ipſe tanquam neceſſaria non poſtulabat, & quæ perfici iniquiſſima tempora non patiebantur? Raptim in illa trepidatione rerum conſtruebant ædiculas, quantum ſat erat ad ſacratioris alicujus loci indicanda veſtigia, prodendamque memoriam. Nam ſub terra, & in cæcis illis, quæ commemoravimus, latibulis quis eſſe poterat artificio locus? Robuſti foſſoris operam molitiones illæ requirebant, nec certe ullo modo periti artificium Architecti flagitabant.

XXIII. Conſecuta ſunt utique tranquilliora tempora, & poſt alternantem iniquiſſimarum viciſſitudinum inconſtantiam, Conſtantino imperante, tum demum oblata & confirmata Eccleſiæ pax. Verum eo ipſo tempore omnium artium ſic in pejus collapſa erat diſciplina, ut perfecti nihil atque abſoluti ab ullo artifice requiri poſſet, ne dum a Chriſtianis artificibus poſtulandum foret. Quæ fuerit ædificandi ratio illis temporibus oculis ipſi noſtris intuemur. De veteribus Ethnicorum ædificiis, quæ diſſolvi jam ab eo tempore cœperant, quod ipſe Conſtantini triumphalis arcus diſerte docet, & templa ab eodem ædificata confirmant, ſumptis

ptis columnis, baſibus, epyſtiliis, zophoris, aliiſque hujuſmodi ſive ad opus, ſive ad operis ornamentum comportatis, nulla quæſita convenientia partium, ſacris ea ædificiis, ut poterant, in illa omnium ignoratione artium accommodabant. Eadem Picturæ atque Sculpturæ illis temporibus conditio fuit, nihil ut melius a Pictoribus, & Sculptoribus, quem ab Architectis exſpectari poſſet. Itaque ut imperitus habendus eſſet, qui his in operibus perfectionem requireret, quam adverſa artibus tempora non ferebant, ſic injurioſus, qui quod temporum vitio ac culpæ adſcribendum fuit, id Chriſtianorum artificum negligentiæ, ac deſidiæ aſſignandum putaret.

XXIV. Sed alia prophanorum, alia ſacrorum ratio eſt monumentorum, & multo diverſa. In illis nihil fere niſi opere perfectum, atque exquiſito elaboratum artificio probatur; contra vero in noſtris tantum abeſt ut perfectio, atque elaboratio quærenda ſit, ut potius quo minus perfecta ſunt atque elaborata, eo cariora nobis & commendatiora eſſe debeant. Nam, præter quam quod horridum illud atque impolitum, quod fere in ejus temporis ſive picturis, ſive ſtatuis, ſive muſivis cernitur, non dubium vetuſtatis habetur indicium, in illo ipſo horrido atque impolito neſcio quid ſacrum ac religioſum ineſt, quo animus noſter, objecta venerandæ Antiquitatis imagine, incredibiliter percellitur & commovetur. Ego certe quoties vetuſtiores ingredior

Baſilicas, quoties antiquas Chriſti ac Deiparæ effigies cerno, quoties priſca muſiva intueor, quoties rudes illos atque inconcinnos, quos ſepulcris Martyrum inſcripſit Damaſus, verſus lego; toties non ſolum non offendor, ſed intimori potius quodam religionis ſenſu tangor atque afficior. Hoc ipſum unumquemque, qui recto ſenſu ducatur, experiri neceſſe eſt, & ob hanc ipſam cauſam ſacra hæc monumenta magni facere, & vero etiam religioſius venerari.

XXV. Quanquam cum omnibus in rebus, tum præſertim in his non tam quærenda venuſtas atque elegantia, quem ſpectandus potiſſimum uſus, atque utilitas expetenda. Quam porro majorem optare utilitatem, quem potiorem eo ipſo expetere uſum poſſumus, quem nobis iſta ipſa affatim monumenta ſufficiunt. His omnis ac tota propemodam veteris diſciplinæ ratio continetur; his illuſtre ejuſdem & conſpicuum nobis exemplar proponitur; his priſca majorum inſtituta noſtrorum mirifice comprobantur, nihil ut ad antiquam Eccleſiæ formam ſive retinendam accommodatius, ſive reparandam poſſit eſſe conducibilius? Tantum in veteri diſciplina ponendum momenti cenſuit Tertullianus (lib. I. contra Marcion. cap. XIII.) *ut omnino rem Chriſtianam antiquitate ſtare, nec ruinoſam poſſe certius reparari, quam ſi ad originem cenſeatur*, affirmare non dubitaverit. Quid? quod ſacra hæc monumenta non veteris tantum diſciplinæ formam nobis exhibent, ſed invi-

invicta etiam argumenta ſuppeditant, quibus certiſſima alioquin Religionis noſtræ dogmata confirmantur interdum & propugnantur. Nam quid Iconomachus reponat, qui ſacras eſſe imagines venerandas neget, cum ei hæ ipſæ imagines ſive ex veteribus Baſilicis, ſive ex ſacris Cœmeteriis multo antiquiſſimæ opponuntur. Hic vero quam elegantiam importune flagites? quam inepte atque adeo imperite venuſtatem quæras, quæ quidem ſi adſit, omnis continuo ad confutandos ſacrarum imaginum oſores impios graviſſima Antiquitatis auctoritas abſit. His de cauſis nemo, opinor, non videt quanti hujuſmodi monumenta facienda ſint, ex quibus tanta percipi utilitas poteſt.

XXVI. Reliquum igitur eſt, ut conſerventur. Quo loco non poſſum Summorum egregiam non laudare Pontificum diligentiam, quorum præcipua hæc ſemper cura fuit, ut editis ſapientiſſimis legibus eorum perpetuitati caverint, incolumitatique providerint. Verum quæ tanta adhiberi cura ab ipſis potuit, quam non illa rerum omnium confectrix vetuſtas caſſam reddiderit atque inanem? Quo pacto legibus, edictis, interdictis prohiberi incendia, præcaveri ruinæ potuerunt? Quomodo tot præſertim depopulationibus occurri, quibus hæc urbs obnoxia fuit, ab immaniſſimis ſæpe gentibus peſſimum in modum vaſtata atque direpta? Quam multas ſacris in viis a veteribus Pontificibus extructas Baſilicas vel ſolus Anaſtaſius Bibliothecarius commemorat, & ve-

tuſti paſſim codices indicant, quæ nunc aut nullæ omnino ſunt, aut exiguis tantum veſtigiis ſuperſtites. His acceſſit, quæ ſacris hujuſmodi monumentis non minimum certe exitium attulit, pia videlicet nonnullorum, ſed improvida admodum cura, qui non ſatis harum rerum periti, aut ad novos inducendos ornatus vetera muſiva loco depulerunt, aut evaneſcentes picturas ſic inſtaurarunt, ut priſtinam omnino formam amiſerint, aut ruinoſa templa ſic refecerunt, ut cum veterem cultum cum recenti ornatu copulare ſtuduerint, quæ duo componi non poſſunt, nec ullo modo coaleſcere, ea aut omnino perdiderint, aut ex eis quiddam, quod nec novum, nec vetus eſſet, effecerint.

XXVII. Verum hæc partim excidia, partim infortunia, quæ pro rerum humanarum conditione nec præcaveri, nec vitari potuerunt, tantum abeſt, ut noſtrum in iis, quæ reſtant, conſervandis retardare ſtudium, ut illud potius acrius commovere debeant, ac vehementius incitare. Quorum amiſimus monumentorum jactura ut æquo animo ferenda eſt, ita eorum, quæ reliqua facta ſunt, ſtudioſius cura a nobis eſt impenſiuſque ſuſcipienda. Nam quod ad ſacra Martyrum corpora attinet, quæ primum obtinere in hiſce monumentis dignitatis locum debent, eorum curam Romani in primis Pontifices, ut æquum erat, ſibi vindicarunt. Quo nomine parem habere gratiam Roma nunquam poterit duobus Sanctiſſimis Pontificibus Silveſtro I. & Paſcali item I.,

quo-

quorum ſingulari providentia effectum eſt, ut ſacra hujuſmodi pignora non ſolum ad hanc uſque diem conſervarentur, ſed in poſterum etiam hac in urbe perſtarent, ac retinerentur. Et Silveſter quidem religioſiſſimi Imperatoris oblatam a Deo opportunitatem nactus, ita ſacris Apoſtolorum corporibus cavit, ut magnificentiſſimi Principis impenſa ſepulcrum illis, *quod eſſet immobile* (Bollan. 29. Junii) conſtituendum curaverit. Etenim tam incredibilis *æris Cyprii* circum affuſa copia fuit, ut ex ea immani adeo pondere, & firmitate coaluerit maſſa, quæ loco unquam moveri non poſſet. Acceſſit præterea tanta loco ipſi tutando reverentia, tanta religio, ut illum ab eo tempore nemo attentare ſit auſus, quin prodigiis fuerit atque oſtentis ab incœpto deterritus. Itaque præcipuo huic ac religioſiſſimo monumento Santiſſimi Pontificis ſtudio ita proviſum, & divina ipſa virtute cautum fuit; ut confidere poſſimus nunquam ab hac urbe averſum iri, eoque Romam ſempiternum in tempus potituram.

XXVIII. Alter vero cum Martyrum corpora a ſacris averti Cœmeteriis, atque in externas aſportari regiones animadvertiſſet, tantam jacturam non paſſus, eam antevertit, & ſacra illa pignora in urbem tranſtulit, atque ita in tuto collocavit. Neque vero hac in re non divino agi numine Sanctum Pontificem compertum fuit. Etenim cum inani ſtudio nobiliſſimæ Martyris Cæciliæ (*Boſius in Act. edit. Romæ*

*mæ anno MDC.*) Virgineum corpus conquiſiviſſet, ab ipſamet ſibi in ſomnis conſpicua locum, in quo latebat, edoctus, & corpus invenit, & in dicatam illi Baſilicam intulit, ibique compoſuit, unde jam pridem ab ipſa avita domo ejus in cælum ſpiritus avolarat. Reliqua porro, quæ nullo numero in ſacras cryptas comportata fuiſſe Martyrum corpora diximus, etſi optimo Pontificum inſtituto ad externarum gentium ſolatium, fovendamque Religionem diſpertiantur, confidere tamen poſſumus nequaquam fore, ut iiſdem ſacra prorſus Cœmeteria viduentur. Nam obſtructis ſubſidente ſolo viis, & aquis ſtagnantibus interciſis ad intimiores eorum partes neque patet, neque vero fortaſſe, cum prope in immenſum producantur, in poſterum patebit acceſſus. Quod quidem ego divino adſcribendum conſilio arbitror, ne horum locorum aut ſenſim religio obliteraretur, aut memoria intercideret, aut vero etiam hæc *Martyrum Concilia*, quo vocabulo appellata reperio, prorſus diſturbarentur. Jam ea, quæ ſi cum præcipuis conferantur, eſſe minoris æſtimanda videri poſſunt, non idcirco negligenda nobis ſunt, minuſque cuſtodienda. Hæc non Religio ſolum, ſed ipſa etiam nobis Antiquitas commendat. Nova templa ædificari poſſunt, nova ſigna, novæ picturæ, nova muſiva comparari. Quæ vetuſta ſunt, ſi ſemel aut per incuriam ammiſſa, aut per ignorantiam deleta, aut dedita opera diſturbata fuerint, reparari omnino non poſſunt.

Hæc

XXIX. Hæc habui, quæ de ſacrís monumentis, non aliunde accepta, ſed ex meo ſenſu deprompta, quemadmodum ab initio profeſſus ſum, in præſentia dicerem. Jam ſi prophana vulgo tanti fiunt, quanti utique fieri a cultis gentibus debent, quem tandem prætii modum ſacris conſtituendum monumentis putabimus? Hæc Religio ipſa nobis tradidit; hæc quam maxime nobis ipſa commendat; hæc, quantum quidem per tempus & vetuſtatem licuit, eadem tutata eſt, & noſtra uſque ad tempora conſervavit, ut nos etiam ab eadem accepta, quantum quidem fieri per nos poſſet, conſervaremus & conſervata poſteris noſtris traderemus. Neque vero ſi hujuſmodi monumentorum magna Romæ copia eſt, ea gignere nobis faſtidium debet; multo autem minus illos audire nos decet, qui ſacra præſertim corpora Catholicis diſpertita urbibus vellent, quo major ipſis cultus, ut ajunt, & veneratio conciliaretur. Hoc, præter quam quod huic urbi maxime injurioſum eſſet, perinde quaſi hic contempta jacerent atque negleċta; quæ quidem aureis incluſa thecis, & marmoreis excepta conchis, & omni honoris ac venerationis ſignificatione habita nos ipſi intuemúr; hoc inquam a divino illo, quod a principio indicavimus, Dei ipſius conſilio quam maxime abhorreret, qui hanc urbem iſtorum ipſorum monumentorum copia ſupra reliquas ditatam voluit, ut reliquis Catholicis urbibus cum ornamentis omnibus, tum his

præ

præſertim una maxime antecelleret. Hæc præcipuum huic urbi decus conferunt, hæc eam in eo, quod diximus, ampliſſimæ dignitatis faſtigio collocant; hæc denique ei ſingularem illam ſuam appellationem adſtruunt, ut *Sancta* & re ipſa ſit, & vere nominetur. Qui Romam tanta frequentia religionis cauſa veniunt, hoc perſuaſum habent, ſe ad eam urbem venire, qua nulla ſacris hiſce monumentis refertior ſit ac locupletior. Hæc perſuaſio fovenda in primis eſt, ne ea ſublata & concurſus affluentium populorum intercipiatur, & debita erga hanc urbem veneratio deſideretur.

XXX. Suſcipiamus igitur, Quirites, dignum ſacris hiſce monumentis ſtudium, ſuſcipiamus curam; & quod præcipuum eſt, nec vero unuſquiſque noſtrum de ſe præſtare non poteſt, ea omni & cultus & obſequii ſignificatione proſequamur. Præclare more ſuo & eloquenter Joannes ille Chryſoſtomus hujus ipſius urbis in primis amator, & vero etiam admirator ſcriptum reliquit, ac diſerte profeſſus eſt; Nimirum non laudare ſe Romam *a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine ab imperio, a divitiis, a rebus in bello fortiter geſtis; ac neque eandem admirari nec propter auri copiam, nec propter columnas, nec propter aliam quamcumque ſpeciem*, ſed illam & laudare, & admirari & diligere propter hæc ipſa, quæ hactenus proſecuti ſumus, monumenta; atque adeo præſertim, quod Beatorum Apoſtolorum pretioſas exuvias poſſideat,

*ſe*

*ſe beatam prædicare*. Illa vero, quæ ſubdit, quam ſincere, quam pie, quam ex intimo cordis affectu prolata ſunt? *Quas nam*, inquit, *vobis o Beati Apoſtoli gratias referemus, qui tantum pro nobis laboraſtis, tot carceres ſanctificaſtis, tot catenas decoraſtis, tot tormenta ſuſtinuiſtis. Memini tui Petre, & obſtupeſco; recordor tui Paulle, & excedens mente opprimor lacrymis*. Illa denique, *ſit mihi gladius Paulli pro corona, & clavi Petri pro gemmis infixi in diademate*, quo tandem exuberantis, ut ita dicam, & ingenioſæ pietatis affectu a ſanctiſſimo viro pronunciata exiſtimabimus? Ita de ſacris hujus urbis monumentis ſenſit Chryſoſtomus; idem ſentire nos de iiſdem decet, illudque, quantum eniti poſſumus, curare, ut eodem erga eadem incenſiſſimo & religionis & pietatis ſtudio feramur. Ego quidem partim oblata, partim captata occaſione multa de præcipuis Italiæ noſtræ ornamentis pro mea erga populares meos caritate dixi, illoſque ad ea ſive conſervanda, ſive etiam amplificanda ſum adhortatus; nunc vero facilem quorumqumque ornamentorum jacturam eſſe dico, dummodo ea, quæ a Religione proficiſcuntur, una cum ipſa Religione a nobis ornamenta retineantur.

Hæc

Hæc de ſacris Urbis Monumentis ex proprio ſenſu Parthenius deprompſit, quæ ita rationi conſentanea ſunt, ut quivis ratione utens ab eo diſſentire non poſſit. Idem olim ſenſit Cæſar Card. Baronius Sacrorum Monumentorum æſtimator in primis idoneus, quod ejus ſcripta declarant, & vero etiam, cum ei occaſio ſe obtulit, cuſtos religioſus. Sortitus Titulum *Faſciolæ* ita ejus Tituli Baſilicam ornandam ſuſcepit, ut nihil de ſacra, qua potiſſimum cenſebatur, antiquitate deperiret. Conſervavit quæ potuit, Confeſſionem, ſuggeſtum, candelabra, marmorea ad ſacros codices ſuſtinendos fulcra, cathedram, & reliqua. Homiliam, quam in hac Baſilica S.Gregorius M. habuerat, in ipſo marmoreo Pontificio ſolio, ut fertur, incidendam curavit. Sed audiendus eſt Hieronymus Barnabeus ejus vitæ ſcriptor, qui lib.3.cap.13. hæc habet: „ Cum aliquando ſeptem præcipuas „ urbis Eccleſias religionis cauſa obi„ ret, aſpiceretque antiquas Templi „ ruinas, disjectos parietes, atque „ omnia proſtrata & ruderibus ple„ na; „ *Hem*, inquit, *ad ſocios quo tandem SS. Martyrum Nerei & Achillei templum antiquiſſimum redactum eſt. Hic Sanctus Gregorius Papa Homiliam ad populum habuit; hic priſcis illis temporibus Titulus a majoribus erectus eſt, & Faſciolæ appellatus. Quid dicent Heretici, qui quotidie ab Urbem veniunt, & nos undique calumniantur? Tu ſcis Domine quid ego facturus eſſem, ſi animo ſuppeterent vires.* „ Igitur cum primum ſeſe „ occaſio obtulit, Eccleſiam reficien„ dam curavit, ac prope a funda„ mentis excitatam ornavit & perfe„ cit, ſervata tamen veteri forma, „ atque inſtauratis quibuſdam anti„ quis imaginibus in abſide ejuſdem „ Eccleſiæ muſivo opere delineatis; „ deinde, annuente Clemente VIII. „ Pontifice, corpora SS. Martyrum „ Nerei, Achillei, & Flaviæ Do„ mitillæ ibidem olim ſepulta ex „ Diaconia S. Adriani, quo ſub Gre„ gorio IX. translata fuerant, in ſuum „ priſtinum locum celebri pompa re„ duxit v. Id. Majas 1597. „ Huc uſque Auctor vitæ; placet his addere Inſcriptionem, quam ſanctiſſimus & doctiſſimus Vir voluntatis & judicii ſui teſtem in eadem Baſilica marmori inſculptam exſtare voluit.

D. O. M.

SS. NEREI ET ACHILLEI FRATRUM
FORTISSIMOR. CHRISTI MARTYRUM
QUI A S. PETRO BAPTIZATI SUNT
TITULUM HUNC AB ANTIQUISS. TEMPORIBUS
IN EORUM HONOREM ERECTUM UBI ET
S. GREGORIUS MAGNUS PP. CONCIONEM HABUIT
A S. LEONE PP. III. INSTAURATUM
ET AB ALIIS ROMANIS PONTIFICIB. ORNATUM
CUM VETUSTATE PENITUS COLLAPSUS ESSET
CÆSAR BARONIUS SORANUS
EJUSDEM TIT. PRÆSB. CARD. ET BIBLIOTHEC. AP.
IN HANC FORMAM RESTITUIT
SACRAQ. ILLOR. CORPORA UNA CUM CORPORE
S. FLAVIÆ DOMITILLÆ VIRG. ET MART.
CUJUS AMBO EUNUCHI LONGUM CUM EA
PRO CHRISTO EXILIUM IN INSULA PONTIA
DUXERUNT
EX DIACONIA S. HADRIANI ACCEPTA
IN HUNC EUNDEM TIT. UBI OLIM CONDITA FUERANT
RITU PROCESSIONIS SOLEMNI REDUXIT
ALIASQUE COMPLURES SS. RELIQUIAS ADDIDIT
CUNCTA BENIGNE DECRETIS SUIS CONCEDENTE
CLEMENTE VIII. PONT. MAX.
QUI HUIC ITEM ECCLESIÆ JUS PERPETUUM
STATIONIS CUM SACRIS INDULGENTIIS ATTRIBUIT
AN. SAL. MDXCVI. IIII. ID. MAII PONTIFIC. VI.

---

PRESBYTER CARD. SUCCESSOR QUISQUIS FUERIS
ROGO TE PER GLORIAM DEI
ET PER MERITA HORUM MARTYRUM
NIHIL DEMITO NIHIL MINUITO NEC MUTATO
RESTITUTAM ANTIQUITATEM PIE SERVATO
SIC TE DEUS MARTYRUM SUORUM PRECIBUS
SEMPER ADJUVET.

Digitized by Google

# IN RENUNCIATIONE FRANCISCI I. IMPERATORIS AD FLORENTINOS.

## GRATULATIO.

QUÆ res proxime habitis de Imperatore eligendo comitiis, & comitiorum ipſorum non mediocriter perturbare rationem, & communibus omnium noſtrum votis obeſſe plurimum videbatur poſſe, ea, ſingulari divini Numinis beneficio, nec comitia ipſa pervertit, nec impedimento fuit, quo minus, quem vota noſtra potiſſimum ſpectabant, & unum maxime expetebant, Imperatorem haberemus. Optabamus, quandoquidem Franciſcus, Magnus Etruriæ Dux, ſummi honoris petitor acceſſiſſet, ejus præſertim haberi rationem; & meritiſſimum Candidatum vel in magno lectiſſimorum Candidatorum numero a Suffragatoribus in ſummi honoris petitione non præteriri. Videbamus nihil in eo deſiderari, quod ad ſplendidam in primis atque illuſtrem adornandam petitionem maxime conferre poſ-

poſſet; nihil eorum deeſſe, quæ ad ſummum cum dignitate Imperium, ſiquidem delatum illi fuiſſet, ſuſtinendum requirerentur. Verum cum hæc ipſa, in quibus verſamur, iniqua ſane atque adverſa nobiſcum tempora reputaremus, ſi non omnino concepta ſpe dejiciebamur, angebamur certe vehementer, & cum omnia, tum vero præſertim in dubiis difficillimiſque temporibus dubium ipſum plerumque atque ancipitem comitiorum exitum formidabamus. Etenim ſi conſultatio omnis quietum ac tranquillum tempus expetit, quale hujuſmodi tempus expeti putandum erit ab ea, in qua negotiorum omnium longe graviſſimum ac maximum accurandum tranſigendumque proponitur? Jam quæ tranquillitas aut quies haberi poterat, quæ conſultandi deliberandique certa ratio oſtendebatur, cum circum undique armati diſcurrerent, cum late omnia inconditis militum clamoribus perſonarent, omnia turbulentiſſimis bellorum tempeſtatibus permiſcerentur. Quid igitur cauſæ fuit, Florentini, cur in tanta perturbatione ac trepidatione rerum, tanquam in ſumma pace atque otio tale ac tantum non ſuſceptum modo, ſed peractum e ſententia ſit, confectumque negotium. Ego vero, poſt Dei Optimi Maximi regnorum imperiorumque viciſſitudines ſapientiſſime providentiſſimeque moderantis conſilium, non aliam hujuſce rei veriorem afferri cauſam arbitror poſſe, quam ſingularia atque explorata

Franciſci ipſius merita, quæ moras omnes conſultationeſque præciderint, impeditiſſimumque negotium quam citiſſime ac feliciſſime explicarint. Acceſſit Petitor is, qui, ut in conſpectum ſe dedit, Suffragatorum omnium in ſe oculos converti t, animos ſibi devinxit, ſuffragia ſibi conciliavit, ut vix ſumpto ad conſultandum ſpatio, & ampliſſimo honore digniſſimus habitus fuerit, & honor ipſe ſtatim ad eum unanimi Suffragatoru m ipſorum conſenſu ſententiaque delatus. Eſt igitur, Florentini, cur lætemur, quandoquidem quod tantopere concupivimus, conſecuti ſumus; eſt cur debitas divino Numini, cujus munere beneficam hoc in negotio erga nos voluntatem experti ſumus, gratias referamus; eſt denique cur tantam dignitatem Franciſco primum, cujus meritis tributa fuit, tum nobis etiam, in quos ſumma hujus ipſius dignitatis redundant commoda, gratulemur. Hic vero non ego vos ad hujuſmodi gratulationem oratione hac mea erigendos atque excitandos ſuſcipiam, ad quam ſatis ſponte veſtra animati jam eſtis atque commoti, ut neque mea, quæ nulla eſt, neque Oratoris ullius voce atque eloquentia indigeatis. Nemo enim non videt, atque adeo ſentit, quanti omnium interſit eum electum fuiſſe Imperatorem, in cujus electione omnium ſaluti conſultum ſit, & publica felicitas conſtituta. Itaque vos orabo potius obteſtaborque, ut me ac ſodales meos in hujus ipſius gratulatio-

lationis partem venire ſinatis, & noſtram hanc erga benemerentiſſimum Principem, totamque ejus familiam voluntatis & obſequii teſtificationem aſpernari ne velitis, ex qua ſi publicæ gratulationi cumulus non accedet, aliqua ſaltem & ea quidem fortaſſe non contemnenda eidem acceſſio fiet.

I. Non dubium, Florentini, quin ad ſummi petitionem honoris ii acceſſerint Candidati, qui genere, opibus, gratia, affinitatibus, clientelis, aliiſque hujuſmodi adjumentis valerent plurimum, quæ quidem ſi ſpectari ſola in tanto honore demandando & valere debuiſſent, facilis atque explorata hujus confectio negotii videri poterat. Verum hæc ſpectanda quidem a Suffragatoribus erant, ſed non ita, ut in iis totius conſultationis vis ac ratio omnis verteretur. Multo altius, ut ego quidem ſentio, cogitatione ſua evadendum illis fuit, & in graviſſimi negotii naturam atque indolem interius intimiuſque pervadendum. Non enim agebatur ſolum de novo eligendo Imperatore, cujus electio in quem tandem cumque, modo idoneum, caderet, rata habenda eſſet, ſed de eodem Auſtriacis Imperatoribus ſufficiendo; quod quidem non ſine maximo & animorum & armorum motu tranſigi poſſe videbatur. Quare illud in hujus tranſactione negotii maxime providendnm erat, & omnino præcavendum, ne quæ res ad publicam quietem ac tranquillitatem pertineret,

ea, inconſulta deliberatione, in commune exitium atque perniciem verteretur.

II. Quadrigentos Germania prope annos & reliqua adjecta Imperio regna atque provinciæ ſub Auſtriacorum Principum ditione fuerant, quorum dominatum ſubditi populi maxime beneficum ac ſalutarem experti in illos non proclivitate ſolum animi quadam tanquam in Dominos, ſed tota etiam voluntate quaſi in amantiſſimos Parentes ferebantur. Sic enim illi imperitarant, ut omnium ſibi animos fide, juſtitia, pietate, religione, ac reliquis virtutibus, quæ optimorum Principum comites ſunt & recte conſtitutorum adminiſtræ regnorum, mirum in modum devinxerint. Itaque communia populorum illorum ac provinciarum ea vota ſemper fuerant, ut Imperium non ſolum in Auſtriaca familia inveteraſceret, ſed etiam, ſi fieri potuiſſet, in eadem ſempiternum in tempus reſideret atque perſtaret. Occurrebant animo Caroli illi Magni, Ferdinandi, Maximiliani, Rodulphi, Joſephi, cæterique Auſtriacæ familiæ egregii Principes, quorum eximia erga ſe promerita ac plane immortalia oblivifci non poterant. Carolus vero VI. omnium propemodum adhuc oculis, animis certe obſervabatur, cujus non memoria ſolum, ſed etiam profecta in omnes ex paterna Caroli ipſius caritate beneficia erant quam recentiſſima. Itaque, quandoquidem ejus ſtirps interci-

ſa

ſa fuiſſet, illum eidem ſuffici Imperatorem maxime expetebant, qui, ſi quo modo fieri poſſet, non aliunde adſcitus, ſed ex eadem propemodum familia ſuffectus videretur. In hoc tota vis, ut ego arbitror, & ſumma negotii ſita erat; hoc in deliberationem conſultationemque veniebat.

III. Videte nunc, Florentini, quantum communibns omnium votis faverit Deus, quam opportune Suffragatoribus Franciſcum obtulerit; in quo uno mira quadam ac prope incredibili conſenſione ea collecta reperiebantur omnia, quæ non modo aliquam difficillimi negotii expediendi rationem oſtenderent, ſed deliberationem ipſam certam facerent atque exploratam. Et primum ſi duarum familiarum Auſtriacæ, & Lotharingicæ originem indagare velimus, ambæ ex eadem ſtirpe prognatæ atque deductæ non inanibus conjecturis, ſed valde probabilibus argumentis feruntur; qua re, ut videtis, nihil accidere commodius potuit, ſiquidem novus Imperatorum ordo eſſet inſtituendus, quam ut hujus ex ea potiſſimum familia caperetur exordium, quæ Auſtriacæ ipſi ab ultimis uſque primordiis conjuctiſſima ab eodem clariſſimo fonte dimanaſſet. Verum ut hoc in obſcura atque incerta priſcorum ſæculorum caligine involutum lateat, certum eſt inter duas haſce nobiliſſimas familias ſummam nunquam non interceſſiſſe neceſſitudi-

nem, crebriſque ſecum affinitatibus fuiſſe cognationibuſque devinctas.

IV. Verum ut affinitates cognationeſque hujuſmodi longius petitas omittamus, quæ in regiis familiis late patent, illud certe Franciſci petitionem adjuvare magnopere debuit, quod originem ex ea familia duxerit, quæ ſic Romanum ſemper dilexit Imperium, ut nunquam illud externum atque alienum putarit; perinde, quandocunque ſeſe occaſio obtulit, tutata eſt, quaſi proprium eſſet atque avitum. Hoc certe non latuit Auſtriacos Principes; immo vero illis adeo certum fuit atque exploratum, ut maximam ſemper in hac familia ejus ſive defendendi, ſive amplificandi ſpem collocarint. Eccui enim fidentius ſuas ipſi committere copias, exercitus tradere, bellorum adminiſtrationem demandare aut poterant, aut debebant, quam Lotharingiæ Ducibus, quorum nunquam experti non erant rebus in dubiis fidem, in maximis virtutem, in difficillimis felicitatem. Sic igitur habetote, Florentini; Quoties nutare Imperium viſum fuit, toties ab hac gente ſuffultum eſt; quoties a potentiſſimis hoſtibus petitum, toties ſtrenue defenſum; quoties impeditiſſimo in diſcrimine conſtitutum, toties feliciſſime explicatum.

V. At enim in hac familia diſciplina militaris aut nova fuit, aut inuſitata, aut omnino non floruit, ut hoc cuiquam aut minus credibile, aut nimis a

me

me fortaſſe exaggeratum videatur? Immo vero ulla ſi regia in ſtirpe bellica virtus unquam viguit, in hac certe non viguit modo; ſed etiam inveteravit, ut ejus propria dici poſſit ac ſingularis. Quo quidem in genere laudis tam multa ubique gentium ad ſempiternam nominis famam ab hac gente conſtituta ſunt monumenta; ut nullam prope regionem in noſtra Europa, atque adeo extra ipſam Europam invenire ſit; quæ ejuſdem victoriis non fuerit ac trophæis inſigniter nobilitata. Utinam orationis hujus meæ is eſſet exorſus; ut mihi de militari Lotharingiæ Ducum gloria dicendum foret, quam libenter quæ in Gallia; quæ in Italia, quæ in Hiſpania; quæ in Africa a clariſſimis inviċtiſſimiſque Ducibus incredibili virtute geſta ſunt; ornanda ſuſciperem. Commemorarem (*Auguſt. Calmet in Epit. Hiſt. Loth.*) Fridericum IV. qui Philippo Valeſio comes additus, ejuſque rebus impenſiſſime ſtudens ſe difficillimi belli offenſionibus committere, animamque in ipſo bello profundere non dubitavit. Non ſilerem Antonium, qui commiſſo prælio Venetos devicit, & Mediolanenſem ditionem Franciſco I. Galliarum Regi aſſertam in ejus poteſtatem redegit. Rodulphum non tacerem, qui Caſtellanis ipſius fidem implorantibus, & auxiliarias manus contra ingentes Maurorum copias petentibus præſto fuit, & nefarios impuriſſimæ gentis conatus invicte repulit atque repreſſit. Dicerem

Teutonicos equites contra Lithuaniæ ducem ab Joanne ſemel & iterum ſtrenue defenſos, devictum ſuperatumque ab Carolo II. Pruſſiæ Regem, eundemque captivum Mariemburgium miſſum. Nec præterirem in Africano littore Tunetum, quo appulſus Carolus II. una cum Borbonio Duce Chriſtianos captivos libertate donavit, Carthaginem obſidione cinxit, Africanum exercitum adortus magna clade affecit, Tuneti ipſius Regem ingenti pecunia mulctavit. Neque vero bella pro Religione Catholica fortiter, conſtanterque pugnata omitterem; quo loco & præclara contra Ugonotas Guiſiorum facinora, & & celeberrimam illam Gottifredi Bullionii contra infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes Hieroſolymariam expeditionem maxime prædicarem. Hæc ego aliaque hujuſmodi & ad commemorandum illuſtria, & ad ornandum accommodata longa oratione perſequerer; & mihi verendum, credo, foret, ne hoc in argumento copia deeſſet, quam Oratori multo uberrimam inſignia hujus ipſius familiæ monumenta ſuppeditarent.

VI. Verum cum Romanum imperium ab hac gente defenſum ac propugnatnm mea potiſſimum ſpectet oratio, quid hic ego dicam, Florentini? Dicam id, quod vere dici, atque omnem citra aſſentationem affirmari & poteſt & debet; Uni ex hac una familia Carolo V. Lotharingiæ Duci Romanum Imperium tantum debere, quantum fortaſſe nemini. Is enim vir hic fuit,

fuit, qui ad hoc natus, enutritus, inſtitutus, atque adeo prope divinitus Romani Imperii felicitati oblatus videri potuit, ut illud non amplificaret modo, ſed maximis in periculis conſtitutum tutaretur atque defenderet. Quis enim illo bellica virtute clarior? Quis victoriis illuſtrior? Quis in omni genere laudis præſtantior? Mitto dicere, propter temporis anguſtias, quanta clariſſimus & inviċtiſſimus Dux unius Romani Imperii cauſa diverſis in provinciis, & quanta cum utilitate geſſerit; Bonnam, atque Moguntiam ad deditionem coactas, inſtructiſſimaſque Techelii manus fuſas atque excíſas, Strigoniam obſeſſam, Vicegradum captum, Budam a ferociſſimis barbarorum manibus extortam, quæ quam magna ſint, quam præclara, quam Romano ipſi Imperio ſalutaria nemo eſt, quin videat. Sed, his prætermiſſis, illud unum maxime egregium ejuſdem atque immortale facinus commemorabo, quo Viennam, Viennam, inquam, Imperii caput, Imperatorum ſedem, Catholicæ Religionis arcem & propugnaculum, vehementiſſime oppugnatam, ſummas in anguſtias redactam, & indecori detitioni jam proximam, clariſſima præter omnem ſpem atque exſpectationem de potentiſſimo hoſte reportata victoria, feliciſſime liberavit. Ego vero tale ac tantum facinus non ſalutare ſolum Imperio ac Religioni Catholicæ exſtitiſſe arbitror, ſed in hoc uno & Imperii & Religionis ipſius ſalutem fuiſſe conſtitu-

tam

tam dico. Hæc ſunt ſpectatiſſimæ familiæ decora atque ornamenta, hæc bellicæ laudis monumenta, hæc egregia plane in Romanum Imperium promerita, quæ videtis, opinor, quantum Franciſco ſuffragari in Imperii ipſius petitione debuerint.

VII. Verum ſunt alia majora, quæ, ſummum, meo quidem judicio, nec dubito quin etiam veſtro, ſummæ dignitatis obtinendæ Franciſco adjumentum contulerunt. Mariam Tereſiam Auſtriaca ſtirpe ortam Caroli VI. Imperatoris filiam conjugio ſibi Franciſcus copulavit. Magnum enim vero conjugium, quo factum fuit, ut, familiis duabus Auſtriaca, & Lotharingica quam arctiſſimo neceſſitudinis vinculo inter ſe conjunctis, & optimæ fœminæ præſtantiſſimus vir obtigerit, & optimo viro præſtantiſſima fœmina traderetur. At quis tandem has nuptias devinxit? quis Mariæ Tereſiæ ſponſum elegit? quis Franciſcum ſibi in generum adoptavit? Carolus, Carolus, inquam, lectiſſimæ fœminæ amantiſſimus pater has nuptias conciliavit, Carolus ei ſponſum quæſivit, Carolus ſibi generum adſcivit. Sed quorſum hæc a me hoc loco commemorata eſſe arbitramini, Florentini? Eone animo, ut ex hoc certiſſimo Caroli teſtimonio colligere poſſetis, quam magna ejus virtus ac dignitas eſſe debuerit, qui a tanto Imperatore ſuaviſſimæ filiæ in virum traditus, atque ab eodem ſibi fuerit adſcitus in generum? Facerem equidem libentiſſime, ſi lo-

ſi locus poſtularet, ut ex hac eximia plane Caroli erga Franciſcum voluntate certam de ſingularibus Franciſci ornamentis atque virtutibus conjecturam caperetis.

VIII. Verum ſcitote me alio ſpectaſſe, cum graviſſimum Cæſaris teſtimonium protulerim. Quo igitur? Ne longùm ſit; Ego ſic intelligo; Carolum, cum ad filiæ nuptias animum appulit, non tam de ſponſo Mariæ Tereſiæ eligendo cogitaſſe, quam de ſucceſſore ſibi propemodum conſtituendo deliberaſſe. Nam quo potiſſimum tempore de Maria Tereſia Franciſco deſpondenda a Carolo agitari captum eſt? Eone, quo Carolus cum opibus, cum prole florens filium jam ex Eliſabetha coniuge ſuſcepiſſet, quem ſuorum regnorum hæredem relinqueret; an eodem immatura morte ſibi prærepto, reliqua ſaltem alterius ex ſe procreandi ſpes eſſet, quæ miſerum dejectumque parentem in acerbiſſima luctuoſiſſimaque filiorum orbitate ſuſtentaret? Nemo ignorat tunc ſponſum Mariæ Tereſiæ Franciſcum eſſe quæſitum, cum eo adducta res jam veniſſet, ut, omni filiorum ſuſcipiendorum ſublata ſpe, nullo modo nobiliſſima familia, niſi hoc præclariſſimo conjugio reparari poſſe videretur. Quo facto Carolus Lotharingicam gentem non minus honeſtavit conjugio, quam ornavit judicio, quo ſatis declaravit cupere ſe illi præſertim familiæ, quandoquidem ita Superis viſum eſſet, ut

ut ſine virili prole decederet, deferri Imperium, quam ipſe reliquis prætuliſſet; illam porro reliquis ab ſe prælatam, ex qua rariſſimæ filiæ conjugem arceſſere placuiſſet.

IX. Hæc ſunt ſatis clara erga Lotharingicam gentem Caroli voluntatis indicia, niſi forte ſuſpicari velimus aut ſapientiſſimum Imperatorem nihil in poſterum providiſſe, aut amantiſſimum parentem, non omni, qua per ipſum ratione poſſet, optimæ filiæ conſuluiſſe; quorum alterum ab Caroli prudentia abhorret, alterum vero a natura atque ingenio patris. Sed reliqua attendite. Eam enim filiam Franciſco nuptui tradidit Carolus, quæ natu maxima eſſet, quam eximie caram haberet; & eam denique tradidit, quam avitorum regnorum ac provinciarum ſuarum hæredem inſtituerat, eo certe animo, ut, ſi quando ad illam gentem, quam ipſe magni feciſſet, cuique Mariam Tereſiam tanquam ſuæ obſidem voluntaris commendaſſet, ſi quando, inquam, Suffragatoribus ita ſentientibus, perveniſſet Imperium, nec dignitatis ornamenta deeſſent, nec præſidia ſtabilitatis quærerentur. Quid vultis amplius? potuitne clarius erga Franciſcum tanti Imperatoris ſtudium oſtendi? potuitne Carolus ipſe quid hac de re ſentiret, quid maxime vellet, explicatius declarare?

X. Habemus igitur judicium Caroli honorificentiſſimum & maximum, cui quidem tantum a Suffraga-

to-

toribus tribuendum fuit, quantum ei ſumma Caroli ipſius auctoritas ſummo in negotio tribui poſtulabat. Quid enim præſtantiſſimo Imperatori defuit aut deeſſe potuit, quo minus ejus ſententiam hac in re Suffragatores probandam confirmandumque judicium exiſtimarent? Uſuſne rerum? qui tot annos Imperium ita gubernaſſet, ut quid populorum ſalus, quid incolumitas poſceret, quid ſive publicæ, ſive privatæ res poſtularent, ignorare nec omnino poſſet, nec vero deberet. Caritaſne erga populos, ut propterea eorum curam penitus abjeciſſe, nec cujus potiſſimum fidei ac tutelæ, ſe mortuo, eos committeret, laboraſſe dubitari potuerit? qui illos, quo ad vixit unice dilexit, quorum rebus ſemper ſtuduit, commodis defuit nunquam. Imperiįne cura, qui illud ad extremum uſque vitæ exitum ita adminiſtravit, ut nihil a ſe, quod ad optimam regiminis formam rationemque pertineret, deſiderari ſit paſſus; qui deſperata etiam virili prole, conſervandum perinde amplificandumque curavit, ac ſi illud eſſet cariſſimo cuidam ab ſe genito filio relicturus; quo quidem nomine haud ſcio an admirandus, & commendandus ſit etiam magis. Is igitur talis ac tantus Imperator, ex animi ſui ſententia atque adeo e Republica fore declarabit ſi Imperium ad Lotharingicos Duces, atque adeo ad Franciſcum ipſum deferatur, & qniſquam erit, qui ſuſpicari poſſit tale ac tantum Caroli de Franciſco judi-

dicium, apud prudentiſſimum ſapientiſſimumque Senatum non graviſſimum futurum?

XI. Sed eſto potuerit exſtincti Caroli atque demortui judicium negligi, potuitne cupidiſſimæ Conjugis ſuperſtitis atque incolumis ſtudium repudiari? Summa electiſſimæ fœminæ gratia nitebatur Franciſcus, quæ a Mária Thereſia profecta hoc in honore deferendo plurimum valere debuit. Nam, præter quam quod cariſſimo viro, ut æquum erat, uxor amantiſſima ſuffragabatur, eam Suffragatoribus ipſis Maria Tereſia objecit gratiam, quæ non ætatis ac pulchritudinis flore collecta fuerat, ſed unius virtutis commendatione qnæſita. At quæ virtus iſta fuit, Florentini? quam eximia! quam inuſitata! quam ſingularis! ea prorſus, quam ornatiſſimæ poſt hominum memoriam fœminæ excellentes animi dotes, rara indoles, ingenium facile, incorrupti mores, egregia in omnes merita, pietas vero in primis atque religio pepererant & conciliarant. Audeo dicere talem hanc ac tantam fuiſſe virtutem, ut etiam ſi virum ſummis laudibus cumulatum nacta non eſſet, communia tamen omnium vota vel ſolam expeterent ad Imperium; quod cum fieri non poſſet, reliquum erat, ut ejus meritorum in meritiſſimo viro ratio haberetur.

XII. Quanquam, ſi recte attendimus, non magis ſuam, quam ſubditorum ſibi populorum gratiam, ac favorem ad hujuſmodi ſuffragationem Maria Tereſia attu-

attuliſt. Quo ſtudio, qua benevolentia, quo amore, ſtatim atque imperitare cœpit, eam ſubditi complexi ſunt populi, quid me attinet commemorare? Nam quis ignorat, quomodo ab extincto Carolo patre ejus imperii initia ſe habuerint. Circumſeſſa ſtatim a potentiſſimis hoſtibus fuit, qui illud propemodum omni & opum, & armorum vi contendere videbantur, ut eam heræditariis regnis, atque provinciis ſpoliatam prorſus nudatamque relinquerent. Illa vero omni ex parte laceſſita tantum abfuit, ut animum deſponderet, atque adverſanti fortunæ cederet, ut potius intrepidam obverterit frontem, invicta conſtantia repugnarit, nec ab incæpto deſtiterit, donec victis hoſtibus, atque fortunis patriis conſervatis duorum florentiſſimorum regnorum Hungariæ & Bohemiæ ſumma illarum gentium voluntate Regina ſalutaretur. Fuerit hoc intrepidi cujuſdam, ſupra muliebrem ſortem, animi, ſed certe ſine inuſitato quodam atque incredibili populorum ſtudio confici res tanta non potuit.

XIII. Adfuit igitur Maria Tereſia optatiſſimo conjugi, & cum ſuam ei gratiam detulit, tum ſubditarum ſibi gentium ſtudium obtulit, quod quidem ad conficiendum ſine ullo motu, atque adeo e communi ſententia ac voluntate negotium valere certe plurimum debuit, ut etiamſi reliqua adjumenta Franciſco defuiſſent, hoc uno ejus juvari petitio maxime debuiſſet. Quid vero cum tot ac tanta adfuerint, quanta

ta ſumus hactenus perſecuti, ut optari majora vix poſſent. Omnia ergo, uti demonſtravimus, cum Candidato noſtro faciebant, omnia in eum unum mirifice conveniebant, omnia illi ulla ſine controverſia quæſitum honorem deferebant. Lotharingica familia natus erat Franciſcus, quæ ad ipſam Auſtriacam ſtirpem originem referebat ſuam; Lotharingica porro familia ſingularibus erga Romanum Imperium maximiſque promeritis cenſebatur; Suffragatorum conſultationem judicio ſuo graviſſimo & maximo multo ante præiverat Carolus, qui cariſſimam filiam Franciſco deſponderat, eamque regnorum ſuorum hæredem ſcripſerat; præſto erat gratia ſua optimo viro conjux optima, ex quo ſuſcepta jam proles legitimum Imperii Succeſſorem & certum oſtenderet; accedebat his favor, ſtudium, aſſenſus populorum; cum autem tot ac tanta Franciſco faverent, tot ac tanta in eum unum admiranda conſenſione conſpirarent; quid amplius, obſecro, Florentini, velle? quid optare ulterius Suffragatores poterant? quid erat, quod ſtatim in eam omnes ſententiam non irent? Nihil a ſe poſſe neque æquitati, neque rationi conſentaneum magis, neque publicis, neque privatis rebus utilius fieri, quam ſi, omni præciſa mora & conſultatione ſublata, unanimi voluntatum conſenſu ei deferrent imperium, cui plane conſtaret omnium jam ante ſuffragiis fuiſſe ſententiiſque delatum.

XIV. Verum in tanta commemoratione adjumentorum,

rum, ubi virtutem Franciſce tuam pæne preterii, quæ commemorari a me in primis debuit, & quæ tibi ſuffragari vel ſola potuit? Nam quis honos eſt, vel ampliſſimus & maximus, qui uni virtuti, etiam ſi reliquis aliunde adſcitis nudata ſit ornamentis, jure ac merito non debeatur? Hic vero, cum ad eam orationis meæ partem venerim, in qua de eximia Franciſci virtute, atque adeo de præcipuo ad Imperium obtinendum adjumento mihi dicendum eſſe video, quid ego dicam, Florentini, quod dignum hac frequentia, dignum exſpectatione veſtra, dignum Franciſco ſit? Nihil profecto, quod exaggeratum exiſtimari poſſit, nihil, quod a veritate abhorreat, nihil, quod cuiquam incredibile videatur. Dicam id, quod ego ſentio, quod omnes perſuaſum habent, quod unum vere atque omnem citra aſſentationem a gravi ac veridico Oratore dici & poteſt & debet. Dico igitur eam virtutem, quæ ſpectata jam & probata omnibus fuerit, eandem omnino in ſummi honoris petitione & ſpectari & probari debuiſſe. Non enim ita natura comparati ſumus, ut in omnes æque Principes, quorum ſubſumus poteſtati, cæco quodam animi impetu rapiamur, ſed certo conſilio ducimur, merita ſingulorum expendimus, quibus uti aliis alii præſtant, & diſpares inveniuntur; ſic & nos amorem ita quodammodo noſtrum partimur, ut alios aliis præferamus, alios aliis cariores habeamus.

XV. Avitum Franciſco Lotharingia, quæ Galliæ

Belgicæ regio eſt multo ampliſſima, regnum fuit, cui quam pridem hæc gens imperitare cœperit, ex eo cognoſcatis licet, quod iiſdem omnino auſpiciis & familiæ primordia & regni initia a Gherardo illo nobiliſſimæ gentis principe atque auctore fuerint conſtituta. Hoc adeptus imperium Franciſcus ita continuo virtute ſua ſubditorum animos ad ſe attraxit, ita omnium erga ſe benevolentiam allexit, ut nihil ipſe mallet, quam inter ſuos, a quibus mirifice & amabatur & colebatur, conſeneſcere, nihil ſui mallent, quam eum, quem ſummopere & colebant & amabant ſibi quam diutiſſime imperare. Cum vero agi cœptum eſt, ut Franciſcus Lotharingiam deſereret, & externis in terris novi imperii ſedem domiciliumque defigeret, hoc enim vero tam acerbum ac luctuoſum viſum eſt omnibus, ut quidvis perpeti maluiſſent, quam amantiſſimo Principe cariſſimoque privari. Verum quid facerent in hoc rerum diſcrimine conſtituti? quomodo contra atque communes Europæ rationes ferrent, Franciſcum retinerent? Parendum tum ipſis, tum Franciſco neceſſitati fuit, & publicæ rationes privatis anteponendæ. Itaque diſceſſit Franciſcus, Lotharingiam deſeruit, in Etruriam venit. Sed quo tandem luctu illarum gentium, quo mœrore, qua doloris acerbitate & diſceſſiſſe a Lotharingia Fraucifcum, & veniſſe ad vos in Etruriam arbitramini? Eum certe tunc animo dolorem Lotharingia cepit, qui nullo unquam tempore rele-

vari

vari poſſe videretur. Recurſabant omnium animis in amantiſſimi Principis abitu ejus ſuaviſſimi mores; occurrebat religio, juſtitia, pietas, fides; recordabantur quam faciles ad illum paterent aditus, quam comis in omnes eſſet, quam immemor ſui, quam memor aliorum; quæ quidem non poterant in omnium animis non ſummum excitare Franciſci deſiderium, non lacrymas gemituſque commovere, quibus ſe tantum nullo modo ferre poſſe diſſidium declararent.

XVI. Ne vero hoc a me, contra atque ſum paullo ante profeſſus, aut minus vere dictum, aut nimis exaggeratum exiſtimetis, facite quæſo, Florentini, ut quam lætitiam in ejus ipſius ad hanc urbem adventu experti vos eſtis, nunc animo ipſi veſtro proponatis. Mementote illius auſpicatiſſimæ noctis, qua primum in hanc urbem cum regia conjuge ingreſſus Franciſcus eſt, cum templa, ædes, fora facibus collucerent, cum viæ omnes & compita lætis ominibus perſonarent, cum civitas tota ſuis commota ſedibus Franciſco peregre venienti obviam proceſſit. Quis tunc huic ſpectaculo non interfuit? quis lætitia non geſtiit? quis gaudio non exilivit? Et ſane quo tempore huic urbi tanto bono frui datum eſt, atque conceſſum, quid a vobis abfuit, quominus omnium gentium fortunatiſſimi haberemini? Conferre nunc veſtram lætitiam cum Lotharingiæ mœrore tum ex utroque conjecturam capite, atque adeo certiſſimo argumento colligite, cujuſmodi

illa eſſe virtus debuit, quam eximia, quam inuſitata, quam ſingularis, quæ diverſas quidem in animis, & contrarias permotiones, ſed ad id, quod contendo, docendum mire accommodatas excitarit?

XVII. Hæc porro talis ac tanta virtus cum ubique Franciſcum, tum præſertim, cum ad Francofordienſia comitia venit, quodammodo comitata eſt, illi adfuit, nec vero ab ejus latere diſceſſit, donec Franciſcus ipſe merito honore auctus cumulatuſque diſcederet. Etenim ubi anteactæ vitæ merita, ubi morum integritas, ubi parta exiſtimatio, ubi virtus, ubi hæc conjunctim omnia valere poterunt, ſi hæc ipſa cum tute tui periculum facias, cum ad aliquam obtinendam dignitatem accedas, non faveant? ſi non proſint? ſi non opitulentur? Et vero, cum omnia, tum ſua præſertim Franciſco virtus favit, ei adfuit, ei opitulata eſt, & imperatorios faſces atque inſignia meritiſſimo Principi detulit. Nam, ſi virtutis tanta excellentia eſt, ut honores omnes ſuo ſibi jure vindicet ac depoſcat, videte quid de ea a ſapientiſſimo prudentiſſimoque Suffragatorum Ordine ſtatuendum fuerit, in qua ſumma quoque cætera, quæ ab ampliſſimæ dignitatis Petitore & Candidato afferri poſſent, reperirentur.

XVIII. Debitum igitur Franciſcus ſuæ virtuti fructum tulit, cum pleno Senatu, atque unanimi conſenſu renunciatus eſt Imperator; qui quidem fructus ipſi primum obvenit, ſed ad multos etiam ſpectavit atque per.

pertinuit. Quid enim honorificentius Mariæ Tereſiæ evenire potuit, quam Cæſaris uxorem & eſſe & dici, cujus ampliſſimis titulis, quibus ad illum diem ornata erat atque adaucta, hic unus videlicet deerat, ut Auguſto Patre, Auguſta Matre nata, Auguſtis Majoribus, ipſa demum ſalutaretur Auguſta? Quid Lotharingicæ Familiæ illuſtrius, quam Imperium illud, quod ſæpe clariſſimi ex ea gente viri defenderint, & propagarint, concreditum eidem fuiſſe ac demandatum? Quid Auſtriacæ ſtirpi opportunius, quam illam in exſtincto Carolo interciſam in Franciſco reparari, & eandem propemodum in eodem inſtaurari ſeriem Imperatorum? Quid Suffragatoribus ipſis præclarius, qui in tanti Imperatoris electione, quid de virtute ſenſerint, quantum ipſis commune bonum cordi fuerit, quantum de nobis cogitarint, quo conſilio ad comitia venerint aperſiſſime declararunt? Quid denique nobis optabilius, quam ei delatum fuiſſe Imperium, quem unum maxime expetebamus, & qui nihil hoc in dignitatis faſtigio conſtitutus nobis non præſtiturus ſit, quod ad comune commodum felicitatemque pertineat.

XIX. Et ſane ſi tempus unquam de Republica bene ſperandi oblatum nobis divinitus fuit, hoc certe eſt, Florentini, cum tantam virtutem debito præmio affectam, & meritiſſimum Principem ampliſſima ornatum dignitate & ſummo cumulatum honore intuemur. Hanc ſpem virtus illa ipſa nobis

facit, illa tot regnorum ac populorum vota ſuſtentat ac fovet, illa bono nos eſſe animo atque erecto jubet, illa hoc de ſe, illa hoc de unoquoque noſtrum aperte profitetur; Sibi quidem meritum præmium in Franciſci creatione fuiſſe redditum, ſed nobis etiam omnibus, otio, fortunis, ſaluti, vitæ noſtræ in ejuſdem renunciatione conſultum. Illa, illa, inquam, quo certiora ſperare poſſemus, eam cogitationem Franciſco obtulit, ut eo ipſo in loco, quo ei ſe Imperatorem eſſe electum nunciatum fuit, Sacellum continuo ad prodendam rei memoriam extrui juſſerit ac dedicari. Quo facto ille ſatis oſtendit ſe Imperatoriam dignitatem ad Deum O. M., cujus nutu res humanæ vertuntur, vigent Imperia, rerum omnium viciſſitudines commutationeſque gubernantur, ut par erat, retuliſſe; illa vero ſatis indicavit, nihil eſſe ſive ad publicam utilitatem expetendum, ſive ad privata commoda exoptandum, quod ab eo exſpectari jure non deberet, qui Imperium a Religione fuiſſet auſpicatus.

XX. Eſt igitur, cur lætemur, Florentini, quibus una dies tot ac tanta bona attulit; dies, inquam, auſpicatiſſima, cum pleno ſuffragante Senatu, ac bonis omnibus aſſentientibus Franciſcus creatus eſt Imperator. O Idus illæ Septembres, quam jucundæ nobis, quam toti Imperio illuſtres, quam denique orbi terrarum univerſo ſalutares illuxerunt! Nunquam profecto

fecto illarum memoria intercidet ; non illas oblivio obterere, non ulla diuturnitas temporis poterit abolere; ſed lætæ ſemper ac fauſtæ converſo anni curriculo redibunt atque eluceſcent. Signabuntur illæ quidem ad futuræ ætatis memoriam faſtis, inſcribentur annalibus, hiſtoriarum conſignabuntur monumentis. Operam ipſi noſtram in hoc ipſum conferemus; ſed, quod tibi, Franciſce, gratius fore confidimus, in animis noſtris condentur, ſemper hærebunt menti, omnium noſtrum ſermonibus creſcent, alentur vocibus, ac nullo non tempore a poſteris noſtris celebrabuntur.

XXI. Jam quod ad me ac ſodales meos attinet, quid æquius fieri a nobis poterat, quam ut unus ex hoc Collegio, quod præſentia cohoneſtaſti tua, unus ex hoc loco, ex quo adventum illum in hanc urbem tuum permiſeris celebrari, exſiſteret, qui omnium nomine diceret, novamque tibi dignitatem gratularetur. Ego potiſſimum electus fui, non qui meo ullo merito præſtarem omnibus, ſed qui pro omnibus dicerem. Officioſam provinciam libens ſuſcepi, oblatamque occaſionem oſtendendi memoris beneficiorum animi elabi non ſum paſſus. Quæ tu Societati noſtræ tribueris beneficia, non ignoramus, & vero etiam ſentimus; quæ eidem Majores impertiti fuerint tui, recordamur. Ii Societatem Jeſu in ſuum regnum ex-

ceperunt, opibus recrearunt, patrocinio tutati ſunt. Ii Augenſe Collegium condiderunt; ii Muſipontanam Academiam Societati regendam tradiderunt; ii in acerbiſſima tempeſtate noſtris opem, perfugium, ſinum, portum denique peramanter obtulerunt. Illud vero omnibus beneficiis majus ducimus, quod Carolus ille Virodunenſis Antiſtes, & deſignatus a Gregorio XV. Cardinalis, abdicato Epiſcopatu, & recuſata ampliſſima dignitate Societati noſtræ dare nomen non eſt dedignatus, in qua & religioſiſſime vixit, & eximiæ ſanctitatis opinione deceſſit. His tot tantiſque provocati beneficiis in communi lætitia ſilere certe, ſine quadam ingrati atque immemoris animi nota, non poteramus.

XXII. Quod reliquum eſt, & quod unum ad tantorum ornamentorum cumulum requiri videtur, quandoquidem & pulcherrima & multiplici prole beatus es, illud communibus votis apprecamur, atque enixis a Deo precibus efflagitamus, ut hoc Imperium virtuti tuæ tot nominibus debitum, toti terrarum orbi contingat ſalutare, tibi diuturnum, Familiæ tuæ ſempiternum.

IN

# IN ORTU
# SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS
## AD QUIRITES

## *GRATVLATIO.*

INtermiſſum jamdiu publicarum hujuſmodi gratulationum morem, diuturnumque ſilentium, quo hactenus uſi ſumus, nemo, opinor, mirabitur, Quirites, qui præterita tempora ſibi proponat, ad eorumque triſtem, atque acerbam diuturnitatem animum cogitationemque convertat. Nam quis in ſumma perturbatione rerum, quis in tanto bellorum ſtrepitu atque tumultu Oratoris voci eſſe potetat locus, quæ commoda lætitiæ & gratulationis captari occaſio, cum omnia ad luctum eſſent mœroremqne converſa? Nunc vero, cum ſingulari Dei beneficio ſe optime res habere cœperint, & ad quietem ac tranquillitatem ab illa perturbatione ac tumultu traductæ ſint; conſueta nobis etiam repetere licet officia, & priſtinum revocare morem conſuetudinemque dicendi. Sedatis enim diſcordiis, & compoſitis diffidentium Regum animis non ſolum ſecuta pax, ſed ea etiam, quæ pacem certam ac ſtabilem facerent, conſequuta.

Per-

Peropportune proximis hiſce temporibus regia celebrata ſunt connubia, ex iiſque ſuſcepta proles, quæ diſcordiarum ſemina elideret & optatam populis pacem ac tranquillitatem afferret. Gaviſi ſumus, Quirites, & merito quidem, cum diverſis ex partibus crebro ad nos fuerint miſſi, qui in lucem editos florentiſſimorum regnorum hæredes, ſucceſſoreſque nunciarunt. Quid vero cum proxime nobis de Sereniſſimi Burgundiæ Ducis ortu perlatum eſt? quanta exſtitit hujus urbis lætitia, quanta omnium ordinum, generis ac loci hominum, quamque effuſa gratulatio? Verſantur adhuc ante oculos veſtros, Quirites, apparatiſſimi ludi, ab ornatiſſimo hoc Ludovici Regis Legato non multos ante hos dies facti; atque a vobis ſummo concurſu lætitiaque celebrati. Adhuc aures noſtræ lætis fauſtiſque populi acclamationibus perſonant, & nondum motus ille exſultantium animorum, & tanquam in communi ſalute ac felicitate lætantium prorſus conquievit. Jam quî poſſumus nos, Quirites, in tanto gaudio ſilere? quid eſt, quamobrem ad conſueta officia non revertamur? Itaque non hic ego a vobis deprecabor, ut Sodales meos in hujus tam inuſitatæ gratulationis partem venire patiamini, neque me in communi gratulatione eorum nomine ac mandato dicentem attente audiatis. Certe comes lætitiæ taciturnitas non eſt, & gratulationis officium, quocumque exequi illud modo poſſis, prohiberi profecto non poteſt. Cum vero de
Gal-

Gallica felicitate in Sereniſſimi Burgundiæ Ducis ortu conſtituta a me dicendum ſit, ſatis ipſa materies per ſe ulla ſine mea deprecatione audientiam mihi veſtram benevolentiamque conciliat.

I. Multa ſunt, quæ felix aliquod efficere poſſunt Imperium, ſed non omnia æque illud poſſunt conſtituere, ipſamque felicitatem ſtabilem reddere, ac propemodum ſempiternam. Jam quod ad felicitatem attinet, tam multa Gallico Regno tributa ſunt, ut prope ad aliorum Regnorum invidiam ei oblata a Deo, atque conceſſa eſſe videantur. Nam & Gallicum Regnum in ipſo quodammodo Europæ ſinu ac gremio collocatum eſt, & alluitur mari, & alpium vallo ab Italia, & Rheno tanquam foſſa aliqua a Germania diſterminatur; tanta loci opportunitate, ut cum longiſſime latiſſimeque pateat, hoſtilibus tamen infeſtiſque finitimarum gentium incurſionibus obſtructum penitus atque intercluſum ſit. Quo factum fuit, ut nonniſi ægre ac ſumma cum difficultate olim eo Romanorum arma penetrarint, & Romani ipſi a Gallis non raro pulſi ſuperatique fuerint, & præceps ille incitatuſque victoriarum curſus ſæpe ab iiſdem repreſſus ſit ac retardatus.

II. Ipſa vero forma regionis quam dignitatem? quam ſpeciem habet? quæ magnitudo fluminum! quæ commoditas portuum! quæ pulchritudo urbium! quæ celebritas oppidorum! qui agri! quam natura uberes, quam induſtria culturaque feraces! ut dici poſſit fortunatiſſimam

mam gentem in ſumma rerum omnium abundantia af. fluentiaque verſari. Mores autem hominum quales ſint, quod incolarum ingenium, quæ ſtudia plurimarum artium atque optimarum, quid me attinet dicere? cum ea in urbe verſemur, in qua bene multos ex primis ordinibus nobiliſſimæ nationis ſpectatiſſimos viros quotidie ob oculos habeamus, ex quibus facile de reliquorum indole, moribus, doctrina, elegantia, humanitate conjecturam capere poſſumus. Omnino ejus gentis tale, tamque mirificum ingenium ſemper fuit, ea Gallorum animi indoles, ea vis, ut ad ſumma quæque a natura comparati ac propemodum facti in quamcumque partem ſe dederint, & ſive ad pacis atque otii, ſive ad belli atque armorum ſtudia incubuerint, aut reliquas nationes ſuperarint, aut certe præſtantiſſimis totius Europæ nationibus nihil unquam vera de laude conceſſerint.

III. His aliiſque quam plurimis qua naturæ, qua induſtriæ ſubſidiis Gallici Regni felicitas hactenus viguit, quæ tametſi præclara atque egregia ſunt, confitendum tamen eſt hujuſmodi eſſe,ut non ſola plenam felicitatem cumulatamque conficiant. Aliud, aliud, inquam, præterea quiddam requiritur, quod niſi magnis Imperiis acceſſerit eorum ſæpe felicitas non mediocriter labefactatur.Proponite,Quirites,vobis ante oculos ampliſſima Imperia, quæ tametſi opibus affluerent, omni copiarum genere abundarent, rerum præclare geſtarum gloria

ria florerent, ita tamen ſubita veluti ruina conciderunt, ut ſe aut omnino nunquam erexerint, aut nonniſi longo poſt tempore recrearint. Aliquid igitur præterea requiritur, quod unum ſi deſideretur, cætera ornamenta atque præſidia quantumvis magna prope nulla futura ſunt.

IV. Sed quid tandem illud eſſe putandum erit, in quo præcipue Regni felicitas ſita ſit, & in quo propemodum uno vere dici poſſit conſtituta? Jam, opinor, animo præcipitis, Quirites, quod dicturus ſum, & quo mea contento curſu feſtinat oratio, cogitatione ipſi veſtra perveniſtis. Videre enim vos arbitor, planeque perſpicere, nihil propemodum opes, amplitudinem, potentiam, rerum geſtarum famam profutura, niſi præſto ex eadem regia familia ſit is, cui iſta relinquantur, quique his præſidiis inſtructus, & nova ad amplificationem Regni quærere, & parta jam a majoribus ac quæſita tueri poſſit & conſervare; qui quidem ſi deſit aut nunquam omnino oblatus, aut repentino aliquo caſu ablatus, quid aliud exſpectandum eſt, niſi diſcordiæ, contentiones, bella, ex quibus fere Regni ipſius vaſtitas, & non raro ad extremum interitus conſequuntur. Illa enim ipſa, quæ paullo ante commemoravimus ornamenta, illud efficere ferme ſolent, ut plurimorum animos ad ſe alliciant, & obtenta lucri ſpe acrius ad cupiditatem incitent, & ad bellandum vehementius inflamment. Conſtat enim vacua ſucceſ-

ceſſore Imperia tanquam præmium aliquod de eorum poſſeſſione, legitimo, uti credere fas eſt, jure certantibus eſſe propoſita; certamen autem tanto gravius eſſe atque exitialius, quanto illa opulentiora ſunt, majuſque victoribus commodum atque utilitatem allatura. Quare mirandum non eſt, ſi univerſæ gentes in eo conſentiant, ut nihil tam exoptent, quam ſuorum Principum fœcunditatem, nihil æque atque eorumdem ſterilitatem reformident; propterea quia ſatis perſuaſum habent, vix unquam illam a Regni ipſius pernicie eſſe poſſe ſejunctam. Quod periculum ſi regiæ ſobolis procreatione depulſum ſit, tum demum omnem ſollicitudinem ac metum abjiciunt, & ſe beatas ac felices arbitrantur.

V. Atque hoc ego nomine beatam ac felicem, atque adeo beatiſſimam præ cunctis gentibus ac feliciſſimam Galliam prædico, cujus Regnum cum omnium Regnorum multo vetuſtiſſimum ſit, nunc ita fundatum ac conſtitutum videmus, ut quantum homini de futuris eventibus conjicere licet, plane confidere poſſumus fore perpetuum, neque ullam unquam ætatem ei finem eſſe aliquem allaturam. Et vero unde factum exiſtimatis, Quirites, ut Regnum hoc quinto poſt Chriſtum natum ſæculo a Merovæo illo clariſſimæ Merovængiorum ſtirpis principe atque auctore feliciſſimis auſpiciis conditum ac fundatum, in tanta rerum viciſſitudine, in tam longa annorum atque adeo ſæculorum

lorum diuturnitate, in tam frequenti plurimorum Regnorum interitu ad noſtram uſque ætatem integerrimum ac florentiſſimum, & novis provinciarum acceſſionibus auctum atque amplificatum perdurarit? Ego vero, poſt Dei O. M. conſilium omnia ſapientiſſime moderantis, id potiſſimum perpetuæ cuidam ac plane admirabili regiarum in Gallia ſtirpium propagationi adſcribendum puto.

VI. Et vero, quod ſingulare & credibile vix eſt, Regnum tam vetuſtum, cujus fundamenta inde uſque a ſæculo quinto jacta ſunt, tribus tantummodo regiarum familiarum ſtirpibus continetur, Merovængiorum prima, Carolinorum altera, Capetianorum tertia; his exceptis nullam ſtirpem reperire eſt, quæ regio jure totos mille ac trecentos, & eo amplius annos Gallis imperitarit. Et prima quidem, cujus auctor Merovæus fuit, ab anno quadringenteſimo quadrageſimo octavo regnum auſpicata ad ſeptingenteſimum quinquageſimum ſecundum viguit; altera, quæ Carolinorum a Carolo illo Magno, in quem Romanum ipſum Imperium translatum fuit, eſt appellata, cujus Caroli Pater Pipinus ſtatim a prima ſtirpe regnare cæpit, ad annum nongenteſimum octogeſimum ſeptimum perpetua ſucceſſione pertinuit. Quid vero tertia prioribus duabus longe clarior atque nobilior Capetianorum? Jam ſubductis vobiſcum rationibus tenetis, Quirites, poſtremam hanc ſtirpem ab Ugone Ca-

Capeto ad hunc Ludovicum XV. toti Galliæ modo feliciter imperantem incredibili quadam longiſſimæ ſucceſſionis perpetuitate fuiſſe propagatam.

VII. O rem novam prorſus atque admirabilem! Qnirites, & Galliæ ſolius propriam ac ſingularem. Ecquam gentem, ecquam nationem aut legiſtis, aut audiſtis unquam, quæ tandiu Regibus ſuis ex eadem ſtirpe progenitis uſa fuerit? cui populo, ſi Francum excipiatis, illa tanta felicitas unquam obtigit? cui Regno tanta diuturnitas contigit, quanta Gallico? Percurrite, ſi placet, omnes Regnorum omnium hiſtorias, totam quam longe lateque pertinet inveſtigate antiquitatem, & quantum poteſtis vetuſtiſſimarum rerum memoriam eruite ultimam, nullum profecto e Chriſtianis quidem Regnis tam diuturnum occurret, nulla ſe vobis offeret regia Familia, quæ diutius cum imperio fuerit, nulla denique gens, quæ felix adeo extiterit, ut Principibus, quibus commodis ac beniſicentiſſimis primum uſa ſit, iiſdem perpetuo ex eadem ſtirpe ſubmiſſis, ſibique invicem continuata & octingentorum annorum ſpatio non interrupta ſerie ſuccedentibus frueretur.

VIII. At enim in tanta diuturnitate temporum florentiſſimum Regnum in pacis veluti gremio conquievit, ut propterea nulla neque externorum, neque domeſticorum armorum impreſſione dejici atque everti potuerit? Immo vero ecquod bellum aut magnitudine

dine grave, aut exitu formidoloſum, aut genere ipſo neceſſarium unquam fuit, vel eſſe potuit, quod Gallicum Imperium non exercuerit modo, ſed ſummum etiam in diſcrimen adduxerit? Quam multa arbitramini ad Regni ipſius propagationem bella a Gallis fuiſſe geſta? quam multa ad fœderatorum ac ſociorum auxilium ſuſcepta? quam multa extra ipſam Europam, in Aſiam, in Africam importata? quam multa denique ad propugnandam Catholicam Religionem conſervandamque confecta? Illa vero domeſtica quam diuturna! quam acerba! quam luctuoſa fuerunt! Quam ſæpe illi ipſi opimi ac feraces Galliæ campi, qui cæſorum hoſtium cruore maduerunt, civili ſanguine redundarunt.

IX. Jam vero tot ac tanta, ac tam varia bellorum genera, tam longe lateque diffuſa, conflata ex potentiſſimis nationibus, a bellicoſiſſimis illata gentibus nunquamne hoc Imperium concutere? nunquamne labefactare potuiſſe? ſemperne ab ultima uſque ſtirpe idem manſiſſe? floruiſſe ſemper? atque ad ætatem hanc noſtram non modo non imminutum, ſed novis ſubinde provinciarum acceſſionibus auctum cumulatumque perduraſſe? Quid hoc eſt Quirites? quam novum! quam inuſitatum! quam inauditum! quam ſingulare! Quid dicemus? quam rationem hujuſce rei excogitabimus? niſi illam ipſam, de qua dico, perpetuam nimirum regiarum in Gallia ſtirpium ſucceſſionem, in qua non ſolum hujus Regni ſita felicitas

 fuit,

fuit, ſed diuturnitas etiam ipſa ac perpetuitas conſtituta.

X. Hæc hujuſmodi ſunt, Quirites, ut ad tantam felicitatem, nihil propemodum addi poſſe videatur. Verum iſta tanta felicitas in Gallico Regno jam inde ab octo ſæculis ita inveteravit, ut nullum pene lætitiæ ſenſum excitent, quam lætæ res ac jucundæ commovere ſolent. Magnum quiddam, extraordinarium, inuſitatum perpetua iſta ſtabilis ac ſecunda fortuna deſiderat; quod quidem large in auſpicatiſſimo hujus Burgundiæ Ducis ortu Galliæ tributum fuit. Fruebatur Gallia clementiſſimi Regis dominatione. Videbat illum non tam florentem annis, quam rebus geſtis inſignem; quod unum optare poterat, ut præſtantiſſimus Rex hæredem ex ſeſe genitum in ſpem Regni ſubmitteret, jam impetrarat. Talis autem ſubmiſſus fuerat qualem ſibi vix meliorem ipſa fingere potuiſset, ſingulari pietate, egregiiſque dotibus præditum, qui vivam atque expreſsam clariſſimi Patris & ſpectatiſſimi Regis imaginem repræſentaret. Quid amplius velle poterat Gallia? quid præterea requirere? quid exſpectare? ſiquidem conſecuta jam illud erat, quod unum adeptæ cæteræ gentes vulgo contentæ eſse ſolent; & in quo uno ſummam Regni felicitatem ſitam & conſtitutam putant.

XI. Verum ſit hoc aliis gentibus ſatis; at Gallicæ felicitati certe non ſatis. Ecce igitur novus hæres Gal-

lico

lico Regno repente datus, novus Regni ſucceſſor in lucem editus, & in ortu Sereniſſimi Burgundiæ Ducis Galliæ felicitas incredibilem in modum exaggerata. Hic jam certe non erit, quo Gallia, quæ tres uno tempore fortunarum ſuarum auctores ſtatoreſque videat; Patrem quidem ſibi nunc imperantem, Filium vero ac Nepotem olim imperaturos, quæque propterea tanquam ex triplici jucunditatis fonte non modo præſentis hauriat, ſed etiam futuræ ad longam annorum ſeriem felicitatis voluptatem præcipiat, hic, inquam, non erit quo ſpe ac votis ulterius progrediatur.

XII. Immo vero eſt, Quirites. Etenim amabo vos, cum ætate, & integra, & florente Ludovicus XV. ſit, quid eſt, quamobrem cum recens hujus Sereniſſimi Burgundiæ Ducis Avus factus ſit, alterius ab hoc ipſo procreati filii Proavus eſſe non poſſit? Hoc quale quantumque bonum ſit videtis, opinor, Quirites. Tale audebo dicere ac tantum, quod nullis regnis atque provinciis tam effuſa uno tempore largitate conceſſum unquam fuerit atque impertitum. Eſt igitur cur Gallia in tanta proſperitate rerum, in tam ſecunda eximiaque fortuna lætetur, eſt, cur ſe præ cunctis gentibus beatam ac felicem agnoſcat, quippe quæ quod aliæ gentes aut nunquam omnino, aut non niſi perraro conſequutæ ſunt, adepta ſit.

XIII. Hic illud fortaſſe occurret, Quirites, quid tantopere expetenda ſint tot ac tanta Gallico Regno præ-

ſidia, ſiquidem regia Borboniorum familia ita ſtirpibus hodie floret, & ita propagata eſt, ut etiamſi novo hoc præſidio careret, non magnopere neque ei, neque Gallico imperio timendum eſſe videretur. Non diffiteor regiam hanc familiam propagatam eſſe quam maxime; addo præterea quemcumque ex hac familia excerpſeris, regno atque imperio eſſe digniſſimum; atque ita Gallicæ felicitati aliquo eſſe modo proviſum. Verum quantæ difficultatis illud futurum arbitramini, ſi interciſa hac regia ſtirpe ad cognatas eſſet ſtirpes familiaſque deveniendum? Tantamne rem, atque hujuſmodi, in qua non modo Principum ipſorum, ſed etiam privatorum fortunæ mutationem maximam fieri neceſſe eſſet, ſine maximo populorum motu aliis alio converſis atque ſpectantibus tranſigi omnino poſſe exiſtimatis?

XIV. Et ſane Borbonia familia non ad ultimum certe interitum redacta erat, quin tum in ſpectatiſſimo Regis fratre nitebatur, cum Ludovicus XIII. in ſpem ſobolis propagandæ juncta ſibi Matrimonio Anna Auſtriaca, lectiſſima ac rariſſima fœmina, & nuptiis regali apparatu ac magnificentia celebratis, totum Galliæ regnum inuſitato gaudio lætitiaque complevit. Erat tum in exſpectatione omnium tanti conjugii ſoboles, eaque univerſæ Galliæ vocibus ac precibus expetebatur. Quicumque ex tali tantoque Rege filius natus eſſet, nemo dubitabat, quin ad ſummam

mam Regni totius felicitatem editus foret; &, quaſi animi præſentirent in poſterum, talem ſibi & virtute, & rebus geſtis, & victoriis, & reliquis ornamentis cumulatum cogitatione adumbrab ant, qualem prope certo, ut eventus poſtea declaravit, ſiquidem ſuſceptus eſſet, futurum ominabantur. Editus enim in lucem Ludovicus ille Magnus fuit, qui Gallicum Imperium ad eam amplitudinem evexit, ad quam elatum nunc & intuemur, & admiramur.

XV. Verum diu multumque Galliæ dilata fuerunt vota, nec ſubito tantus Rex omnium votis expetitus, a Deo precibus impetratus. Unus, alter, tertius, plures anni abierunt, nec tamen ulla ex Regio coniugio ſuſcepta proles. Verum nondum omnis erat interciſa ſpes ſobolis, quin quanto illa longius oſtentata, tanto vehementius expetita. Ubi autem eo ventum eſt, ut annus ſecundus ſupra viceſimum ageretur, ex quo fruſtra clariſſimo Regi filius expoſcebatur, tunc enim vero Gallia univerſa animum deſpondere cœpit, ac rebus propemodum ſuis deſperare. Non illam invictiſſimi Principis res geſtæ, non bella, non triumphi, non monumenta conſolabantur. Intuebatur non ſine lacrymis Regem ſuum, ſupplices tende bat manus, atque eum quodammodo incuſare videbatur. Quorſum iſte luctus, Quirites? quorſum iſta prope deſperatio? Hac certe de cauſa, quia non niſi certa atque præſenti Regnantis ſobole

 feli-

feliciſſimum Regnum ſatis eſſe ſibi conſultum intelligebat. Uſque adeo in ſuſcepta prole, & non intercisa regiarum ſtirpium propagatione non modo ſita, ſed conſtituta etiam Regnorum felicitas putanda eſt; quæ una ſi deſit, juſto timori locus eſſe poteſt, ne omnia e florentiſſimo ſtatu in deterrimum ruant, ac tandem ad interitum ipſum prolabantur.

XVI. Jure igitur in Sereniſſimi Burgundiæ Ducis ortu tantopere gaviſi ſumus. Jure præcellentiſſimus hic Chriſtianiſſimi Regis Orator tanta pompa ac magnificentia illum ipſum ortum hac in urbe celebrandum curavit. Quantum ille boni Galliæ univerſæ attulerit, & equorum illi curſus, & apparatiſſimum epulum, & ſcenæ illæ elegantiſſimæ, & tot denique munera tam inuſitato ſplendore ac regio plane luxu vobis data ſatis aperte declarant. Nimirum magnum quiddam, atque ad Gallici imperii conſtituendam felicitatem neceſſarium in hoc puero a Deo oblatum eſſe cenſendum eſt, quandoquidem ejus ortus tantam omnibus attulit lætitiam; tantiſque fuit gratulationi bus ac muneribus celebratum.

XVII. Jam qualis ſit evaſurus hic Regius puer, quam toti Regno, ſiquidem olim imperium nanciſcatur, utilis ac ſalutaris non dubiis certe indiciis cognoſcere poſſumus. Qui ſpectatiſſimo Patre, qui optima Matre natus eſt, qui Avum clariſſimum Regem nactus ſit, atque in his plurima & egregiarum incitamen-

tamenta laudum, & maximarum documenta virtutum habeat, hunc ego & pium, & juſtum, & fortem, & ſapientem, & liberalem futurum ulla ſine hæſitatione pronuncio. Nam dubitare quis poſſit, quin idem in eam, in quam ſuſceptus eſt, ſpem plane magnam quam liberaliſſime ac plane regie ſit educandus? Accedet his titulus ipſe Burgundiæ Ducis, quo inſignitus eſt, quique non tam nomen dignitatis erit, quam invitamentum virtutis. Quoties ſe Burgundiæ Ducem appellari audiet, toties Burgundiæ Ducis Proavi ſui non poterit non recordari. Occurrent animo illius integerrimi Viri religio ac pietas ſingularis, qui morte ſanctiſſime obita, anno ætatis ſuæ triceſimo, hujus ſæculi duodecimo, maximum ſui ac virtutum ſuarum deſiderium reliquit. Hæc omnia Sereniſſimum hunc Burgundiæ Ducem talem futurum, qualem exoptat Gallia, certo ſpondent ac pollicentur.

XVIII. Hæc, ego, quantum quidem ingenio eniti potui, de Gallici Regni felicitate in Sereniſſimi Burgundiæ Ducis ortu conſtituta non uſitato fortaſſis more ſum perſecutus, quandoquidem paullo altius ordiri mihi viſum eſt, & illam ipſam felicitatem ex iis ipſis haurire fontibus, unde eam hactenus dimanaſſe mihi perſuadeo, & unde confidere poſſumus fore, ut in poſterum etiam tempus perenni & nunquam intermittenda derivatione profluat. Quid reſtat nunc, niſi ut tantum bonum primum Regiæ Familiæ, tum Galliæ, deinde vobis,

tum ad extremum omnibus gratuler; Ludovico quidem Regi Nepotem ſuaviſſimum, Sereniſſimo Delphino ejuſque lectiſſimæ Coniugi cariſſimum Filium, quos ſane decet magis quam cæteros lætari, cum per ipſos effectum ſit, ut cæteri lætentur; Galliæ ſimiſſimum præſidium, quo innixa ſtabit in poſterum, nihilque formidabit adverſi, quod illam concutere poſſit ac labefactare.

XIX. Vobis etiam, Quirites, maximopere gratulandum eſſe cenſeo; quod eorum Regum Imperium tam præclare conſtitutum videatis, quibus tot nominibus obſtricti eſtis. Quo ſtudio Galliæ Reges erga hanc urbem Catholicæ Religionis ſedem ac domicilium, & erga ipſam Catholicam Religionem ſemper fuerint; ſcitis. Merita Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, eximia plane atque immortalia non ignoratis. Non ii qualicumque beneficio ac munere contenti fuerunt, ſed integras provincias Beatiſſimo Petro ac Romanis Ponificibus large effuſeque donarunt. Ex eo tempore, quo Clodovæus Rex Chriſtiana ſacra ſuſcepit, nunquam ardor ille Catholicæ Religionis defendendæ amplificandæque deferbuit, ut merito & Primogenitorum Eccleſiæ & Chriſtianiſſimorum Regum titulis fuerit decorati. Borbonii vero Reges, qui ab S. Ludovici filio altero Roberto genus repetunt ſuum, ii quoque ſatis oſtenderunt, nihil illis antiquius unquam fuiſſe, quam avitam Religionem atque a majo-

ribus

ribus traditam ſalvam atque incolumem conſervare.

XX. Dixi poſtremo loco hoc gratulationis officium ad omnes, quocumque tandem ordine, genere, fortuna, aut etiam natione ſint, pertinere. Nam, præter quam quod unius Regni tranquillitas, cum externorum etiam Regnorum quiete atque otio, propter mutuam quandam publicarum rerum inter ſe conſenſionem, implicita eſt & cohæret, hunc Burgundiæ Ducem tanquam pacis, quæ certe ad omnes pertinet, alumnum atque obſidem intueri unumquemque decet, quippe qui tempore pacis natus, & feliciſſimo partu a Matre in lucem editus, tantam ortu ſuo lætitiam in omnium animis commovit, ut non privatæ ſolum unius Regni, ſed publicæ omnium gentium felicitati ac tranquillitati ſuſceptus eſſe videatur.



Hæc oratio habita fuit in aula Collegii Romani anno 1751. inſigni pompa & celebritate, Interfuit Chriſtianiſſimi Regis mandato ac nomine Dux Nivernenſis extraordinarius ad S. Sedem Legatus; nec non reliqui reliquorum Principum Legati & Oratores; Auctor vero a Rege aureo numiſmate, maximi moduli, cujus antica pars Ludovicum Regem, poſtica Regium puerum repræſentabat, donatus eſt.

# DE PASSIONE DOMINI
## IN DIE PARASCEVES
### ANNO JUB. MDCCL.
### AD BENEDICTUM XIV. P. M.

## *ORATIO.*

LUctuoſiſſimus ille atque ad recordationem multo acerbiſſimus dies, quo die Chriſtus Dei filius ab hominibus, quos ipſe crearat, quorum cauſa e cælo in terras venerat, & HOMO FACTUS ERAT, per ſummam impietatem inauditamque barbariem in crucem actus & occiſus eſt, annua lugubri celebritate recurrit, Beatiſſime Pater. Itaque veteri Eccleſiæ inſtituto hoc ipſo die Conditoris ac Reparatoris noſtri mortem lugemus, mœroremque noſtrum ex ejus obitu pie ac juſte ſuſceptum omni doloris declaratione proſequimur, ne doloris illius, quem & cælum, & ſol, & tellus, & elementa, & creata univerſa in ejus morte ſentire viſa ſunt, ſoli nos, quorum gratia illa ipſa mors obita fuit, expertes eſſe videamur. Iure igitur ac

meri-

merito, quocumque oculos nunc converto, ſolita lætitiæ ſigna, & conſueta jucunditatis indicia requiro. Video omnia ad luctum mœroremque compoſita, ſordere parietes, ſquallere altaria, Auguſtiſſimum Senatum, Te quoque B. P. adeſſe mutata veſte, omnes denique triſti quodam ſilentio tacitos, atque in atrociſſimæ necis meditatione defixos. Quare ſi unquam Oratoris vox minime neceſſaria videri potuit; hoc certe tempore exiſtimari omnino ſupervacanea debet; quandoquidem omnia ſatis per ſe diſerta ſunt, omnia in acerbiſſimo amantiſſimi Parentis funere ad expromendam omnem luctus ac deſiderii ſignificationem nos provocant. Verum cum tacere mihi liberum non ſit, conſuetudinique omnino ſervire oporteat, dicam aliquid, quod & tempori, & loco, & argumento maxime conſentaneum eſſe cognovero; & rem totam ab ipſo capite repetens, unde exordium duxit, ſummam in nos Chriſti, ac plane divinam caritatem oſtendendam ſuſcipiam, illudque enitar, ut amorem noſtrum erga amantiſſimum Reparatorem, tot illi nominibus debitum, atque hoc præſertim, quod noſtra cauſa dirum atque immane Crucis ſupplicium ſuſtinere non recuſavit, aut reſidem fortaſſe ac languentem excitem, aut incenſum jam ac flagrantem vehementius inflammem.

II. Perieramus, B. P., nec ulla affulgebat ſalutis

 ſpes.

ſpes. Jam vincula, tormenta, carceres, atque æterna ſupplicia ſontibus parabantur. Nullus erat, qui nobis afflictis, atque ab omni ſpe dejectis poſſet opitulari; non Angelus, non homo, non mortalium quiſpiam vel ſanctiſſimus. Grandi ære alieno obſtricti tenebamur; creditor exactorque Deus erat; nos ſolvendo non eramus, fruſtraque ſponſoris, qui nullus uſquam occurrebat, opem, atque auxilium implorabamus. Quare non erat recuſandum, quandoquidem neque ære proprio, neque ullo modo debitum a nobis exſolvi poterat, non erat, inquam, recuſandum, quin maximis æterniſque ſuppliciis addicti meritas admiſſorum facinorum pœnas lueremus. Illud unum afflictis ac perditis rebus perfugium reſtabat, ut aut Deus omne debitum pro ſua liberalitate condonaret, aut ille ipſe, cui nos debebamus, illud diſſolveret; is miſeris opem ferret, is cauſam noſtram ſublevaret, is ſe nobis egentiſſimis & pauperrimis fidejuſſorem præberet ac vadem. Hic erat rerum ſtatus longe calamitoſiſſimus; hæc totius humani generis miſeranda ſane ac deploranda conditio.

III. Jam vero, cum alterutrum fieri neceſſe eſſet, quod unum factu longe difficillimum erat, illud nobis omni ope deſtitutis atque inſperantibus datum divinitus, atque oblatum fuit. Deus igitur, quod nemo cogitaſſet, nec cogitare potuiſſet, hanc noſtram infirmitatem minime averſatus arcano reconditoque con-

conſilio divinam naturam cum humanà copulavit, atque ita laboranti humano generi ſuccurrit, & in ſumma miſeria conſtituto pro ſua immenſa pietate & caritate providit. Conjunctis enim admirabili modo duabus naturis negotium impeditiſſimum ſuſcepit, feliciter expedivit, rem omnem abſolvit, effecitque, ut homo vere Deo nihil de ſumma remittere volenti cumulatiſſime ſatisfaceret, cum is, qui pro nobis debitum omne diſſolvit, idem eſſet & homo & Deus.

IV. At quonam modo tale tantumque debitum ab hominibus culpa ſua contractum benigniſſimus ac liberaliſſimus Deus exſolvit? Hoc enim præſtat cognoſcere, & maxime ad ſummam divini erga nos Reparatoris oſtendendam pietatem, declarandamque caritatem pertinet. Ac primum, obſecro, quantæ caritatis fuit Dei Filium, *Ante Luciferum, & ante omnia ſæcula* genitum, qui Matrem neſciebat, virginea includi alvo; & mortales artus non dedignari? *Splendorem Patris, ac lumen indeficiens* noſtris obnubi tenebris? totius denique expertem materiæ, hanc noſtri terrenam corporis concretionem non reſpuere? Qui divinæ naturæ dignitatem ſibi proponat, & hanc cum hac noſtrà ignobilitate componat, qui Deum cogitet, & hominem reputet, is profecto neque ſummam Dei benignitatem ſatis admirari, neque ſatis tantam ejus erga nos caritatem poterit exſtimare.

V. At

V. At enim,opinor,bene nos de Deo meriti fueramus, eumque nobis inſigni aliquo beneficio habebamus obſtrictum, ut ſe noſtra cauſa ad tantam humilitatem abjectionemque demitteret. Miſerum me! Quæ merita loquor? quæ beneficia commemoro? De eone, qui alienæ opis nunquam indiguit, bene nos meriti eſſe poteramus? beneficine in illum, cujus perpetrato tetetrimo ſcelere juſtiſſimam in noſmet vindictam ipſi indignationemque concitaramus? An vero, ſi nos debitis meritiſque ſuppliciis mactaſſet, nobis infeliciſſimis, minus ille fuiſſet feliciſſimus? Nihil minus. Nam cum omnis beatitatis fons ſit atque origo, aliunde eam mercari neceſſe non habet, & habet a ſe, unde non poſſit unquam non eſſe beatiſſimus. An minus juſtus, aut etiam fortaſſe immitis, ſi nos æternis pœnis diſcruciandos addixiſſet? immo vero debitas juſtiſſimaſque pœnas de iniquiſſima ingratiſſimaque gente ſumpſiſſet; juſtus idem & miſericors; juſtus, quippe qui nos meritis pœnis affeciſſet; miſericors, qui non tantum, quantum poſſet, quantum injuriæ immanitas poſtularet, maleficia noſtra vindicaſſet. Quæ igitur cauſa fuit, quæ Dei Filium e ſinu Patris in terras egit, atque ad tantam abjectionem adegit? Dicam equidem B. P. & ut puto cauſam afferam omnium veriſſimam; dicam paucis, *Dilexit nos*, dicam iterum *nimia caritate dilexit nos*.

VI.At-

VI. Atque hic, credo, modus divini erga nos amoris fuiſſet, utique ſi ſatisfactionem ipſam, quæ tanta demiſſione contenta eſſe poterat, & debebat, ſpectemus; minime vero ſi ipſius amoris vim, qui modum tenere neſcit, atque indolem perpendamus. Venerat e cælo in terras Dei *filius in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*. Grandis abjectio. Materni uteri anguſtiis coarctari novem menſes ſuſtinuerat. Inſignis patientia. Materna egreſſus alvo famem, ſitim, frigora, nuditatem, cæteraque humanæ conditionis incommoda, quandiu inter nos diverſatus eſt, pertulerat. Singularis tolerantia. Satis hoc ſuperque ad eum, quem intenderat, humani generis reparandi finem & videri & eſſe poterat. Utique ſatis; verum illi flagrantiſſimo, quo erga nos æſtuabat amori, non ſatis. Qui ad peccatores Patri conciliandos venerat, non ſolum eſſe homo dignatus eſt, ſed etiam peccator apparere non eſt dedignatus. Quod vero omnem humanam fidem ſuperat, in ſemet flagitia noſtra ſuſcipere non recuſavit, & fieri pro nobis, ſicuti ait Apoſtolus, *peccatum & maledictum* ſuſtinuit.

VII. Furta igitur, latrocinia, cædes, effuſæ in omne intemperantiæ genus libidines, quidquid humana audacia, quidquid crudelitas, quidquid avaritia, quidquid impietas, aut conari aut efficere potuit, omnia denique omnium hominum ſcelera collecta in unum fuerunt, in unum collata innocentiſſimum caput

put ? Ita plane eſt, uti dico ; *Poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Jam ſi magnum quiddam fuit divinam naturam cum humana conſociare ; ſi longe majus humanæ vitæ incommoda, labores, moleſtias, ægritudineſque perferre, quantæ illud, obſecro, caritatis fuiſſe dicendum erit, univerſa peccata noſtra in ſemet tollere & turpiſſimam peccatoris perſonam ſuſtinere ? Nam quid peccato fœdius ? quid miſerius ? quid denique, quod a Deo magis abhorreat, magis a divina ſanctitate alienum ſit ?

VIII. Ita ne vero ? Dei Filius *innocens impollutus, ſegregatus a peccatoribus, iniquitates noſtras ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portavit* ? Nimirum fuit hæc ſordidiſſima illa lepra, propter quam omnium hominum mundiſſimus atque integerrimus reputatus eſt *quaſi leproſus, percuſſus a Deo & humiliatus*. Huncine ego te, innocentiſſime Jeſu, tot veluti ſquammis ac ſordibus obductum aſpicio ? hancine de te tu mihi imaginem offers ? cum per ſe a tua perſona prorſus alienam, tum viſu aſpectuque deformem ? Ubi decor ? ubi ſpecies ? ubi ſanctitas illa, illa inquam, tua ? Eſt quidem, ſed nuſquam apparet. *Non eſt ei ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus*. Hocne igitur habitu ac ſpecie in conſpectum Patris veniebas Filius ? O magnam atque incredibilem amoris vim ! quæ innocentiſſimum Dei Filium eo uſque adegit, ut fœdam a nobis, dicam

ve-

verius, a ſuo ipſi in nos amore impoſitam peccatoris perſonam ſuſcipere ac gerere non exhorruerit.

IX. Jam eo res deducta exiſtimari poteſt, nihil ut ad tantam caritatem addi poſſe videatur. Sed eſt, eſt, inquam, quod poſſit addi. Etenim, quod reſtabat unum, ut, quandoquidem ſcelera noſtra in ſe met ſumpſerat, pœnas quoque ipſis ſceleribus debitas ſubiret; atque ita incœptum opus, opus amoris, opus eximiæ ac divinæ caritatis perficeret; hoc etiam ad amoris & caritatis cumulum a ſe requiri minime paſſus eſt. *Vulneratus* igitur *propter iniquitates, noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* ac denique pro nobis in crucem actus, atque occiſus eſt.

X. Hic vero cum ad eam orationis meæ partem multo luctuoſiſſimam venerim, quæ eſt de acerbiſſimis Chriſti Domini cruciatibus, quo orationis potiſſimum genere mihi utendum putem? Si ego nunc non hoc in ampliſſimo loco, ſi non ad hunc lectiſſimum ſpectatiſſimumque conventum, ſi non ad Te, & coram Te B. P. concionem habiturus eſſem, ſed hoc ipſum mihi in foro, atque ad effuſam popul- multitudinem agendum proponeretnr, nihil certe de dicendi genere laborarem. Explicarem populari oratione totius atrociſſimæ hiſtoriæ ſeriem, & quantum poſſem, tantum voce & actione contenderem, ut tam atrox tamque immane ſpectaculum omnium oculis

ſic

ſic præſens fieret, ut non tam narrari, quam re ipſa agi videretur. Exhiberem Chriſtum Dominum primum in horto mœrore confectum, ſanguineum ſudorem effundentem, tendentem ad cælum manus, Patris auxilium implorantem; tum in Romani Præſidis atrio veluti in aliqua truculentiſſimarum beſtiarum cavea ad columnam alligatum & innumerabilibus plagis affectum, eundemque ab illo ſupplicio tanquam fictitium Regem per ſummam injuriam impietatemque contemptum oſtenderem.

XI. Ad illas velas vero efferati populi voces *tolle tolle, crucifige* oppreſſæ innocentiæ patrocinium ſuſciperem. Exponerem vitam ſanctiſſime actam, beneficia, ab eo in omnes profecta commemorarem. Exprobrarem ingratiſſimæ genti crudelitatem, quæ tot acceptis beneficiis hanc rependeret gratiam. Implorarem Superum atque hominum fidem, clamarem, vociferarer. In extremo autem luctuoſiſſimæ tragœdiæ actu Dei Filium in crucem ſublatum, infami ligno terebratis manibus pedibuſque ſuffixum, ſpiritum exhalantem non tam ſpectandum concioni, quam commiſerandum proponerem. Hic vero multo vehementius contenderem, nec dicendo defatigarer quo ad uſque omnia luctu, gemitu, conqueſtionibus, lamentationibuſque compleſſem.

XII. Hæc ego, ſi extra hunc locum. Hic vero, his adſtantibus, hoc ita conventu, in conſpectu Tuo B.P. quo orationis meæ rationem convertam conſuetis

Ora-

Oratori maximiſque præſidiis deſtitutus ? Populares auguſti hujus loci gravitas ac majeſtas conqueſtiones commiſerationeſque reſpuit ; vocem tollere, clamare, vociferari non ſinit. Quid igitur faciam ? Illud, opinor, quod unum me hic ipſe locus, in quo dico, hortatur facere, qui inde præſidium vel maximum Oratori ſuppeditat, unde ſolita ei videntur adempta eſſe ad dicendum adjumenta. Loquor enim in hoc augnſtiſſimo loco, loquor ad lectiſſimos viros & genere, & inſtitutione, & humanitate, & doctrina, pietate vero in primis ac religione ſpectatiſſimos, quibus ſatis eſt præcipua Dominicæ Paſſionis indicare, reliqua ſingulorum commentationi permittere ; Nimirum Dei Filium pro homine, juſtum pro ſceleratis, pium pro impiis, nullis provocatum beneficiis, immo vero maleficiis irritatum, contra jus faſque omne, nulla lege, nullo more, indigniſſima quæque perpeſſum fuiſſe ; quos gutta ſanguinis redimere potuiſſet, expiare totius divini cruoris effuſione voluiſſe, dolores atrociſſimos ac pœnas, quæ non ipſi, ſed nobis noſtriſque maleficiis debebantur, in ſemet ſuſcepiſſe; nemum ut nos meliori vita atque adeo ſempiterna donaret, indigniſſimam mortem una actum caritate oppetere non recuſaſſe.

XIII. Quare ſi, ut ipſemet divinus Reparator diſerte affirmavit ; *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quam divi-

divinæ nos dilectioni parem dilectionem rependemus, quando Chriſtus pro tua infinita caritate, ſe non pro amicis, ſed pro inimicis, non pro innocentibus, ſed pro ſontibus, pro ſceleratis, parricidiſque devovit. Quam ob cauſam quo tandem animo erga amantiſſimum Reparatorem noſtrum eſſe debebimus, cujus erga nos tam eximiam ac ſingularem, & plane divinam caritatem experti ſumus. Ille prior amavit nos; amavit inopes, amavit ſordidos, amavit reos, amavit immerentes; inopes, quia pretium exſolvere pro debito non poteramus, ſordidos quia impuriſſimis flagitiis coinquinatos, reos, quia peccatores ac rebelles, immerentes denique, quia non ſolum ullo beneficio dignos, ſed pœnis omnibus, ſuppliciiſque digniſſimos. Ipſe humanam naturam ſuſcipiens ſeque ad noſtram conditionem abjiciens pro nobis Deo cumulatiſſime ſatisfecit. Tanta abjectione non contentus *in ſemet* omnium noſtrum malefacta ſuſtulit, peccata noſtra abſterſit, & *lavit nos in ſanguine ſuo*, ac denique mortem & crucem ultro appetens debitas nobis pertulit pœnas, a noſtriſque cervicibus depulit. Nos vero quam illi parem pro tantis beneficiis gratiam referemus? qua grati ac memoris animi ſignificatione tantam caritatem proſequemur? Conemur, quantum poſſumus, nunquam profecto tantum conabimur, quantum debemus, quantum ipſe meretur, qui tantum de nobis meritus eſt.

Et

In fine hujus ſecundi voluminis viſum eſt addere doctorum virorum de primo Parthenii volumine, quod *Actiones* inſcribitur, judicia, quæ etiamſi publici juris facta ſint, non ingratum tamen fore lectoribus exiſtimavi, ſi hic iterum repræſententur. Ephemerides Romanæ num. 52. 26. Decemb. 1772. in compendium redu-ctæ ſic habent. L. A. di queſt'opera già noto nel Parnaſſo Latino per il ſuo Poema dell'Elettricismo artificiale ſi dimoſtra al preſente bravo Oratore. Per eſtirpare dalle radici alcuni pregiudizj altamente impreſſi negli animi de' ſemidotti dai ſofiſmi di alcuni Letterati di gran nome, i quali ſonoſi abuſati dell'Arte Critica a danno della Criſtiana Religione, adopra egli la più robuſta eloquenza Ciceroniana, e sfida animoſamen-gl'Impugnatori di alcuni fatti, e numenti autentici, che tanto onore arrecano al Criſtianeſimo. Siegue egli le tracce del Romano Oratore nelle Verrine dividendo le ſue aringhe in azioni, e ſuddividendole in libri. Noi volevamo porre in viſta tutti i pregi di una intrapreſa così lodevole. Sequitur compendium operis, quod ſic concluditur. Ma ſiamo coſtretti a far punto per non ſapere a quale appigliarci di tanti begli argomenti, che egli adduce in comprova del ſuo erudito aſſunto da lui trattato con molta lode, e con aureo ſtile Latino

ROMA.

Joſephi Mariani Parthenii S. J. *Actiones. Roma excudebat Generoſus Salomoni anno* 1772. In 8.

Avendo noi l'anno ſcorſo fatta menzione di un manifeſto delle proſe latine di *Giuſeppe Mariano Partenio*, e nominatamente reſa la debita giuſtizia all'orazione in difeſa della S. Caſa di Loreto, pubblicata dal medeſimo per ſaggio delle altre ſue orazioni contro la critica ſmoderata, e da lui intitolate *Actiones*, non poſſiamo adeſſo non parlar con vantaggio di queſte, reſe publiche con le ſtampe. Un minuto dettaglio di tutte queſte orazioni ſarebbe lungo, e quaſi impoſſibile; ci riſtringeremo pertanto a darne una ſuccinta idea, perche ſi poſſa principalmente conoſcere il pregio dell'opera.

Sono tre le *Azioni* contenute in queſto libro. Ecco come a *pag.* 14. ne propone gli argomenti l'Autore medeſimo; *dicam primum de ſumma artis criticæ difficultate, deinde de pravo artis criticæ uſu, poſtremo denique de recto artis ipſius uſu, & hæc a me ſeparatim pluribus Actionibus tractabuntur*. L'oggetto di queſte orazioni è molto intereſſante. La letteraria repubblica, la religione medeſima riconoſcono dall'arte critica vantaggi grandiſſimi; ma l'abuſo ſmoderato col quale ſe ne ſono alcuni ſerviti, ha fatto talvolta dire, che reſta in dubbio, ſe ſia ſtato maggiore il profitto o il danno, che da queſt'arte il mondo ha ritratto. Quindi cominciava ella da qualche perſona, che i limiti della moderazione

teme

temeva di trapaſſare, ad eſſer preſa in mal ſenſo, ſenza diſtinguerne l'uſo retto, e laudevole, dallo ſregolato, e pernicioſo; pernicioſo a ſegno, che, come dice il noſtro Autore, *religionis ſenſim fundamenta ſubruerentur, & religio ipſa in apertum certiſſimumque diſcrimen adduceretur*.

Le prime due *Azioni*, a guiſa delle Verrine di *Cicerone*, ſono diſtinte in più libri, o ſi voglian chiamare orazioni. L'azione prima ne comprende tre, ed in eſſa il libro primo generalmente la difficoltà grande dell' arte critica rappreſenta e dimoſtra; il ſecondo eſamina gli ajuti, che vi ſono, a ben rieſcire in queſt'arte, e quanto di preſidio poſſano alla medeſima appreſtare; il terzo va ricercando qual forza abbia da attribuirſi all' argomento tanto comune fra i critici, chiamato negativo, e con le ſue ricerche conduce a concludere, che queſt' argomento *infirmum eſt, ab omni parte labans, & minime inconcuſſum*; Dal che deduce l'Autore, che ſe difficoltà graviſſime ſi ritrovano in quell'argomento ancora, che per inconcuſſo è tenuto, ceſſeranno alcuni di negare eſſer queſt'arte eſtremamente difficile.

I libri dell'azione ſeconda ſono otto. In queſti ſi tratta dell'abuſo della critica, e primieramente ſi difendono dai critici calunniatori molti intereſſanti punti della ſtoria Eccleſiaſtica, ai quali hanno coſtoro oppoſto, *nulla certa ratione probari poſſe*, come nel libro primo l'apoſtolato di S. Jacopo nella Spagna, e la venuta di S. Maria Maddalena con i compagni a Marſiglia; nel ſecondo la mirabile traslazione della Caſa Lauretana da Nazaret; e così le pie tradizioni vengono patrocinate. L'Autore fa l'Apologia all'autorità de' Padri che favellarono degli oracoli de' Gentili, e de' libri Sibillini, contro l'arroganza di molti, che oſarono aſſerire francamente: *Patres plus nimio vulgi rumores aucupari ſolitos, Patres res accuratius expendere non conſueviſſe &c.* E quindi, venendo ai caſi particolari, nel libro quarto ſoſtiene veridica, e non finta, come è piaciuto a qualche critico ſtravagante, la vita di S. Ilarione ſcritta da S. Girolamo; togliendo in queſta maniera la libertà di potere opinare ugualmente delle vite ſcritte da altri Padri, delle quali ſi ſarebbe potuto potuto affermare, quando lo ſi poteſſe di quella di S. Ilarione, che *exercendi ſtyli cauſa ab auctore ſuo fuere conſcripta*. E proſegnendo la ſteſſa materia nel libro quinto dell'autorità che ſi deve ai Padri, allor quando parlarono de' Miracoli operati dai Santi, copioſamente ragiona. Paſſa quindi ad eſaminare gli atti ſpecialmente de' Martiri nel libro ſeſto, che a parer noſtro è l'orazione più ſtimabile di tutte l'altre; nella quale tutto ciò, che hanno potuto opporre i nemici della religione, contro le geſta più luminoſe di alcuni celebratiſſimi atleti della Chieſa con incredibil forza ſi combatte, e ſi confuta. Nel libro

Digitized by Google

bro ſettimo ſi dichiara l'Autore, che avendo ſin quì trattati argomenti, preſi dalla ſtoria Eccleſiaſtica, non vuol tralaſciare di trattarne alcuno ancora, preſo dalla ſtoria divina, ed impiega perciò quel libro a ragionare della Paſqua celebrata da Gesù Criſto.

Nel libro ottavo finalmente, prendendo occaſione da una riſpoſta, che ſogliono dare i critici ſmoderati, *ſe, quæ fecerint, unius veritatis amore feciſſe*, e perciò *multa in hiſtoria molitos eſſe, multa correxiſſe, multa de medio penitus ſuſtuliſſe, multa in falſitatis crimen ſuſpicionemque vocaſſe*, fa vedere, che non i detti critici ſolamente, ma molti altri dottiſſimi uomini, ed i Padri in particolare della Chieſa, hanno ſempre avuto per fine ed oggetto delle loro ricerche la verità.

L'azione terza ed ultima comprende una ſola orazione, che è come la corona, e il frutto dell' opera, imperciocchè in eſſa, eſpoſti i vizi dell' arte critica, ſi dimoſtrano le virtù, e s'inſegna la maniera di farne buon uſo.

Noi abbiamo tutto il motivo di congratularci coll'autore, che fa decoro a ſe, onore ai Fiorentini, a quali, come quelli, che lo ebbero per molti anni profeſſor di Rettorica, ſono dirette queſte orazioni, e reca lor namento alla noſtra Italia, che può pregiarſi di un oratore, il quale tanto ſi diſtingue fra i più eccellenti. La latinità è veramente aurea, la forza, e la varietà dell'eloquenza ſpicca con iſplendore, e magnificenza in tutta l'opera, da per tutto campeggia l'artificio oratorio, e l'erudizione ancor eſſa ha gran parte ne' pregi di queſte azioni. Opera certamente è queſta degna di eſſer letta da tutti gli amatori della religione, e dell' eloquenza latina.

Dicemmo già, nel dar ragguaglio dell'orazione in difeſa della ſanta Caſa Lauretana, che l'Autore avea fatto uno ſforzo non ordinario per accoſtarſi al gran *Tullio*, maeſtro dell' arte oratoria, cui ſi era propoſto per eſemplare, e che ſi era non poco ad eſſo accoſtato. Ora diciamo, che ha fatti gran progreſſi nell'ardua carriera, e che attesſo tutto il compleſſo della preſente ſua opera, dopo quel gran maeſtro non ha alcuno ſuperiore, e pochi eguali nella latina eloquenza.

Nos vero confidimus fore, ut hoc etiam ſecundum volumen diverſo in dictionis genere elaboratum, primo, & copia rerum, & elegantia & eloquentia reſpondeat.



Digitized by Google

# INDEX ORATIONUM.

De Encyclopædia contrahenda. Oratio I. pag. 13.
De Encyclopædia contrahenda. Oratio II. pag. 61.
De Encyclopædia contrahenda. Oratio III, pag. 103.
De Ciceroniana Lectione. Oratio Parænetica I. pag. 146.
De Virgiliana Lectione. Oratio Parænetica II. pag. 191.
De Ratione docendi & diſcendi. Oratio Parænetica III. pag. 219,
De Italorum in litteris Principatu. Oratio I. pag. 247.
De Italorum in Artibus principatu. Oratio II. pag. 294.
De Sacræ Antiquitatis Monumentis. Oratio. pag. 344.
In Renunciatione Franciſci I. Imperatoris. Gratulatio. pag 384.
In Ortu Sereniſſimi Burgundiæ Ducis, Gratulatio. pag. 409.
De Paſſione Domini in die Paraſceves. Oratio. pag. 426.

MAG 2020624

Digitized by Google